Sed contra est. quod Ioan. 15. dicitur, iam non dicam vos servos, sed amicos meos sed hoc non dicebatur eis nisi ratione charitatis, ergo charitas est amicitia. = Respondeo. Dicendum. quod secundum Philosophum in 8. Ethicorum. capite 2.3. et 4. tomo 5. non qualibet amor habet rationem amicitiæ, sed amor qui est cum benevolentia, quando scilicet, sic amamus aliquem, ut ei bonum velimus. Si autem rebus amatis non bonum velimus, sed ipsum earum bonum nobis velimus, sicut dicimus amare vinum, vel equum, aut aliquid huiusmodi, non est amor amicitiæ, sed cuiusdam concupiscentiæ. Ridiculum enim est dicere, quod aliquis habeat amicitiam ad vinum, vel ad equum. Sed nec benevolentia sufficit ad rationem amicitiæ, sed requiritur quædam mutua amatio; quia amicus est amico amicus. Talis autem mutua benevolentia fundatur super aliqua communicatione. Cum ergo sit aliqua communicatio hominis ad Deum, secundum quod nobis suam Beatitudinem communicat, super hanc communicationem oportet aliquam amicitiam fundari. De qua quidem communicatione dicitur 1.º ad Corinthios 1.º fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem filij eius. Amor autem super hanc communicationem fundatus, est charitas. Unde manifestum est, quod charitas amicitia quædam est hominis ad Deum. =

Ad 1.um Respondeo dicendum, quod duplex est hominis vita, una quidem exterior secundum naturam sensibilem, et corporalem, et secundum hanc vitam, non est nobis communicatio, vel conversatio cum Deo, et Angelis. Alia autem est vita hominis spiritualis secundum mentem: et secundum hanc vitam est nobis conversatio cum Deo, et Angelis, in præsenti quidem statu imperfecte. Unde dicitur ad Philipenses 3. Nostra conversatio in cælis est. Sed ista conversatio perficietur in Patria quando servi eius, servient Deo, et videbunt faciem eius, ut dicitur Apoc. ult. Et ideo hic est charitas imperfecta, sed perficietur in patria. =

Ad secundum Dicendum. quod amicitia se extendit ad aliquem dupliciter. Uno modo respectu sui ipsius: et sic amicitia numquam est, nisi ad amicum ipsius. Alio modo se extendit, ad aliquem respectu alterius personæ. Sicut si aliquis habet amicitiam ad aliquem hominem, ratione eius diligit omnes ad illum hominem pertinentes, sive filios, sive servos, sive qualitercumque ei attinentes: et tanta potest esse dilectio amici, quod propter amicum amentur hi, qui ad ipsum pertinent, etiam si nos offendant, vel odiant. Et hoc modo amicitia charitatis se extendit etiam ad inimicos quos diligimus ex charitate in ordine ad Deum ad quem principaliter habetur amicitia charitatis. =

Ad tertium Dicendum. quod amicitia honesti, non habetur, nisi ad virtuosum sicut ad principalem personam, sed eius intuitu diliguntur ad eum attinentes, etiam si non sint virtuosi. Et hoc modo charitas, quæ maxime est amicitia honesti, se extendit ad peccatores, quos ex charitate diligimus, propter Deum. =

Expositio Textus.

Conclusio articuli est. Charitas amicitia quædam est hominis ad Deum. Probatur ex communi amicitiæ ratione; quæ non est quilibet amor, sed cum benevolentia, respectu scilicet alicuius personæ cui volumus aliquod bonum. Nec est quævis benevolentia, sed ea quæ est ad alteram, constans eius redamationem: fundaturque in aliqua communicatione seu conditione vel

habet amor qui est inter Deum, et hominem, quantum ad vitam spiritualem, secundum quam factus est ad imaginem, et similitudinem Dei, et vocatus est in societatem filij eius. ut dicitur 1ª corinth. 1º

Colligitur ex hoc tria hec nomina, Amor, Dilectio, et charitas, et si communi usu soleant confundi, rigorose tamen habere se sicut superius, et inferius: Amor enim abstrahit a quavis complacentia bonitatis, sive propter se volite, sive propter aliquam personam: ponitur que prima passio, respectu undecim, que animo tribuuntur. Dilectio addit benevolentiam, qua alicui bonitas amatur: qui actus, non tantum respicit obiectum, quod amatur, sed etiam obiectum cui amatur. Charitas supra benevolentiam addit rationem amicitie: nam benevolentia, potest esse adse, vel si ad alterum, potest esse non mutua; amicitia autem est specialis quedam benevolentia ad alterum, eius reddamationem monstans. ut in littera dicitur. que ut peragratur, exacte, et a multis liberetur calumnijs. Premittere portet, amicitie rationem, et proprietates. qua propter, sit.

Disputatio 30. de charitatis essentia.

Sectio 1ª quid sit amicitia in communi.

De hoc late Aristoteles. libro 8. et 9. Ethicorum. disseruit. Amicitiam ergo tam ipse quam D. thomas definiunt 2. cap. libro 8. Est mutua aliquorum benevolentia, que non lateat ipsos sed sibi invicem nota sit. In qua definitione, benevolentia ponitur ut genus, excludit tamen a ratione amicitie amorem concupiscentie, ita ut etiam ab eius genere distet, quanto magis ab eius ratione differentiali? Est enim benevolentia affectus, quo alicui bonum volumus propter ipsum, idest, quatenus illius bonum est. Concupiscentia vero, qua commodum ipsius appetentis queritur.

Bene verum est quod cum amare sit velle bonum alicui (si stricte de amore sit sermo) quod in quolibet amoris actu duplex respectus considerari solent. Alter ad personam, cui bonum volumus, Alter ad bonum illi desideratum: et prior dicitur benevolentia, et secundus concupiscentia. Iuxta quam considerationem, benevolentia, et concupiscentia, non sunt duo actus, sed due rationes inadequate eiusdem actus, qui in ordine ad obiectum quod vult, concupiscere dicitur, et in ordine ad obiectum Cui, seu personam, sive sit proprium amantis suppositum, sive alterius benevolentia nominatur.

Commodius tamen. et magis iuxta rigorem philosophicum declarantur iste rationes modo predicto, ita ut constituant actus essentialiter diversos: nimirum quod actus quo bonum nobis volumus, concupiscentia dicatur, etiam respectu persone: quia ipsi, et ab ipsa concupiscitur tale bonum. In quo sensu concupiscentia idem significat quod amor proprius propriam amantis commoditatem respiciens. Actus vero quo alteri bonum volumus propter ipsum, sit concupiscentia. Et si utraque consideratio sit in usu, hec posterior est aptior ad declarandam amicitie rationem, cui hec concupiscentia principalius opponitur.

De hac intelligitur communis sententia, distinguens amorem, concupiscentie contra amicitiam, et spem a charitate discernens, eo quod illa concupiscentie amor est, et charitas amicitie. Nam licet spes, etiam benevolentia dici possit respectu nostri, quatenus tamen rationi amicitie dissonat, prevalet in la concupiscentie denominatio, sicut in quovis actu quo nobis commodum aliquod appetimus. que duplex denominatio, non fundatur in diversitate materiali duntaxat; in hoc scilicet, quod finis Cui, sit proprium appetentis, vel alterius suppositum, sed in diversis rationibus formalibus, obiectivis. Nam cum obiectum, et finis horum actuum, non sit bonitas abstracte, et absolute sumpta, sed prout conveniens huic vel illi supposito, quod dicitur finis Cui, hec diversa convenientie ratio, se tenet ex parte obiecti formali

est quæ sufficiens actus genere diversos causare. quomodocumque tamen concupiscentia hæc accipiatur excluditur ab actu formali primario amicitiæ: nam quodcumque bonum amico concupitum, materiale quid erit et secundarium. Bonitas autem primaria, amicitiam terminans, non concupiscitur, sed supponitur in amico, et ex complacentia illius, movetur voluntas alterius ad cætera bona, et obsequia illi desideranda. ═

Ex hac doctrina Egidius coninc. disp. 9. de actu super. dubio 1º colligit homi nem longe alia ratione amare seipsum, quam alios. Nam in seipsum quisque naturaliter, et citra omnem habitum inclinatur, absque apprehensione ullius in seipso bonitatis, qua reddatur sibi amabilis, ita ut quantumvis se indignum aliquo amore agnoscat, sibi adhuc ingense, et licita, et omnia bona, concupiscat. Nam concupiscere, ut notat calepinus, æquivalet huic voci supone. cudiciar. vel cupiditati, seu desiderio, qui actus potius privationem bonitatis supponunt. Ad alios autem diligendos movetur ex perceptio aliquo bono in eis animadverso, quod sit amabilitatis fundamentum, et ratio illis desiderandi cætera. ═

Ex quo discrimine satis liquet, quod cum amor sit necessario alicuius boni tamquam formalis objecti, et ipso quod amans, nullam aliam bonitatem præexistentem in se animadvertat, præter eam quam sibi desiderat, bonitas hæc concupita, erit objectum formale specificans, talem actum, et consequenter varians illum pro diversitate bonorum concupiscibilium. et e converso, si in altero supponitur bonitas, aut dignitas, quæ sit amabilitatis fundamentum, et ratio illi cætera appetendi, hæc secundario et materialiter, et illa formaliter ac primario ad eumdem actum amoris spectabunt. ═

Impugnat inmerito Theophilus hanc doctrinam.

Huic opponitur Theophilus Raynaudus in sua mor. philosoph. dist. 3. de amore nº. 143. dicens. discrimen præfatum nullum esse: quia unusquisque in se naturale habet fundamentum amabilitatis sui ipsius, nempe suum esse, quod unicuique valde bonum, et amabile apparet. quare. in amore sui ipsius propter ipsum, ratio formalis amandi est proportionaliter eadem, quæ in amore alterius propter ipsum, utique utrobique dignitas, et amabilitas personæ, quæ ad amandum movet. Ratio autem, quare multiplicitas illa specifica, in amore concupiscientiæ sui ipsius et non in amore alterius invenitur, est quia complacentia nobis actus quidam naturalis est, communis, et transcendens cæteros, atque adeo ineptus ad multiplicem eorum specificationem, non sic autem complacentia amici, quod non satis explicat, sed supponit author iste. ═

Sed amor iste naturalis noster, non est aliud quam appetitus innatus, quo unaquæque res etiam inanimis appetit suam perfectionem, et complementum. ut docent omnes cum Aristotele quem comitatur appetitus ellicitus, seu voluntas in hominibus; sed utrque iste appetitus, non est de bonitate præexistente, sed de illa quam non habet, ratione cuius erit vulgatum illud assertum quod privatio est causa appetitus. Unde quando dicitur, quod utrque iste appetitus, respicit suum esse, ut naturale amabilitatis fundamentum, per fundamentum, subiectum, vel finis cui intelligitur. Patet rursus eadem ratione: primus enim actus, quem quisque in sui benevolentiam elicit, est intentio ultimi finis, seu boni in communi. ut docet s. thomas ame relatus, disp. 26. §. 204. quod bonum non habetur, sed desideratur, et quæritur, ut ibi ostendo: si ergo hoc est primum bonum, quod primo, et ultimo intenditur, nullum aliud supponitur ex cuius complacentia

bonum in communi desideretur, Alias bonum quod est finis ultimus, in alium finem non ultimum referretur, ipsique ut priori volito subordinaretur.=

Praeterea. qua facilitate arguit, quod complacentia nostri, est aliquid commune, et quasi transcendens, ac proinde non specificans actus illos essencialiter diversos, quibus nobis bona illa concupiscimus, possumus dicere quod complacentia personae alterius sit praedicatum commune, et transcendens respectu actuum, quibus illi caetera volumus bona. Et Probatur efficaciter: quia si utrobique ut iste author docet est idem amabilitatis fundamentum, et motivum, eademque diligendi ratio, ergo sicut complacentia nostri non tollit specificam varietatem, plurium illorum actuum; sic nec complacentia amici. Vel e converso, si unitas rationis formalis in amico apprehensa est ratio adequate specificans reliquos actus, tantumque materialiter, et secundario, respicit bona illi concupita per ipsos: cur non etiam unitas rationis formalis diligendi in seipsum amante existens, quae urgentius movet ad caeteros actus quam bonitas alterius.=

Respondebis, amorem nostri, naturalem, et facillimum esse, ideoque habitu non egere sicut indiget amor amici, propter specialem difficultatem, quae est in dilectione alterius. Et contra actus, quibus nobis temperantiam v.g.a castitatem, et iustitiam volumus, propter speciales difficultates quas in nostris passionibus experimur, petunt habitus specie diversos, quia essentialiter primario inter se differunt. quae ratio locum non habet in actibus, quibus haec eadem bona amicis desideramus, quoniam velle castitatem, aut temperantiam alteri, non habet difficultates, quas in proprio experimur subiecto, quando eas nobis volumus.=

Haec tamen facile diluuntur. Nam (ut dixi disp. 26. § 204. duplex est amor nostri. Unus est intentio illa boni in communi, seu ultimi finis vage sumpti, sub quo confuse omnia bona desiderabilia concupiuntur, sed nullum determinate, donec ratio vera, vel falsa, bona discernat. Alius est amor horum bonorum in particulari, quae iam ratio, ut convenientia proposuit. Primus actus facilis est, et valde naturalis, ita ut habitu non indigeat: quoniam ad bonum ut sic, nulla apprehensa ratione mali, aut ardui, natura est omnino determinata. At secundus actus, quando scilicet in particulari descendit ad veram beatitudinem quaerendam, mediaque eligenda, ad eius adeptionem requisita, hoc opus, hic labor est. tam in ordine naturali, quam in supernaturali innumerae insurgunt difficultates, quarum quaelibet suam propriam virtutem petit, seu habitum. Utrique tamen actus, vel genera actus (qui possunt sub quolibet plures multiplicari) moraliter pro eadem intentione prima ultimi finis reputantur, magis, aut minus expressa; de bono tamen cuius privatio est et quod primo intenditur obtineri; et non ex vi alterius bonitatis praevolitae et praeconceptae, sicut in amore accidit amicitiae.=

Secundo. quomodocumque procedat amor iste naturalis nostri, tanto efficacius et potentius movetur ad caeteros actus, quanto magis naturalis et naturae consonus fuerit, ergo sicut complacentia amici praeexistens movet ad caetera alia bona illi appetenda, tamquam materialia, et secundaria, atque adeo tamquam ad actus spectantes ad eamdem virtutem amicitiae: sic amor nostri, si eodem modo praeexisteret, moveret ad omnia bona, quae nobis ex desiderio quaerimus tamquam ad materialia, et secundaria amori nostro subordinata. Qui amor, etsi habitu non indigeat propter facilitatem, et naturalitatem suam; habet tamen quantum ad actum propriam speciem, secundum quam posset praecedere, [illegible] movens, seu imperans alios, ad modum quo complacentia amici caeteros actus subsequentes causat, ergo cum in hoc amor nostri, et amici assimilari non possint; etiam nec in eo quod finaliter intendit.=

Neque valet aliquid ratio illa, quod bona quæ nobis volumus, castitatem v.g. temperantiam et fortitudinem, respectu nostri suppositi, habent speciales, et valde diversas difficultates, quas non habent in actibus, quibus illas amico desideramus, nisi unam tantum. Etsi enim de his bonis id verum sit; sunt etiam respectu amici plura alia, quæ illi desiderantur, quæ diversas habent difficultates, et eas nihilominus vincit amor, ut sunt divitias liberaliter effundere: vitam, vel salutem, manifesto periculo pro eo exponere: personas quæ ad amicum pertinent diligere, et si aliàs nobis odibiles sint, seu adversæ. Et econverso, quæ nobis grata et chara sunt respuere propter amicum. Sicut ergo has, et similes alias ingentes difficultates superat unus amici amor, sibique hos omnes actus, tamquam secundarios, et imperatos connectit, et sub eadem amicitiâ comprehendit: sic vinceret amor noster, qui potentior, ac naturalior est, omnesque in se traduceret et connecteret affectus, ergo si id non facit ut ostensum est, ex dispari ratione illius iam declarata, et insequentibus amplius elucidanda id provenit. ==

Sectio 2.a Quæ sit benevolentia, amicitiæ propria, et quod genus ad illam.

Dicendum ergo est primo, discrimen Ægidij si recte explicetur verum esse. Ad cuius intelligentiam iterum animadverte, quod dicta disp. 26. a § 200 observavi, quod sicut duplex est amor; complacentiæ scilicet de bonitate iam habita: et desiderij de ea quæ futura optatur: sic duplici(ter) posse aliquem moveri a bonitate personæ, quam amat. Primo. illi desiderans, quod bona sit et ad hunc finem illi omnia requisita, et partes huius bonitatis exoptans. Et in hac consideratione et si nulla bonitas præintelligatur in persona amata, immo potius malitia et privatio, potest efficaciter illi bonum desiderari, et conferri, et ex ipsa miseria occasio sumi ad miserendum, benigniter diligendum: sicut cum Deus vult impium iustificare. ==

Dices. Deum, tunc moveri a sua bonitate, in se ipso præexistente. Fateor, quod tamquam a fine ultimo, semper a se moveatur: sed etiam ad bonitatem creaturæ sua intentio terminatur, tamquam ad finem proximum, propter se volitum. Ut late materia de voluntate eius, 1o p. dicitur. Hæc enim est generalis conditio, in omnibus actibus tam divinæ, quam creatæ voluntatis quod ad finem ultimum referantur, quod non tollit proprias, et varias ipsorum rationes, in ordine ad obiecta, et fines intermedios. ==

Præterea ratio efficax et a priori est; quia amor non petit necessario, quod sit de bonitate præexistente, nisi tantum obiective in intellectu eam voluntati proponente. Amare enim est velle bonum alicui, si sit bonum iam præexistens, terminat complacentiam, si sit tantum possibile excitat sui desiderium, moveturque voluntas ex pulchritudine apprehensa; semperque est verum in quolibet casu, quod bonum sit motivum obiectum voluntatis. ==

Sed potest secundo amari aliqua persona, non ut bona sit, sed quia bona est, digna que supponitur ut ad sui amorem alliciat. Ut patet in amore quo Deus electos, et iustos ex amicitia prosequitur, eisque præmia retribuit. Prior amor est causa bonitatis, quam appetit ut formali obiectum. Posterior vero, non causat, sed supponit causatam, et ex illius complacentia, movet ad alia bona illi secundario desideranda. Unde etiam hic amor bonitatem saepius causat sed secundario, in quo a primo discernitur qui primario illam efficit. ==

Ex quo constat iam in quo sensu verum sit discrimen Ægidij. Amor enim, quo quis se ipsum diligit, et si aliquando possit fundari in bonitate præquisita in se ipso animadversa

quod ipse non excludit) hoc non est necessarium, sed amor ex parte dilectione primi generis omnia bona possibilia sibi naturaliter appetit, non quia dignus est, sed ut dignus sit, quia hic affectus ad appetitum innatum iam dictum consequitur. Amor vero amicitiae, vel alterius propter ipsum, pro ut ad amicitiam spectat, necessario in eo aliquod amabilitatis fundamentum supponit amabilitatis quod sit illi extra appetendi ratio. ══

Benevolentia efficax, seu per modum desiderii, non potest esse prima xius amicitiae actus.

Ex dictis secundo assero, a ratione propriae amicitiae quoad actum primarium illius, excludi, non tantum concupiscentiam, quae propriam appetentis commoditatem affectat, sed etiam benevolentiam quae alteri bonum desiderat, ut ille bonus sit. Haec enim beneficentia non amicitia dicitur. talis est benevolentia qua Deus peccatores redemit, eisque voluit gratiam conferre, et qua quis ex liberalitate, aut misericordia alteri beneficia largitur. Ratio est. quia benevolentia amicitiae propria principaliter diligit amicum, quia dignus est, et bonus: nam consistit amicitia in unione quadam affectiva animorum, fundata in similitudine, et communicatione eorumdem bonorum, ratione cuius mutuo sibi invicem complacet uterque in bonitate alterius. ══

Sed obiicies. Ergo iam datur benevolentia alterius propter ipsum, quae amicorum non sit: huiusmodi est benevolentia illa efficax, quae potest esse, propter alterum, et mutua, invicemque utrique, ergo conveniet illi tota amicitiae definitio: ac proinde, vel haec erit diminuta vel falsa doctrina posita. Declaratur exemplis, discursus iste: nam benevolentia qua servus prosequitur dominum suum, non intuitu alicuius commoditatis, aut retributionis, sed ab eius dignitate, et nobilitate obligatus; et qua subditus diligit Principem suum, propter eius excellentiam; et qua Religio Deo, gloriam, honorem, cultum, et adorationem vult, propter supremam eius Maiestatem, increatamque excellentiam; huiusmodi aliaeque innumerae amicitiae non sunt et sunt alterius propter ipsum, nec deficit illis mutua reddamatio; nam eo ipso quod servus Dominum suum diligit, et creatura Deum, meretur quod ex gratitudine, et propter eius fidelitatem et optimum affectum a Domino reddametur. ergo vel definitio amicitiae, vel nostra doctrina corrigi debet. ══

Respondetur 1º. per illam particulam, propter ipsum non explicari benevolentiam specificam, et amicitiae propriam, sed benevolentiam genericam, quae tantum ab amore concupiscentiae amicitiam. sic D. thomas infra. q. 27. art. 2. quaerit, utrum amor charitatis (idemque est de qualibet alia amicitia) sit idem quod benevolentia. Et respondet, quod latius patet benevolentia, quam amor amicitiae proprius. Potest enim esse benevolentia subita per modum passionis inclinantis cum quodam impetu in suum obiectum. Vel simplex affectus voluntatis cito transiens; amicitia autem addit quamdam unionem secundum affectum amantis ad amatum, inquantum scilicet amans aestimat amatum quoddam modo, ut unum sibi, vel ad se pertinens, et sic movetur in ipsum. Itaque ea benevolentia amicitiae propria dicitur, quae affectu firmo, et permanenti, fuerit mutua, et mutua utrique, fundataque in communicatione eorumdem bonorum. ══

Propter hoc enim amicus dicitur alter ipse; quia non satis est, unus, vel alter dicitur, sed voluntas ita firma, et perfecta, quod per eam requiritur non facta utriusque unio, aut quasi unio, qua propter amicitiam sic describit Caietanus. Est sanctorum animorum, voluntatumque con

consensus. Et Cicero in lib. Amicitia ait, nil aliud est, nisi omnium divinarum, humanarumque rerum cum benevolentia, et charitate summa consensio. Ex quibus, et similibus verbis constat non unum, vel alterum complacentiæ actum de bonitate alterius amicitiam facere, et si ad illam disponat.=

Ex quo ad exempla opposita respondes. benevolentiam servi ad Dominum, et subditi ad Principem, consequenter Religionis ad Deum, non esse mutuam, et unitivam utrimque, nec fundari in æqualitate, et communicatione, eorundem bonorum, sed per se disparitatem, et inæqualitatem respicere inconnubiali, cæterisque amicitiæ conditionibus. quod amplius sic explico; nam benevolentia mutua et unitiva petit reddamationem, eiusdem rationis, quod non invenitur, in exemplis adductis: quoniam ratio, quæ servum movet ad Domino serviendum, aut ob superioritatem reverendum, non est in Domino ut mutua benevolentia servum prosequatur, sed alia valde diversa: servum enim movet dominium, et superioritas, et Dominum fidelitas, et obsequia servi. Similiter Religio, movetur ex summa Dei maiestate et excellentia, et Deus ex creaturæ humilitate, et profunda subiectione ad ipsum, quæ rationes longe diversæ sunt ut unionem, et reciprocationem inferant, eumdemque spiritum constituant, est amicitiæ proprium.=

Hinc constat ratio, quare amicitia fundamentum dicatur habere in communicatione eorundem bonorum, et quod debeat esse aliquomodo inter æquales, ut scilicet detur locus huic mutuæ benevolentiæ eiusdem generis, vel ex eodem motivo se invicem diligentium. Unde licet in genere rei, amici soleant esse valde inæquales, in genere tamen obiecti dissimulatur, quatenus eodem modo se diligunt; non attendendo sæpius ad causas inæquales, quæ alias inter interveniunt. Propter quod dixit eleganter Horatius, Non bene conveniunt, nec in una sede morantur, Maiestas, et Amor. quomodo autem in amicitia ad Deum hoc intelligi debeat dicetur postea.=

Quo pacto benevolentia alterius propter ipsum, amicitiam constituat.

Quia vero multi his verbis explicare solent amicitiæ rationem, nempe quod quis alterum diligat, propter ipsum; sicque charitatem sæpius declarare solemus, quod sit amor Dei propter ipsum, idcirco prænotare oportet. quod particula propter ipsum, vel potest significare causam finalem, cuius gratia, et amore aliquid fit, et cuius causalitas, est ipsamet voluntatis affectio. vel potest significare aliud genus causæ, moraliter aut physice obligantis voluntatem. Primo modo benevolentia alterius propter ipsum ad amicitiam spectat; magisque adaptari solet particula propter, ad causam finalem, quam ad aliud genus causæ.=

Sic communiter declarant Philosophi antiqui, amicitiæ rationem, per benevolentiam scilicet, quæ tantum ex motivo benevolendi procedit, hoc est, finem in amore ipso amici constituit. Sic hispane dicitur, amicitia esse entre dos que se quieren bien, id est quorum finis est se invicem diligere, aut bene velle. Idcirco amicitia amor gratiosus dicitur, quia ex pura gratia, et complacentia amici tamquam ex fine movetur. Licet enim ad amicitiam conciliandam præcesserint causæ extrinsecæ, et motiva præcognita, voluntas postea quasi suo amore captiva nec ad illas attendit, sed tantum ad dilectionem in qua quiescit. Idem proportionabiliter dixi, tractando de fide, disp. §. Hac enim de causa velatis oculis depingitur amor, quia iam, non tam movetur a ratione, quam a seipso, ex intrinseca inclinatione sua ductus. Confirmant doctrinam hanc Tullius 8. Ethic. cap. 3. et 2. de finibus. Et Arist. 2° Rhetor. cap. 3. et 4. et 8. et hic cap. 2. et 3. ubi ait. tunc proprie amici sunt cum bona amicis ipsorum gra=

gratia volunt. Et S. Bern. sermone 83. in Cant. eleganter satis, ait. Amor per se sufficit, per se placet, et propter se. Ipse meritum, ipse premium sibi est amor. Preter se non requirit causam, non fructum, fructus ejus, usus ejus. Amo, quia amo. Amo ut amem. Et supra, ab amando quippe amor, non ab honorando denominatur. ==

Est optimum exemplum ad discernendum utriusque benevolentiæ modum, quod in methaphisica, inter scientiam practicam, et speculativam adnotatur. Et si utraque scientia sit, per speculativam scimus, ut sciamus, et per practicam scimus, ut operemur. Hoc est, speculativa ipsum scire, vel se ipsam ut finem respicit. Et id circo nomen scientiæ illi antonomatice et per excellentiam tribuitur, ut in logica explicui, in ea divisione, qua omnes cum Aristotele habitum intellectualem distribuunt, in intellectum, sapientiam, scientiam, artem, ac prudentiam. Ubi per scientiam speculativam intelligunt, et per artem, et prudentiam scientias practicas. Ut satis ibi probavi. Finis autem scientiæ est alicuius operis constructio, et propter hoc ars appellari solet. ==

Sic pariter per benevolentiam amicitiæ propriam amamus, ut amemus. Ut ait Bernardus relatus, quia solum ex motivo benevolendi, tunc operamur. Per benevolentias autem illativam [illegible] amamus ut honoremus, vel obediamus, aut debitum impleamus, ita ut finis non sit amor ipse, sed aliquid aliud. Qua propter antonomatice, et per excellentiam amoris, et benevolentiæ nomen soli amicitiæ accommodatur. Hinc enim constat alia ratio, qua re Religio, et quamquam benevolentia servit ad Dominum, ad amicitiam non spectet, quia non movetur ex complacentia excellentiæ Dei, aut Domini. Sic enim esset Religio virtus theologica, et ad charitatem pertinens, si ut obiectum motivum increatam Dei excellentiam respiceret, et ex complacentia illius, ad cultum ei exhibendum moveretur. Movetur ergo Religio non ex proprio amore divinæ excellentiæ sed ex alia causa extrinseca, ex lege scilicet moraliter obligante, seu proponente Deo ex iustitia cultum, et adorationem deberi. Unde talis excellentia, non tam ut prevolita, quam ut precognita, vel ut intimata, tamquam lex est honorancia, vel obsequium debitum illi prestandi. ==

Vulgares quædam acceptiones a vera amicitia excluduntur. ~

Ex dictis Arist. et Tullius citati, duplex aliud amicitiæ genus in ore vulgi a vera amicitiæ ratione rejiciunt. Eam scilicet quæ ex bono amici propriam aliquam sibi quærit commoditatem, quæ dicitur amicitia utilis. Et eam quæ propter voluptatem aut delectationem, quæ sibi redundat in amici bonitate complacet, obidque delectabilis nuncupatur. Istæ enim ab omnibus, amicitiæ appellantur, non quia propriæ, sed quia frequentiores; et sepe ita similes, et veræ amicitiæ proprietates, et convictum imitantes, ut vix a bea discerni valeant; sed tandem in propriam resolvuntur utilitatem, aut commoditatem. Unde ad concupiscentiam simpliciter spectant. Continet nihilominus vera amicitia alias duas altiori quodam et eminentiori modo: nam veri, et honesti amici, sibi mutuo sunt maxime iucundi, et utiles quamvis non propterea sint amici, sed secundario id illis adveniat. Ad amicitiam, inquit Seneca, epist. 9. fert amicum nulla utilitas sua, sed naturalis irritatio: nam ut aliarum rerum nobis innata dulcedo est: sic amicitiæ. Est enim voluptas, et iucunditas, inseparabilis amoris proprietas. Et utilitas effectus, quibus ipsa amicitia manifestatur, immo, et augetur: sicut ignis [illegible] applicatione novæ materiæ. Licet enim amicus id non quærat, sed amici bonitatem, et

et ~~benevolentiam~~ voluntatem, quia tamen in sui beneficijs, aut exterioribus signis, vo luntas, ac bonitas splendet alterius, illis consequenter ignis amoris fervet. = Sectio 3.a obijciuntur et resolvuntur nonnulla. =

Sectio 3.a obijciuntur, et resolvuntur nonnulla. ~

Contra dicta obijcies. Multa demonstrantur communiter a Philosophis de amicitia, quæ non necessario inferuntur ex hac mutua benevolentia a nobis declarata, ergo non continetur in ea, formalis amicitiæ ratio. Patet consequentia. Nam essentia amicitiæ, talis debet esse, quod sit radix, et primum principium omnium attributorum, ac proprietatum, quæ certo, et evidenter demonstrantur de illa. Et antecedens probatur. quia de amicitia demonstratur quod sit inter æquale; quod taliter utrumque uniat, quod habeant idem velle, et nolle eadem bona, et mala, eosdem amicos, et inimicos, ut 9 Ethic. ait Philosophus; sed possunt duo non sic per amicitiam uniri, immo et alias inimici reciproce sibi complacere in aliquo bono in utroque existente, ergo non satis declaratur amicitiæ ratio, per mutuam benevolentiam dictam; quia non qui sibi invicem in aliquo bono studij, v.g., aut militiæ, tenentur statim amicitiam inire, aut in cæteris totaliter uniri. =

Respondetur. Benevolentiam amicitiæ propriam, terminari ad bonitatem, alterius, non quancumque, sed quæ illum faciat, simpliciter gratum, et amabile, et totum cor, et affectum rapiat, et uniat, consequenterque excludat in eo aliquid movens ad odium, seu ad offensionem gravem. Hoc enim significant particulæ, propter ipsum. vel gratia ipsius hoc est propter bonitatem personæ, quæ est simpliciter grata, et digna tali amore. Qua propter, et si Deus complaceat sibi de fide et spe peccatoris, et peccator de Dei misericordia, et bonitate, non est sufficiens talis benevolentia ad amicitiam, neque est propriæ mutua: nam ex parte creaturæ, non est bonitas, nisi tantum secundum quid, quia peccatum mortale efficit illam simpliciter indignam, et motivum odij, et sola gratia sanctificans reddit simpliciter gratam et obiectum congruum divinæ dilectionis. Et si alias peccata venialia secundum quid ad aliquam displicentiam moveant. Sic enim inter homines experimur aliquos simpliciter inimicos se mutuo benevolos demonstrare quantum ad aliquod bonum, aut valorem, in quo similes, se animadverterunt. Et econtra aliquos simpliciter amicos, defectus aliquos minoris momenti aversari, et velle unum in altero reprehendere, ad eorumque displicentiam sepe moveri. Negari tamen non poterit has esse imperfectiones, quæ licet amicitiam non rescindant, eam imperfectam, aut infirmam reddant, sicut iusti, et amici Dei si peccata aliqua venalia in se admittant, infirmi, et imperfecti iuxta eorum mensuram dicuntur. =

Ad cuius maiorem claritatem est insuper advertendum, quod sicut in quavis alia virtute, sunt inceptio, progressus, et perfectio, sic in amicitia. Et ideo sicut in quavis alia præcedit quasi parva scintilla, aut dispositio proxima, simplex quædam complacentia obiecti, quæ imperfectum quid est in genere virtutis, et quasi semen illius, aut motus primus, seu inchoatio voluntatis; postea vero paulatim progrediens transit ad desiderium efficax, ad electionem mediorum, ad remotionem impedimentorum usque ad ultimam exequtionem firmiter perseverans, et tunc obtinet, nomen et statum virtutis. Sic in amicitia ut parva scintilla et imperfecta dispositio, præcedit mutua quædam complacentia bonitatis utriusque quæ pro-

postea vel extinguitur ad quamcumque difficultatem insurgentem, vel accenditur, et augetur paulatim, non obstantibus quibuscumque, desiderans efficaciter amicitiam inire, media eligens, beneficia scilicet, et obsequia, quibus amico complaceat, et ab ipso reddametur; donec tandem unio affectiva animorum, inter utrumque consummatur, et tunc nomen, et amicitiæ statum meretur, fit que uterque alteri simpliciter gratus, non antea, nisi tantum secundum quid. ═

Docuit totum ita Aristoteles 3. Ethic. cap. 3. ubi ait. qui vero celeriter ea inter se mutuo faciunt, quæ ad amicitiam attinent, volunt quidem esse amici, sed non sunt, nisi sint et amabiles, et id ipsum sciant. Amicitiæ namque voluntas non amicitia celeriter fit. Hæc igitur, et tempore, et cæteris perfecta est amicitia. et per hæc omnia fit. Tullius etiam in Lelio. tempore ait, et consuetudine, opus est, nam secundum proverbium non fit, (hoc est amicitia) prius quam simul consumant dictam salis mensuram mutuo. Nec immerito tam longa mora ad amicitiam exigitur, ubi tam intima, et totalis animorum unio, et omnium studiorum concordia intercedere debet. Experimur enim ad perficiendam hanc unionem, et amicitiam hominis cum Deo, nec totius vitæ longeuæ exercitia satis esse. ═

Declaratur hoc amplius ex ultima definitionis particula, qua dicitur de amicitia, quod sit non latens, sed sibi inuicem nota, quæ non fuit posita ad declarandam illam communissimam voluntatis. Nihil volitum quin præcognitum; quia cum transcendat omnes voluntatis actus, non fuit maior ratio, cur in definitione amicitiæ, quam aliarum virtutum adnotaretur, fuit ergo specialiter contracta ad declarandam amicitiæ rationem, quæ non solum utriusque amici bonitatem præcognoscere debet. (in quo cum alijs voluntatis actibus conuenit) sed etiam mutuam importat cordis traditionem, et secretorum reuelationem, qua amici se inuicem communicare, et patefacere debent, ut integram fruitionem, et possessionem, unusquisque suo modo respectu alterius habeat.

Non solum beneuolentiæ obiectum, sed beneuolentia ipsa debet esse non latens, et sibi inuicem nota, ut unitas hæc affectiua, seu animorum traditio, subsistere possit. Nam beneuolentia ipsa, utrumque facit amans, et amabile, ideoque est commune Philosophorum proverbium, si vis amari, ama, quia hæc beneuolentia amicitiæ propria non solum mutua dicitur, quia in genere rei, est reciprocus amor unius, respectu alterius bonitatis, sed etiam formalius in genere obiecti, quia amor unius terminatur, ad amorem alterius, ab eoque mouetur et accenditur: sicut ignis ab igne adaugetur. Sic igitur utriusque unio in affectu, sicut est perse intenta, est perse nota; nam unio spiritus, non nisi medio intellectu, et voluntate fit. Propter hoc enim communiter, definitur amor, quod sit affectus unionis, quia illam tamquam finem intendit; prius illam esuriens, et sitiens, et postea fruens, quæ unio non realis, sed affectiua, et intentionalis dicitur. ═

Quo pacto amicitia in bonorum communicatione fundetur.

Ex dictis constat iam, quomodo amicitia, bonorum communicationem exigat, antecedenter scilicet, concomitanter, et consequenter. Antecedenter quidem, quia beneficia mutuo accepta, eorumque retributio, et gratitudo, cum sint aperta amoris, et bonitatis indicia sæpius amicitiam generant etiam inter eos qui erant inimici. Conuenientia etiam, aut similitudo valde conferre solet ad amicitiam conciliandam. Sic Pater, et filius, sic coniuges et fratres

propter conuenientiam in sanguine inuicem sunt amici; sic conciues mercatores, et qui in quo uis alio officij, aut instituti genere conueniunt. Societas enim, et contubernium, solet illos facere amicos, si principaliter ad emolumentum non attendant, et ad commoditatem, quę ex tali societate cuilibet resultat, sed ad bonitatem alterius, quę occasione, et experientia huius societatis et conuictus, vnicuique fuit explorata. =

Sic etiam in ceteris similitudo in moribus, aut virtutibus, aut litteris, aut quauis arte frequentius amicitiam generat; quia sicut naturaliter propria bona placent, sic et in quocumque alio inueniantur. Cum tamen placeant, non sub illo respectu, quia ram se principaliter respicerent, sed quia placent illi bona alterius, ad quę naturaliter illum induxit similitudo. Sic quoties Pater filium diligit, proprij honoris intuitu, vel quatenus est aliquid ad se pertinens: et coniux, coniugem ob propriam delectationem amore prosequitur, non verę amicitię, sed concupiscentię affectum, pro tunc exercent. =

Ex hinc Arist. quia hoc non tollit, quod etiam amicitiam veram aliquando habeant, et quod interdum propria delectatio affectum, vel appetitum rapiat; interdum vero sola bonitas alterius, interdum vtrumque, vnum primario, et secundario alterum. Sępe etiam concupiscentia ad amicitiam disponit; sicut spes ad charitatem, vt suis locis dicetur. Nam beneficia ab alio accepta, sicut sunt bonitatis, et amoris indicia, sic, et amicitię incentiua, vt dixi. Et sicut communicatio in eisdem bonis, aut societate amicitiam in ceteris inducit, sic a fortiori, in coniugibus, aut consanguineis. =

Comitanter dicitur, amicitia respicere communicationem [deleted] bonorum; quia nihil magis verę amicitię proprium, et intrinsecum, quam prospera, et aduersa amici vt propria sentire, et ęstimare, quoniam illum vt se ipsum diligit; ac proinde habent eadem bona, et mala, sicut idem velle, et nolle. Consequenter item, eadem bona respicit, quia amor mutuus causa est mutuę beneficentię, ac proinde, quod omnia cuiuslibet, amici sint communia. Beneficijs enim, et obsequijs demonstratur, et augescit amor; sicut ignis ex lignis. Nam sicut amor sui propriam quęrit semper vtilitatem, ac commoditatem, sic amor amici eandem illi semper solicitat. Neuter tamen ex beneficiorum [illegible] permouetur, sed ex bonitate, et amore, in eis splendente, ad quod duntaxat attendit amor. =

Sed obijcies. Contra primum modum, solum amari dissimiles: id enim appetimus cuius priuationem habemus, quia priuatio est causa appetitus. Ideo enim terra quando est arida appetit imbrem: deformis appetit pulchrum: et ignarus appetit doctum; E contra etiam experimur sępe contrarios, qui in eodem officio communicant, ita vt sit prouerbium commune, ille est tuus inimicus, qui est tui officij. ergo. =

Sed ad primum respondet Arist. amicitiam vtilis, et delectabilis, posse inter dissimiles intercedere, quia de his tantum conuincit illa ratio, non autem de amicitia honesta, et cum hęc sit tantum vera, et propria amicitia, absolute dicendum est, similitudinem ad amicitiam exigi: quia vnio affectiua, seu mutua complacentia vtriusque amici intelligi nequit, nisi in aliquo bono conueniant, et assimilentur. Non est autem necessaria similitudo in omnibus, sed in aliquo, vt consurgat amicitia: sic quando ignorans amat doctum, si non ex vtilitate addiscendi ex illo moueatur, non diligit illum vt dissimilem omnino, sed prout in aliqua alia ratione in moribus [illegible] similem. similiter quando deformis pulchrum appetit, vel mouetur ex voluptate; et sic ad concupiscentiam, et non ad amicitiam pertinebit: vel diligit illum, quatenus alias in aliquo appe

aspectibili conueniunt, quod intendimus. =

Ad secundum facile respondetur. quoties eiusdem instituti, aut officij professores inuicem contrarij sunt, id minime ex similitudine prouenit, sed per accidens contingit ex eo quod alter alteri lucrum impedit, aut minuit, quod ~~contingit~~ ex officio acquirit. Et licet verum sit amicitiam semper esse inter similes, non econtra similes semper amici sunt nam ex varijs causis aduersarii inuicem experimur sepe. =

Tandem contrauerti solet, et dici amicitiam inter equales esse, sed Aristoteles rem melius speculatus. capite 7. docet, et vere, aliam esse ~~[illegible]~~ amicitiam communem equalitatis simpliciter. Aliam vero excellentie. Primam interuenire, inter eos qui eiusdem sunt conditionis, vel parum se excedunt, inter quos beneficiorum, et amoris equalitas intercedere potest, et debet. Et de hac adminus intelligitur illud S. Hieronimi in caput 7. Michee. Amicitia pares accipit, aut facit. Et illud commune prologuium. Non bene conueniunt, neque in vna sede morantur, maiestas, et amor. Secundam ait, esse inter eos, quorum vnus alterum dignitate excedit, vt inter Regem, et subditum, quando inuicem speciali, et mutua beneuolentia se diligunt, inter Patrem, et filium, et alios huius modi, inter quos iuxta rectam rationem, non debet esse equalitas absoluta officiorum, sed proporcionalis tantum, seruata, et attenta persone equalitate quod genus amicitie manifesta experientia testatur. =

Declarari quod vtraque potest a simili de iustitia commutatiua, et distributiua, quarum prima equalitatem absolutam respicit: secunda vero proportionalem, iuxta personarum dignitatem, Neque est rationi consonum, quod inter personas ita inequales sicut Rex, et subditus, Pater, et filius equalis honor, subiectio, et reuerentia intercedat. Addit tamen Aristoteles tantum posse excessum esse vnius respectu alterius, vt amicitie repugnet, eamque dissoluat, idioque inter Deum, et hominem consistere non posse. Sed de hoc sit. =

Sectio 4a. Vtrum inter Deum, et homines vera possit amicitia consistere. =

Declarato iam nomine, et amicitie ratione, ad conclussionem articuli, proximus accedentes, qualiter inter Deum, et homines intercedere possit restat examinare. Partem negatiuam docuit aperte Aristoteles. capite 7. citato, et lib. 2. magnorum. mor. cap. 11. vbi quamuis concedat amicitiam superexcellentie inter inequales, addit debere esse aliquam proportionem, quod si sit summa et infinita distantia, qualis est inter Deum, et homines, amicitia repugnat. quod ex adagio illo relato: Non bene conueniunt, neque in vna sede morantur maiestas, et amor. =

Preterea, si proportio hec non esset requisita vel quecumque inequalitas, posset amicitiam superexcellentie fundare, inter Deum et seruum vera esset amicitia, quod negant omnes. Immo, et Ioan. 15. iam non dicam vos seruos, sed amicos, vbi quasi rationes oppositas eas supponit, ergo cum Deus sit creaturarum Dominus, eiusque authoritas ita suprema vt infinite sit illis inequalis, et dissimilis, immo quamcunque creatam dissimilitudinem amicitie repugnantem longe superans, non poterit respectu illius vera esse amicitia: si enim, inter hominem, et equum repugnat propter distantiam, quanto magis inter Deum, et

et homines, ubi maior est distantia.

Secundo. ex definitione amicitiæ id ostenditur. Est mutua benevolentia non latens, bonum utriusque amici respiciens propter se: hæc autem inter Deum verificari nequeunt. Primo. quia homines nullum bonum Deo velle possunt, cum nullo bono ipse careat, aut capax sit aliquid de novo recipere, immo sit omnium supremus Dominus ratione cuius solum titulo servitutis et iustitiæ illi cultus et honor conferri potest. Secundo. quia iusti sæpe ignorant, an diligantur a Deo immo, etiam diligant ipsi Deum, teste Eccl. 9. Nemo scit. utrum odio, vel amore sit dignus: ergo ex hac parte deficit amicitiæ ratio quæ debet esse non latens.

Tertio. Deus non potest homines diligere propter ipsos, ut amicitiæ postulat definitio. tum. quia omnia vult, et operatur propter semetipsum. ut Proverb. 16. dicitur. tum etiam. quia velle divinum, ut 1ª pte dicitur q. 19. non potest specificari tamquam a motivo, ab aliquo bono creato: specificaretur autem, si creaturas aliquomodo respiceret propter ipsas. Nam illud obiectum. (ut ex 1ª 2ª. suppono) comparatur ad voluntatem, ut motivum, et specificans, quod ab illa propter se intenditur ut finis, ergo, inter Deum, et creaturas multiplici titulo amicitia repugnat. quod autem velle divinum non possit a creaturis speciem accipere, patet. quia increatum ab aliquo creato non potest aliquod genus dependentiæ habere, neque summe necessarium, cum re contingenti per se connecti.

Denique si charitas esset forma constituens homines Dei amicos, sequeretur, vel quod esset forma iustificans, sicut gratia, cui hoc munus tribuitur, vel quod esset duplex iustificationis forma, vel duplex amicitia ad Deum, quæ omnia falsa esse demonstratur materia de iustificatione.

Sed ad hoc ultimum. facilis est responsio ex eadem materia. ubi probavi charitatem accidentaliter, et secundario iustificare, quatenus est proprietas complens iustificationis formam, ad modum quo intellectus. accidentaliter, et secundario constituit, et complet animam in esse rationalis: sic igitur complet charitas rationem amicitiæ quæ gratiæ competit, per modum naturæ et radicis, quia principium formale diligendi Deum, et quo mediante gratiam hanc amicitiam exercet, charitas est. sicut enim anima rationalis nullum exercet opus, nisi mediis suis potentiis, sic nec gratia nec opera iustitiæ, nec amicitiæ se sola agit, sed mediis eius virtutibus Theologicis, quæ sunt quasi potentiæ, seu proprietates illius.

Confutatur expositio cuiusdam.

Quidam pressus argumentis relatis asserit Deum non inire cum creaturis exactam amicitiam, qualem adstruit Aristoteles, sed actus quibus creaturas prosequitur, sunt potius amoris sui ipsius, amicitiæ autem in creaturas minus proprie. Esse tamen Dei amorem nobiliorem, et perfectiorem amicitiam, quam Aristotelica, ob nobiliores leges quas servat, referendi scilicet creaturas ad creatorem, Deumque primario diligendi tamquam ultimum finem. quod hoc exemplo declarat: sicut cum ego stipem erogo mendico, ad eum levandum propter bonitatem Dei prius amatam, meliorem misericordiam exerceo, quam si levamen illud amarem propter ipsum, nam bono non exer=

Alterius misericordiam exactam, et propriam, sed charitatem. Ita illa amicitia, quae est ex Deo prius amato, sit melior, non tamen exacta cum proximo. =

Sed contra est. 1º quod amicitia quam dicit Aristotelicam, est quae directe et adaequate continetur, sub definitione quam omnes tam philosophi, gentiles, quam theologi, et Ecclesiae Patres, ad essentiam amicitiae declarandam unanimes recipiunt. Ita que S. Thomas, et D. Augustinus, quoties de amicitia sermonem instituunt, hac definitione, et amicitiae expositione utuntur, eamque tamquam communem regulam charitati accommodant, ut esse veram amicitiam demonstrent; ergo excludere charitatem ab hac definitione Aristotelica, seu amicitia philosophica est absolute ei negare amicitiae rationem. =

Secundo. Dicere, quod sit praestantior amicitia, quae charitati tribuitur, licet alegibus philosophi deviet ob nobiliores leges, quas servat, referens scilicet creaturam ad creatorem, tamquam ad primarium obiectum, est tantum verbis ludere, ut difficultatem evadat. quia vel dicitur praestantior in ratione formali amicitiae; vel quia ad aliam virtutem excellentiorem spectet, quae amicitia non sit, sed longe imminentior illa. Si hoc posterius asserat, tam penitus, ei amicitiam negat, contra expressa, et innumera sacrae scripturae, ac Patrum testimonia, postea adducenda. Si vero primum dicat, debet id ex definitione essentiali amicitiae ostendere: vel si est aliam praeter Aristotelicam illam in medium prodere, quae nondum est ~~amicitia~~ audita. Revera licet altior amicitiae species, qualis est supernaturalis, et ordinis divini assignari possit, debet ad minus, naturalem et physicam amicitiam imitari, et non rationem prorsus oppositam afferre, qualis est amor concupiscentiae, quem argumenta supra facta ostendunt: nam si Deus, non potest creaturas, nisi propter se ipsum diligere, quid magis oppositum amicitiae, quam amor sui, et non amici propter se. =

Neque valet quod Bañez et alii respondent. Deum scilicet non posse habere concupiscentiam sui, quia non amat creaturas propter ipsius utilitatem, aut commodum, ut per illas melior sit, sed ut ipsae sint bonae. quia saltem, negari non potest (ne vocibus implicemus) Deum amare creaturas, primario propter se, et non propter ipsas, et hoc satis est ad concludendum veram amicitiam non esse, sed affectum illi oppositum: nam amor sui, et amor alterius, prout alterius, et absque intuitu sui valde differunt. Nec requiritur ad amorem concupiscentiae, quod sit de bono utili, satis est quod sit de delectabili. Deus autem maximam delectationem sibi captat ex creaturis, quas diligit. ut constat ex illo Prov. et deliciae meae esse cum filiis hominum. Et si verum sit hanc delectationem non competere Deo ex indigentia aliqua, aut privatione, quae in eo supponatur, sicut in creaturis contingit sed ex pura eius libertate, et bonitate, quae ad sui maiorem gloriam, et honorem vult a creaturis adorari, multiplicique obsequio coli. =

Statuitur et declaratur vera sententia.

Est igitur vera amicitia inter Deum et creaturas, satisque expressa innumeris sacrae scripturae locis. Joan. 15. iam non dicam vos servos, sed amicos. Vos amici mei estis. psalm. 138. nimis honorati sunt amici tui Deus. Isai. 4[illegible]. Judith. [illegible]. Jacobi 2. et alibi saepe. Constat ex ratione gratiae iustificantis, cuius praestissimus effectus est hominem reddere

amicum Dei, ut omnes Patres docent, et theologi, materia de iustificatione, traditque Concil. Trident. sess. 6. cap. 7. dicens in iustificat.e hominem fieri, ex iniusto, iustum, et ex inimico amicum. et sess. 2. cap. 1. iustos simpliciter appellat amicos. =

Probatur item, discurrendo per omnes conditiones expositas, quas omnes in amicitia Dei nobiscum invenies. Loquor semper de amicitia ex parte Dei, in qua est fere tota difficultas. Ad hac enim ostenditur primo: nam est mutua beneuolentia ut significatur Proverb. 8. Ego diligentes me diligo, et Ioan. 14. siquis diligit me, diligetur a Patre meo qui amor ex parte hominis, non est tantum ex debito servitutis Deum respiciens, ut supremum dominum, quia sic pertinet ad Religionis virtutem, sed ex motiuo etiam proprio charitatis eum prosequentis solum, quia summe bonus est, et super omnia diligibilis. =

Cuius ratio efficax est. quia sicut gratia dicitur participatio formalis diuinæ naturæ; et sicut visio Beata, diuinæ sapientiæ; sic charitas est participatio formalis diuini amoris, quo Deus se ipsum, et creaturas omnes propter se diligit; ergo idem amor idemque modus illius est in Deo, et in creatura ratione suæ participationis, ac proinde perfecta reciprocatio, et vnio, idemque velle, et nolle sicut ad amicitiam requiritur. =

Neque obstat primum argumentum oppositum, quod homo nihil possit conferre Deo, unde ipse ditior, aut potentior fiat; quia beneficentia, non est formalis et primaria amicitiæ ratio, sed effectus illius dumtaxat, ut iam in superioribus dixi. In complacentia enim de bonitate, ac dignitate amici consistit intrinsece, et essentialiter amicitia: sicque charitas in summa Dei bonitate principaliter exercetur. Nec deest illi loco beneficentiæ multiplex effectus, seruiendi, colendi, et adorandi Deum ex puro charitatis, aut summæ bonitatis motiuo. Beneficentia autem, aut quoduis simile obsequium solum pro amici qualitate, aut indigentia exigitur. =

Rursus ad 2.m argumentum respondeo. quod hæc mutua beneuolentia est non latens, ut constat ex verbis illis Christi. Ioan. 15. iam non dicam vos seruos, sed amicos, quia seruus nescit, quid faciat dominus eius, vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui a Patre meo, nota feci vobis. Et Ioan. 14. qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum. Est item beneuolentia hæc, tam fide supernaturali, quam signis, et experimentis certior omni naturali amicitia. Neque est necesse ad amicitiam simpliciter euidentiam habere de reddamatione alterius, cum nec hoc in amicitia humana contingat. quod si adhuc notitia hæc in hac vita imperfecta dicitur, hoc contingit, ratione status imperfecti viatoris in ratione gratiæ, et consequenter in ratione amicitiæ, perficientur tamen in Patria omnia, eritque amicitia hæc per visionem beatam, summa claritate perspiqua. =

Est etiam inter Deum, et homines communicatio vitæ et actionum, non solum postquam ipse interris visus, et cum hominibus conuersatus est, sed etiam generaliter media oratione, fide, et spiritus sancti donis cum hominibus loquitur et conuersatur, eis sua secreta reuelans, familiariterque diuinis illustrationibus, de pertinentibus ad salutem, et æternam felicitatem eos informans. ut constat. Ioan. 14 ibi. Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Apoc. 4 intrabo ad illum, cenabo cum illo et ipse mecum. perficietur autem eminentius ut dixi hæc conuictus, et conuersatio in cælis. =

Præterea si amicitia efficit vnum, vnamque animam, et voluntatem

in duobus constituit, hoc maxime præstat charitas. Ad 1.um Chorint. 6. qui autem adhæret Deo, unus spiritus est. Mira enim, et stupenda de hac unione, et transformatione animæ in Deum. (ad quam nulla alia amicitia ut unio est comparabilis) docent communiter sancti Patres, ac theologi mistici, de quo disp. ultima, late disseram. =

Rursus, si ex hac unione tamquam fructus, et effectus resultat, quod alter in altero suam voluptatem habeat, quænam amicitia iucundior, quam ista inter Deum, et homines, de Deo dicitur Proverb. 8. delitias suas habere cum filijs hominum, et de creatura rationali manifestum est, aliam Beatitudinem non habere, qua satiari possit et quiescere eius apetitus, præter Deum, qui sicut est summum bonum, est summum delectabile. ==

N.º 11. est tamen necessaria æqualitas in tali utriusque communicatione, et actionum exercitio: quia talis amicitia est superexcellentis, eminenter continens omnem amorem Parentum ad filios, viri ad uxorem, Regis ad subditos, ideoque compatitur cum omnimoda reuerentia, et subiectione ex parte creaturæ. =

Cum autem obijciatur, esse infinitam distantiam, et improportionem, fateor quidem; sed simul est, alias magna conuenientia et similitudo, in moribus, et omnimoda unio saltem in affectibus supposita gratia et charitate a qua sicut habemus fieri diuinæ naturæ consortes, ita et actiones exercere diuinas, quibus non solum in Patria, sed etiam in via unitur arctissime, et transformatur in Deum rationalis creatura; ita ut dicat Apost. ad Galatas 2.º se iam non viuere in se, sed christum in ipso, et quod mortui sumus et vita nostra abscondita est cum christo in Deo. ==

Adagium illud. Non bene conueniunt maiestas, et amor, solum difficultatem significat et supernaturalitatem huius dilectionis, non vero impossibilitatem, ut particula non bene satis indicat, idest difficile, vel raro. Propter quod optime Hieronim. citatus, et Arist. aiunt amicitiam, vel supponere æquales, vel facere, in quo secundo significatur, quod quando non est æqualitas secundum rem, efficit illam secundum affectum, qua tenus amicus uxi suo, cedens alterius que inferioritatem dissimulans ipsum ut aliquomodo æqualem sua voluntate, et æstimatione prosequitur. De Arist. non est multum curandum qui omnia supernaturalia ignorauit. Addi tamen potest in citatis locis non ex propria sententia locutum quinimo cap. 10. et 14. oppositum docuisse. Et 10. Ethic. ait, sapientes, et recte operantes esse dijs amicissimos, et per hæc soluta sunt iam fere omnia quæ contra hanc veritatem obijciuntur. solum 3.º et ultimum argumentum, propter suam difficultatem, et multa alia quæ inculcat ad sequentem sectionem remitto. ==

Sectio 9.ª Varij modi reijciuntur quibus Deus dicitur creaturas diligere propter ipsas.

Tota difficultatis nexus ut constat ex 3.º argumento supraposito, est in conciliando amorem Dei propter se, cum amore creaturæ propter ipsam, quæ duo inter se cohærere non videntur. quam difficultatem, fugiunt nonnulli, distinguentes in Deo duplicem actum, distinctum ratione, quorum unus feratur primario in se, et alter in creaturas propter ipsas. Pro qua sententia citatur Scotus in 4. dist.e 46. q.e 4. aperte distinguens misericordiam Dei a cæteris eius virtutibus propter distinctionem obiecti primarij. Torres etiam disp. 66. Dubio 2. =

Hec tamen sententia impugnatur late, Materia de Dei voluntate. ubi S. Th. q. 19. art. 2. ad 2m, et alibi sepe, obiectum primarium adequatum voluntatis divine, docet expresse esse solam suam bonitatem, excludens omnes creaturas ex tali ratione. Verba eius sunt. Unde cum Deus alia a se non velit, nisi propter finem, non sequitur quod aliquid aliud moveat voluntatem eius, nisi bonitas sua. Idem docet clare in solut. ad 3m. et 4m. et art. 1. ad 3m.

Fundamentum, quo ibi Suntur communiter theologi, est valde efficax. Nihil quod est formaliter in Deo, et ipse Deus, potest speciem accipere ab aliquo creato: Nihilque quod est simpliciter necessarium, sicut ipse Deus, potest necessariam, et perse connexionem habere cum eo quod est simpliciter contingens, sicut est esse creature, ergo solum divina bonitas potest esse motivum, et specificativum obiectum respectu voluntatis divine. Unde in solut. ad 4m art. S. D.or quod sicut intelligere divinum, quia multa non videt, nisi in uno: (hoc est in sua essentia, tamquam in obiecto primario, ut ex materia de scientia probatum supponit) ita velle divinum, est unum, et simplex quia multa non videt, nisi propter unum, quod est bonitas sua. Ubi aperte excludit plures actus ratione distinctos, quia non est nisi unicum tantum obiectum primarium, quod est bonitas sua. Ubi aperte excludit plures actus ratione distinctos. Et in solutione ad 3m art. quod ex hoc quod voluntati divine sufficit sua bonitas, non sequitur, quod nihil aliud velit, sed quod nihil aliud vult, nisi ratione sue bonitatis. =

Secunda aliorum sententia excluditur.

Ex hoc falsum colligitur, quod alij asserunt. Deum scilicet, per eundem omnino actum, quo suam prosequitur bonitatem, diligere etiam primario creaturas, propter ipsas, ita ut bonitas divina, et creata tamquam obiecta eque primaria, et partialia, eundem simplicem, terminent actum. Sed dum unam fugiunt difficultatem, in alias maiores incidunt. In primis aperte pugnat contra S. Thome doctrinam, quam frustra sibi conciliare studet, quidam modernus huius opinionis assertor, cum expresse affirmet Deum solam suam bonitatem ut primarium obiectum sue voluntatis respicere, et nihil aliud extra se intendere, nisi propter ipsam. Constat plane ex illo Proverb. 16. Universa propter semetipsum operatus est Dominus. que verba non essent omnino vera, si aliquando Deus creaturas diligeret, propter ipsas, et non propter se, ut ista opinio asserit. =

Quod amplius sic declaro: Vel Deus per actum, quo diligit suam bonitatem vult creaturas cum subordinatione ad ipsam tamquam ad ultimum finem, ad quem ille referantur per talem actum, et sic erunt tantum secundaria obiecta propter Deum et ratione ipsius volita, ac proinde non primario propter ipsas. Vel ergo Deus vult illas, propter seipsas, et sine subordinatione ad suam bonitatem, terminent formalitatem saltem partialem talis actus, et sic iam falsa est illa universalis propositio, quod universa propter semetipsum vult Deus. =

Respondebis. Utroque modo terminare creaturas illum actum simplicem divine voluntatis, et primario propter ipsas, et secundario propter divinam bonitatem, quia utraque bonitas, relucet in illis, et utroque titulo est amabilis creatura; et cum utraque ratio non sit inter se opposita, aut incompatibilis, respectu eiusdem actus, potest eundem terminare, et affirmationem illam universalem sacre scripture verificare, quia etiam universa que Deus vult, propter ipsa, vult propter se. = Sed licet solutio hec vim fugiat sacre scripture, eo quod

quod universalis illa sit affirmativa: universalis tamen negativa minime potest evadi, qua utitur S. Th. Et cum ex fere omnium sententia, scilicet cum Deus non velit alia a se nisi propter finem qui est sua bonitas. ut art. 2. ad 2um. dicit, et in solut. ad 3um. Nihil aliud vult nisi ratione suae bonitatis. Et ad 4um. velle divinum est unum, quia multa non vult, nisi per unum, quod est bonitas sua.

Ratione item impugnatur efficaciter dicta doctrina. Primo: quia nullum habemus fundamentum, tam in Deo, quam in creaturis, ad distinguendos actus, et attributa, quam distinctionem obiectorum quoties plura non subordinata occurrunt; alioquin nihil firmum esset in omnibus materiis, in quibus de hoc genere agitur: sed bonitas Dei, et bonitas creaturae, ut prop ter se primo diligibilis, sunt duo obiecta per se primo terminantia apud istos authores, et non subordinata, ergo specificant plures actus, ac proinde ad eundem minime spectare possunt. Maior, et consequentia patent, et minor non negatur a sententia opposita. Praesertim quando distinctio actuum est tantum rationis ratiocinatae cum fundamento in re, est evidentior hic ratio, quia negari non potest esse sufficiens fundamentum, ut intellectus concipiat duos actus adequatos cum animadvertit duo obiecta, non invicem connexa, aut subordinata, ita ut aliquo modo unum terminum constituant, sed potius disparata, cum neque in genere rei, neque in genere obiecti unum ad aliud habitudinem dicat. Praeterea obiecta tam infinite distantia, sicut Deus, et creatura, et spectantia ad ordines tam extreme, ac primo diversos, minime specificare possunt, nisi actus quamquam genere diversos: vel ruit fundamentum universalissimum de distinctione specifica actuum, et habituum. =

Responderi tamen potest. Sive actum, quo Deus se et creaturas per se primo respicit, non esse illum, quo se necessario diligit, sed actum liberum, non addens perfectionem, aut speciem distinctam a priori, sed tantum extensionem eiusdem ad nova obiecta, pure terminantia, et sic potest creatura per se primo terminare illum absque specificatione ulla, quae inde inferatur. Sed ex hac solutione sumitur efficax argumentum contra oppositam opinionem; quod videlicet bonitas creaturae, sit obiectum secundarium, et divina bonitas obiectum adequatum primarium. Nam si terminatio ad obiecta libera non est novus actus, sed extensio actus necessarij ad illa; etiam erit extensio motivi talis actus ad illa obiecta, et ex consequenti motivum, et ratio attingendi caetera obiecta, ad quae extenditur talis actus. Quis potest hoc in dubium vertere. Eo ipso quod iste actus necessarius, est qui fertur ad nova obiecta, absque additione novi actus, infertur evidenter talia obiecta secundaria illi esse, et ratione obiecti primarij talis actus ad eum spectantia. =

Quod ergo actus liber minime possit esse a necessario distinctus in Deo late demonstratur. 1a p. materia de voluntate: Nam ratio per quam distingui deberet, est libertas et contingentia, secundum quam talis actus potuit, esse, et non esse; sed repugnat Deo, quod aliquid existens vere in illo, non sit ens summe necessarium: ergo libertas actus divinae voluntatis non potest consistere in aliquo novo, et distincto actu, cuius esse, sit contingens, sed solum in extensione eiusdem omnino actus, quo Deus necessario se diligit, et caetera propter se respicit. Unde sicut in nobis libertas formalis consistit in indifferentia potentiae ad diversos actus; ita in Deo consistit in indifferentia eiusdem purissimi actus ad varia obiecta quae contingenter respicit absque ulla reali, aut formali additione sui. Nam eo ipso, quod admitteremus in Deo actum liberum, a necessario aliquo modo diversum, esset iam contingens, et separabilis ab ipso, et consequenter verum accidens, quae et similia sunt absurda. =

Ex quo tandem sequitur intentum, nimirum quod si actus liber ad creaturas terminatus, solum possit consistere in noua extensione eiusdem actus necessarij, quatenus nouum obiectum contingens connotat: quod tale obiectum contingens solum possit comparari ad obiectum actus necessarij, quod est diuina bonitas, ut secundarium volitum ratione primarij: nam sicut inter terminationes actus ad talia obiecta negari non potest isle ordo quod terminatio ad diuinam bonitatem necessario dilectam sit primaria, et terminatio, seu extensio ad obiectum ~~primarium~~ creatum, sit secundaria, et in altera fundata: sic et inter obiecta terminantia.

Denique conuincitur efficaciter nostra doctrina ex ea quam affert S. Th. et vniuersa eius schola 1a. 2æ. q. 1a. nimirum rationem vltimi finis soli Deo competere posse, ac proinde, per nullum actum licere, quod creatura ametur propter se vltimo, sed tamquam medium Dei gloriæ, saltem virtualiter subordinatum. Inde que ortum fuit vulgatum illud S. Augustini asserrtum: Humana peruersitas est Vti fruendis, et frui vtendis: quia solum Deus tamquam finis simpliciter vltimo fruendum est, et creatura solum tamquam medio ipsi subordinato vtendum, quod nefas est ponere in Deo actum quo creaturas diligat eque primo propter se, sine subordinatione debita ad Deum finem vltimum illarum.

Neque excusatur, sed augetur potius hæc absurditas, ex eo quod ponatur Deum simul et eodem actu amari, quo sic propter se diligitur creatura: quia si non diligitur creatura per talem actum propter Deum, sed immediate ac primario propter ipsam, tamen ex vi talis actus efficitur creatura, finis vltimus partialis, et ex bonitate diuina et creata, vnicus finis totalis, ita vt ex vi talis actus diuina bonitas non sit adequate satians voluntatem sed simul cum creatura, quod est valde absurdum, et maxime respectu voluntatis summe rectæ qualis est diuina.

Confirmatur ex charitatis ratione, quæ tamquam virtus diuina nobis communicatur mediante gratia, vt per illam participemus formaliter velle diuinum, efficiamurque Dei formes; sicut per gratiam reddimur consortes naturæ diuinæ: at hæc igitur Deum tantum diligit primario propter ~~Deum~~ se, et proximum non nisi propter Deum vt semper exponunt sancti Patres, ac theologi omnes, ergo hic tantum volendi modus est Dei proprius, et aliter diligendi creaturas propter se, et non propter Deum valde irrationabilis.

Quod vrgentius confirmatur ex attributis, quæ S. Th. et cum eo omnes theologi communiter tribuunt vltimo fini. q. 1a. citata. art. 5. quærit utrum vnius hominis possint esse plures vltimi fines? et conclusio S. Th. est impossibile est quod voluntas vnius hominis simul se habeat ad diuersa sicut ad vltimos fines. Cuius ratio principalior est quia vltimus finis debet esse bonum perfectum implens, et satians penitus appetitum, quod in solo vero Deo potest consistere, et in aliquo alio extra ipsum inueniri repugnat. quod in sequentibus articulis, et quæstionibus sepissime repetit concludens ex hoc principio solum Deum posse beatitudinem nostram esse quia independenter a quauis bonitate creata appetitum rationalem satiare potest.

Infert item art. 6. Necesse est, quod omnia quæ homo appetit, appetat propter vltimum finem etc. quia quidquid non appetitur vt bonum perfectum, quod est vltimus finis, necesse est, vt appetatur vt tendens in bonum perfectum. etc. secundo.

quia vltimus finis se habet in mouendo appetitum; sicut se het in alijs motionibus primum mouens. Manifestum est autem, quod causæ secundæ mouentes, non mouent, nisi secundum quod mouentur a primo mouente. Vnde secunda appetibilia non mouent appetitum, nisi in ordine ad primum appetibile, quod est vltimus finis. Hæc S. Th. et omnes eius discipuli: ergo cum creatura non sit summum, et perfectum bonum, nec totaliter aut partialiter satiat appetitum maxime diuinum; nec simul cum bonitate diuina vnum primum appetibile adequatum constituat, implicat satis, quod æque primo, et immediate, ac summa bonitas, eundem simplicem terminet voluntatis actum. =

Atque ruit iam fundamentum oppositum, quod bonitas creaturæ est propter se amabilis, et propter Deum: ac proinde sub vtraque ratione potest terminare voluntatem diuinam. Negatur enim quod sit amabilis ut propter se primo, quia impium est in illa vltimum finem constitui, sed tantum propter se secundo, vt postea declarabitur. Nec valet respondere quod iam refertur in Deum per eundem actum, ac proinde nec in illo actu caret tali subordinatione debita. quia vna formalitas opponitur alteri, ita vt si altera est conformis rationi recte, altera est contra illam; quia non est tantum peruersitas in negatione relationis creaturæ ad Deum, sed etiam in affirmatione dilectionis illius, vt vltimi finis, vel in hoc quod ipsa creatura æque primo intendatur, ac si simul cum Deo vnum adequatum primum appetibile constitueret. hoc enim voluntati rationali creatæ dissonat, quanto magis diuinæ. Opponitur etiam vna formalitas alteri: nam eo ipso quod refferatur creatura ad Deum tamquam medium essentialiter illi subordinatum, non potest vnquam simul, et æque immediate vnum primum appetibile cum Deo componere. =

Sectio 6. declaratur iam quo pacto Deus creaturas exacta amicitia diligat. ~

Constat ex dictis quid ad propositam difficultatem sit dicendum. Et si enim Deus, omnia in se ipsum vt in finem vltimum dirigat, quod negari non potest, et propter se ipsum operetur tamquam propter primam operandi rationem, diligit nos nihilominus amore amicitiæ. quia non est de ratione amicitiæ, quod constituatur vltimus finis in amico, satis enim est quod gratia sui ametur, siue vt finis vltimus, siue vt intermedius. Neque amplius postulat eius definitio, imo potius cum amicitia sit virtus (vt inferius dicam) de ratione illius est quod amicum creatum diligat propter Deum, siue explicite, siue implicite, et quod finem solum natura sua proximum ordinet ad ~~finem~~ vltimum: quia vnus alterum non excludit, sicut nec species excludit genus (est enim ordo ad finem vltimum gradus genericus respectu omnium virtutum:) nec causa secunda excludit primam: finis autem intermedius causa finalis secunda est. Tota hæc assertio iam probata est sufficienter ex dictis. =

Contra illam autem obijcitur primo. Doctrinam hanc esse veram quando vna creatura aliam diligit amore amicitiæ, tunc enim non erit necesse, quod in ea vltimum finem constituat, nec ledet aliquomodo amicitiæ rationem, quod vterque amicum referat in Deum. quia tunc respicit duos amicos sibi subordinatos, ac quasi inuicem pro propria commoditatis, et vnumquemque prosequitur vltra suam qualitatem. At quando Deus ipse iure et titulo vltimi finis creaturas diligit propter se ipsum, opponit iam vt adequatum motiuum concupiscen=

centiam, et amorem sui, cum quo vera alterius amicitia stare nequit: quia ex diametro opponuntur maxime in eodem actu amor primario terminatus ad se, et alterum non nisi secundario terminatus, ut sic veram amicitiam fundare posit. =

Respondeo tamen. quod definitio essentialis amicitiæ tantum exigit quod amicus diligatur propter se, et gratia sui, ut dixi, si autem cum hoc stare potest ordo ad ulteriorem finem per talem definitionem non excluditur, sive sit amans ipse ultimus finis, sive quilibet alia persona. si enim creatura potest, et tenetur referre amicum ad ultimum finem, a fortiori Deus qui est regula totius sanctitatis, et rectitudinis: et tamquam causa finalis prima non potest non subordinare sibi omnem finem creatum intermedium. Et si verum sit, quod respectu divini actus bonitas creata nullatenus causa finalis secunda, aut motiva dici potest, sed tantum finis pure terminans, ut late explicui materia de voluntate, et si nondum publice edita. =

Quod vero amicitia ad creaturas non excludat in Deo concupiscentiam sui sed simul sit compatibilis cum illa probatur. quia bonitas amici creati est simul amabilis propter se, et propter Deum, ergo nihil prohibet, quod simul posit diligi, ut medium, et ut finis intermedius: sicut potio dulcis potest simul appeti prout utilis ad sanitatem, et prout delectabilis gustui. sic etiam in creaturis, si amicus amicum prosequeretur ut propter se amabilem, et simul quatenus sibi utilem, quia utramque bonitatem in eo animadverteret nihil obstaret veræ amicitiæ legibus. =

Sed urges. Ideo in creaturis amicitia illa compatitur cum concupiscentia sui, quia interuenit duplex motivum diversum, quorum unum non pendet ab altero, nec illi subordinatur. Et si enim amicus utilis non esset, prosequeretur illum voluntas propter se et gratia sui, independenter a propria commoditate, sed quia etiam casu invenit in eo aliam bonitatem propriæ scilicet commoditatis, vult captare illam. At in Deo motivum adæquatum, quod est illi ratio diligendi amicum creatum, est amor sui, cuiusque bonitas infinita, ita ut cesante illius motione, cessaret in eo amicitia creaturæ, ergo est valde dispar ratio, et prout in Deo consideratur amicitiæ repugnans. Nec potest respectu voluntatis intelligi aliquod obiectum ut terminans propter se et gratia sui, et quod simul non sit mouens, et specificans; præsertim si finis, motio, et causalitas attendatur, quæ metaphorica dicitur, quia obiective, et intentionaliter movet, ideoque gratia sui appeti dicitur, quia appetitum ad se traxit, et inclinauit, ergo si fini intermedio competit etiam voluntatem propter se terminare, etiam et movere. =

Respondetur, advertendo prius, taliter tribuenda esse Deo perfectiones inventas in creaturis, ut omnis ab illo removeatur imperfectio, et quia amicus qui est amicitiæ obiectum duo habet: unum est, esse obiectum dilectionem terminans propter se, et gratia sui, in quo abstrahit ab omni imperfectione: alterum est esse obiectum mouens, et specificans actum dilectionis, quod argueret imperfectionem in Deo, dependentiam scilicet a creatura, contingentiam, accidens, et cetera: ideo tantum illi tribui debet, quod amicum creatum propter se diligat ut finem intermedium, connotando puram illius terminationem absque eo quod ab illo moveatur, et specificetur, hoc est, quod sit obiectum pure terminans velle divinum, et non specificans, aut aliquo modo concurrens ad illud, quia supponit iam illud completè existens, et infinitum in ratione volendi, ratione cuius potest ad cetera omnia extendi, et unumquodque attingere iuxta exigentiam, et capacitatem suam. Dixi finem intermedium; quia in fine ultimo non est separa=

parabilis ~~[illegible]~~ ratio terminatiua a ratione motiua: nam finis vltimus cum sit primarium volitum, non supponens aliud prius, ita nec supponit actum specificatum, cum nondum sit obiectum quod respiciat; ac proinde ad illum necessario spectat tribuere speciem actui, et mouere, ac determinare ad illum, finis vero intermedius cum supponat iam vltimum, et infinitum in ratione mouendi, et specificandi, supponit iam integre constitutum actum, ac proinde tantum potest pure illum terminare, non inferendo nouam illius formalitatem, sed tantum extensionem eiusdem. ═══

Quapropter ad argumentum vrebitur respondeo. quod respectu diuinę voluntatis, cuius actus infinitus supponitur in ratione volendi integre constitutus, per suam bonitatem, tamquam per adequatum motiuum, et libere indifferens non per modum potentię ad varios actus, sed per modum purissimi actus ad varia obiecta immediate attingenda, infertur necessario quod posit dari obiectum secundarium propter se terminans, et si non moueat, quia quod libertas creata respicit per plures actus, respicit libertas diuina, per vnicum actum absque aliqua ipsius additione. ═══

~ Secunda obiectio diluitur. ~

Secundo principaliter obijcies. Si Deus, et creatura se habent vt finis vltimus, et intermedius, habebunt se dilectio Dei, et creaturę, vt intentio, et electio: vt actus imperans, et imperatus, hoc autem est falsum, ergo et illud ex quo sequitur. Minor in qua est difficultas probatur primo: quia intentio, et electio, actus imperans, et imperatus sunt actus ratione distincti, quod negamus in Deo. Secundo quia actus imperans est forma actus imperati, illi communicans eamdem numero libertatem et moralitatem quam habet, vt ex 1a. 2ę. supponens ex D. Th. q. 20. art. 3. et 4. sed dilectio Dei est necessaria, et non moralis, et dilectio creaturę moralis, et libera: ergo sunt actus diuersi. 3o. Dilectio creaturę, prout electio, et actus imperatus est actus in se imperfectus, quia tantum respicit obiectum creatum, a qua imperfectione non liberatur per ordinationem ad vltimum finem actus imperantis, quia illi extrinseca est, ergo repugnat Deo hic actus. ═══

Minor hęc incommoda authorem sine nomine citatum impulisse, vt assereret Deum simplici actu diligere se, et creaturas ęque primo; et vt vitet inconueniens illatum, in aliud incidit minus tollerandum, nimirum quod finis vltimus saltim partialis in creatura constituatur per talem actum; immo et quod specificetur diuinus actus a creatura vt partiali obiecto primario. ═══

Simplex actus diuinę voluntatis eminenter est intentio, et electio imperans, et imperatus. ~

Multo rationabilius euitantur omnia inconuenientia in nostra doctrina, qua vsi eximus Deum creaturas non nisi propter seipsum diligere, et nihilominus eodem simplici actu suam, et creaturarum bonitatem vera amicitia prosequi. Quia repugnat in Deo pluralitas actuum: tum quia primus est infinitus, et potens per se prestare, quidquid per ceteros. tum quia non potest specificari ab alio obiecto extra se, ac proinde solum addit nouam extensionem sui ipsius, ad cetera obiecta vt secundaria. Vnde ad primum respondetur, quod in:

intentio, et electio actus imperans et imperatus in creaturis distinguuntur saepius, eo quod respiciunt motiva diversa, vel si electio est de puro medio, cuius adaequata ratio motiva est tantum bonitas finis causatur ab intentione media deliberatione rationis, unde necesse est quod etiam realiter ab illa differat saltem regulariter loquendo. Nihil autem horum invenitur in Deo, sed unico simplici actu in finem fertur per tale medium iam praevisum, et in medium propter talem finem, immo et in creaturis aliquando id contingit, quando simul cum fine proponitur intellectui necessitas alicuius determinati medij, quod eodem actu in utrumque feratur obiectum. Et hunc actus ille eminenter est intentio, et electio; ponari ergo iure in actu divinae voluntatis hoc eminentia ratione suae infinitatis constituenda est.

Ad secundum facile respondetur, Deum suam bonitatem duplici dilectione prosequi, altera necessaria qua necessario se diligit, et absolute omnino sine habitudine ad aliquod aliud, neque tamquam ad medium, neque tamquam ad finem, quia ab omnibus est independens tam in esse rei, quam in esse obiecti. Altera est libera, qua se ut finem creaturarum diligit, ad se creaturas referens, easque diligens propter se pro cuiuslibet exigentia, et capacitate. Et hoc posterior dilectio est quae imperat creaturarum dilectionem, et per se connectitur cum illa ut satis explico l. 7. materia de voluntate, quia sicut est liberum Deo creaturas ad se referre, ita ut se finem illis adorandum colendum, aut diligendum proponere.

Ad tertium constat iam, nullam imperfectionem probari posse in dilectione creaturae, siquidem amatur per eundem simplicem actum, quo Deus se, et creaturam propter se diligit, ac proinde per actum infinite perfectum, tam quoad esse, quam quoad modum, respiciendi Deum et creaturas cum subordinatione debita.

Electio intrinsece respicit finem, et ordinat medium ad illum.

Sed demus quod dilectio Dei, et creaturae essent actus ratione et specie adaequate distincti in Deo; negatur imperfectio, quam adversarius infert ex dilectione creaturae; quia creatura amatur perfectissimo modo, qui est illi possibilis, scilicet propter Deum ultimum eius finem. Negatur etiam quod iterum obijcit, scilicet hanc ordinationem ad ultimum finem esse extrinsecam eius imperfectionem. Hoc enim aperte demonstravi l. 2. materia de bonitate et malitia ubi hanc ordinationem medij in ultimum finem formaliter intrinsece asserui fieri per ipsam electionem, et causaliter extrinsece per intentionem. Eatenus enim ordinantur media ad finem, quatenus appetuntur, seu eliguntur propter finem, unde rursus sequitur, quod ipsa electio medij terminetur intrinsece etiam ad finem, saltem in obliquo ad quem media refert. Patet hoc evidenter quando electio est tantum puri medij, quia cum hoc tantum sit materiale obiectum, non potest terminare voluntatis actum, nisi sub ratione formali, quae est bonitas finis, quia universaliter materia non potest dari sine forma. Ergo electio medij dicit intrinsecam habitudinem ad finem. Et idem infertur dicendum, de quavis alia electione finis intermedij, quia cum duplicem importet terminandi rationem, et propter se, et propter finem, ut honestus, et utilis: secundum priorem specificat proprium actum, ut primarium obiectum illius, et secundum posteriorem ordinatur ad finem ultimum, et dicit ratione huius actus intrinsecam habitudinem ad illum. Hic discursus est S. Th. 1. 2. q. 12. art. 3. ubi ait, et sic unus, et idem subiecto motu

motus voluntatis est tendens ad finem, et in id quod est ad finem. Cum enim dico, volo medicinam propter sanitatem, non designo nisi unum motum voluntatis: cuius ratio est, quia finis est ratio volendi ea quę sunt ad finem, idem autem cadit super obiectum, et super rationem obiecti sicut eadem visio coloris, et luminis, vbi nihil clarius dici potuit. =

Sed quando ratio hęc valida non esset, sufficiens esset mutua inclusio essentialis (immo et si realis tantum esset) quam habent inter se omnia Dei attributa, et consequenter intentio cum electione. Vt cessaret omnis imperfectionis suspitio, nam quod electioni deficeret secundum rationem explicitam, secundum rationem implicitam intentionis illic intrinsece imbibitam, illi conueniret, et non est asserenda imperfectio, vbi non est vera negatio aut priuatio perfectionis debitę, quę ibi non est, sed tantum rationis precisio. =

Hucusque de beneuolentia seu redamatione Dei ad nos egimus, quatenus amicitiam charitatis complet, et est terminus connotatus per illam. Nunc sequenti disputatione de beneuolentia ex parte nostri, erga Deum erit sermo. =

Disputatio 31. de obiecto formali, et specificatiuo charitatis.

Nihil certum, aut clarum de actu, aut virtute definiri potest ignorato eius obiecto, ideoque disputatio, de illo amplius differri non debet; quia obiecti consideratio, vt primum principium se habet, ex quo cętera deducuntur. Sit ergo. =

Sectio 1.ª sub qua ratione Deus sit formale charitatis obiectum.

In qua res mirum est quantum se torqueant authores nostri temporis, cum enim in Deo multiplex sit ratio secundum se, et propter se diligibilis, natura scilicet, attributa, et persone, et obiectum specificans charitatem debeat esse vnum, et indiuisibile, alias multiplicem charitatem pro attributorum varietate oporteret asserere, non apparet, quęnam sit ista ratio, vel quo pacto in illa inseparabiliter vniantur cętera diligibilia, quę in Deo considerari possunt. Quidam aiunt de potentia absoluta, tot habitus charitatis esse possibiles, quot sunt perfectiones diuinę propter se diligibiles: quia cum proponi possint voluntati nostrę, vt formaliter diuersę, et alias quęlibet ratione sui est potens ipsam rapere in sui amorem, non est cur multiplex habitus illis correspondens negari possit, de facto tamen vnam tantum charitatem esse, quę eminentius omnes illas perfectiones copulatim et seorsim pro libito suo amplectitur: nam habitus per se infusi possunt se extendere ad plura obiecta formalia. Sed hoc non est magis quam difficultate opprimi, ac succumbere, nam neque potentia inuenietur vlla, quę plura obiecta formalia ęque primo respiciat, multo ergo minus habitus. Alioquin periret regula illa communis, et tam necessaria ad discernendas potentias, habitus, et actus, scilicet attendendam esse eorum vnitatem, distinctionem per proportionem ad obiecta, quam inuiolatam seruant Philosophi in omnibus locis, vt late in logica demonstraui, et anno sequenti amplius demonstrabo disputatione 4.ª =

Alii, aiunt bonum diuinum, vel summum bonum, prout includit essentialiter, et intrinsece omnem perfectionem esse charitatis obiectum. Nam cum ratio summi, et infiniti boni essentialiter omnia bona in se claudat, non potest in solo hoc, vel illo attributo eius

eius adequato ratio saluari, et id circo quando charitas complacet de omnipotentia v.g. vel sapientia Dei solitarie sumpta, vel diligit eam quatenus formaliter implicite est ipse Deus includens in se cetera bona, vel quatenus est pars illius infiniti boni; nam eodem habitu inclinatur voluntas, ad amandum totum, et partes, non quatenus sunt hoc, aut illa perfectio, sed quatenus sunt partes illius compositi, quod est summum bonum v.g. qui amat faciem pulchram etiam complacet in oculis, genis, ore, naribus etc.

§ Ad hanc sententiam, probat optime, quod tota ratio summi boni possit explicite aut implicite simul diligi, et quod partes illius, reduplicatiue ut illius partes, ab eadem possint attingi: non probat tamen, quod necessario et inseparabiliter una ratio mouere voluntatem non possit sine aliis. Potest enim amari omnipotentia, aut sapientia Dei reduplicatiue ut talis, quia in suis precisis, et reduplicatiuis conceptibus etsi nihil aliud implicite dicant habent sufficientem bonitatem, immo et infinitam ad rapiendam voluntatem, terminanã que de facto omnimoda varietate affectus fidelium ignorantium mutuam hanc inclusionem essentialem, aut realem, nam quidquid de illa sit in genere rei, sicut in humanis solet quis complacere solum de sapientia amici, vel de hac, vel illa virtute; sic in Deo in genere obiecti mouet solum sua sapientia, aut benignitas, aut potentia: mouet interdum filius, aut spiritus sanctus sine memoria Patris; in quibus casibus explicare oportet, quo pacto motiua, ita formaliter diuersa unam, et eamdem speciem charitatem possint specificare. ==

Nec valet respondere. Affectus illos non esse in Deum propter ipsum, sed propter attributum, aut accidens eius, quod non est ipse, ac proinde, non esse amicitiæ, aut charitatis. Contra. hoc enim est, quod aliud est loqui de obiecto formali quod seu de bonitate amici, et aliud de obiecto cui quod est persona amici: bonitas enim amici, et si sit accidens respectu illius, est sufficiens ratio generandi amicitiam ad illum. Ut patet in humanis, probitas namque aut sapientia illum complete gratum, et amabilem reddunt, et suppositum materialiter intrat in obiecto, vel tamquam finis cui. Multo ergo a fortiori in Deo, cuius attributa sunt de intrinseco conceptu, aut substantia illius. ==

Eundem defectum incurrit 3.a aliorum opinio, qui solam naturam diuinam prout fons, et radix attributorum obiectum formale primarium charitatis docet, cetera materialiter, et secundario obiici, quatenus sunt bona illius. Cum enim amicitia sit omnino libera friuolum est eam velle commensurare cum re prout est a parte rei, qui immo cum in re nulla sit distinctio naturæ, et attributi, sed tantum in conceptibus hominis docti, falsum omnino est affectum hominis indocti alligari ad hoc, quod non moueatur primario nisi a natura sub tali precisione. Potius enim experientia teste, mouetur quis ex attributis ad amandam naturam, et personam, in qua talis bonitas animaduertitur. Nam si primo occurrat, aut proponatur alicui Dei benignitas, et mansuetudo, liberalitas aut prudentia, ex hac, vel illa perfectione moueri incipit; et complacentia in tali ratione, ignorato conceptu naturæ, cum non sit ex motiuo spei ut supponitur, solum ad charitatem reduci potest. Quod patet etiam in amicitia humana in qua non attendit ad radicem in esse rei, sed solum ad pulchritudinem, aut bonitatem; quæ illius rapit affectum, et ex illa mouetur ad diligendum suppositum, et fundamentum, quod est materiale, aut radix. ==

Notatu digna, et ad questionis resolutionem maxime necessaria.

℟. Ad solutionem adverte, eandem esse difficultatem in amicitia naturali, et humana, ac insuper naturali et divina, in humanis enim sepe contingit quod complaceat quis iam de probitate, et iustitia amici, iam de sapientia, aut prudentia, iam de liberalitate, et aliis virtutibus, quas in eo experitur, iam de omnibus simul, si simul memoriae, aut sensui occurrant. quis ergo tunc dicat tot amicitias tunc multiplicari specie diversas, quot sunt bona illa, quae sibi in amico complacuit? quis neget amicitiam illam esse vere unam, qua ratione ergo illius unitas explicatur, eadem pariter charitatis unitas, et obiectum declarandum est. ═

℟. Ad. Quo adverto 2º ex disputatione precedenti § 20. quod aliud est loqui de complacentia, quam causat quaelibet bonitas visa, in quocumque sit, sive in supposito inanimato, sive in vivente. Naturaliter enim cuiuis pulchritudo, aut bonitas sive in arbore sive in horto, sive in pictura placet, delectat, et in admirationem rapit, et si nullus ex eo expectetur fructus. Est enim bonitas ex se delectabilis, et si utilis non sit, et sic terminat huiusmodi actus solum quia ex se placet, et delectat; ac proinde non pertinet ad amicitiam intrinsece et primario, sed tantum causaliter, aut secundario: sic pariter non quoties omnipotentia, aut divina sapientia aut quodvis aliud Dei attributum affectum in sui amorem, vel admirationem rapiunt, sunt vere charitatis affectus: sed vel actus supernaturales spectantes ad donum spiritus sancti, quod est pietas quibus passive moveri solent viri contemplativi. Vel sunt actus naturales, quia naturaliter voluntas complacet de his bonis eo ipso quod illi proponantur. Et licet supernaturalia sint in genere rei naturali modo amplectuntur; quia delectant, sicut quaelibet bonitas creata. Neque est ad illa necessarius habitus; quia voluntas necessario est propensa in bonum, et pulchrum, quoties simpliciter, et absolute absque ulla difficultate proponitur, aut ratione mali, aut ordine ad executionem. ═

Aliud vero est loqui de mutua benevolentia, qua obiectum diligitur, quia existimatur congruum, et simpliciter dignum, omnimoda dilectione, et quod illi in omnibus placeatur, quae recta ratio illi permittit secundum suum statum, et mensuram, et hoc est amicitiae propria. Hincque evidentior quando non attendens ad bonitatem aliquam in particulari, cuius delectabilitas, aut pulchritudo illius affectum trahere possit, solum propter dignitatem moralem personae, illius beneplacitum semper intendit. Amicus enim universaliter amico appetit omnia bona, quia diligit illum sicut se ipsum cui omnia appetit. ideoque S. Th. sepe ait quod amicitia respicit bonum in communi, quia omnia sine discrimine, quae sibi appetit, et amico, in communi inquam omnia, et in communi, quia utrique communia. ═

Ex quo rursus colligitur, quod dignitas, quae constituit formale obiectum amicitiae, non est hoc, vel illa bonitas secundum se, sed aestimabilitas, quae in persona resultat ex omnibus titulis, et circunstantiis, unde licet plures bonitates in persona resplendeant specie diversae, non efficiunt in ea plures dignitates, et aestimabilitates specie diversas, sed ex omnibus coalescit una dignitas moralis, quae est indivisibile amicitiae motivum. Cuius signum est, quod transacta vel oblivione tradita bonitate, quae fuit primo excitans ad amicitiam, adhuc illa perseveret quia permanet talis dignitas ex omnibus resultans. Augescitque in dies intensive hoc dignitas, et amicitia non solum consequenter ex bonitatibus advenientibus, aut animadversis in amico, sed etiam ex aliis titulis, ex redamatione, et obsequiis illius. Ipsa etiam amicitia reflectens supra se ipsam, ex se ipsa motivum accipit ad sui augmentum, et exercitium: sepe enim quis exultans motivum alteri benefaciendi, aut obsequium speciale illi exhibendi, ait, hoc facio, et

et omnia quæcunque sese offerant faciam, solum quia est amicus meus. Unde esse iam amicum et affectiue unitum, et temporis mora in tali unione augent æstimabilitatem sane ==

Statuitur iam difficultatis Resolutio

Dicendum ergo est obiectum formale adequate specificans charitatem esse rationem summi boni, quatenus summe diligibile est, vel amore summe appretiatiuo digna, vel quatenus est ultimus finis qui, et cui omnis alius subordinari debet amor. Colligitur ex varijs S. Th. locis, estque certa apud omnes theologos: excussatque omnes difficultates supra tactas. Per rationem summi boni excluduntur a charitate virtutes morales, quarum obiecta sunt inferiora bona. Comprehenduntur que in ea omnes perfectiones diuinæ, tam absolutæ, quam relatiuæ: nam de ratione summi, et infiniti boni est, quod omnia intrinsece inse claudat bona, ex omnibusque una suprema dignitas, æstimabilitas, et appretiatio summa coalescat. Id circo summe diligibilis aut summa appretiatione digna dicitur, ut excludatur fides, quæ talem rationem solum respicit ut credibilem. Spes etiam ab illa secernitur, quia licet terminetur ad summum bonum, non summa appretiatione, vel ut summe diligibile, cum illud amor concupiscentiæ respiciat. Quod amplius declarant subsequentia verba: finis ultimus qui, et cui omnis alius subordinatur amor. Spes namque respicit summum bonum ut finem qui, non cui, nam illud sibi intendit, ac concupiscit. Charitas vero attingit summum bonum, propter ipsum, et ut finem cui seu ad quæ ultimo refert omnes actus, et conatus suos. ==

Quo tandem significatur indiuisibilis ratio formalis obiecti charitatis summa bonitas multiplici possit ratione distribui, et sub pluribus appareat voluntati conceptibus, conceptus ultimi finis, vel summæ dignitatis diligæ, est omnino simplex, et sub tali ratione, omnia bona Dei concupita charitatem terminant, siue sint intrinseca, siue extrinseca, siue naturalia, siue moralia; omnia enim summo bono debita sunt, et appetibilia propter ipsum tamque propter ultimum finem. Nam de ratione ultimi finis est, quod ad ipsum referantur omnia ad ipsumque tendat omnis affectus, propter summam dignitatem ipsius, in Deo autem sicut æternitas immensitas, et quoduis aliud attributum est conceptus omnino simplex, ita et ratio ultimi finis, et summa dignitas vel super omnia diligatur. Si enim in creatis ex multis causis, seu bonitatibus, non resultat nisi una simplex dignitas moralis, aut congruitas vel diligatur, et si maior aut minor intensiue. Quanto magis in Deo, cuius bonitas est omnino simplex, et indiuisa, solumque nostris conceptibus, magis, aut minus clare expressa ==

Ex quo rursus infero, omnia attributa, seu perfectiones diuinas, vel esse causas, seu dispositiones, ad amicitiam charitatis, quatenus per complacentiam ipsorum manifestatur voluntati summa Dei dignitas, et diligibilitas, vel esse materialia obiecta in quibus complacet charitas propter amorem quem radicatum iam habet in Deo, et ex summa appretiatione, quam habet de Dei dignitate, gaudet de omni excellentia, quam in illo animaduertit quia omnia bona ipsi debita, ac conuenientissima videt, sibique [illegible], et propter ipsum [illegible] tenda. ==

Qua propter, sicut amicitia humana in omnibus fere intendit placere amico

et [illegible]

Et omnia bona quamtumvis diversa, ex eadem amicitia, et sub eodem formali motivo illi concupiscit, videlicet prout illi convenientia, et propter ipsum appetibilia: sic a fortiori amicitia ad Deum, qui prout ultimus omnium finis omnem affectum adse refferri postulat ex natura sua. Propter quod ille, qui in omnibus non intendit placere Deo, sed in aliquibus eo ipso iudicatur a Viris spiritualibus a vera charitate alienus; quia existimatur non velle illa bona cupere propter Deum, sed ex speciali complacentia, aut dilectione, quae ex ipsis bonis sibi quaerit. Nec ponit in Deo ultimum finem, eo ipso quod illi non refert omnia, cum omnia illi sint debita. Nec eum proinde sequitur ut summe dignum et diligibilem, si non super omnia, sed super aliqua illum diligit, quia iam non exit apud ipsum omni amore dignum, sicut summa postulat appretiatio =

~ Solvuntur non nulla. ~

Obijci solet S. Th. art.° 4. dicere, quod bonum divinum prout est obiectum beatitudinis est proprium charitatis obiectum. In quibus verbis significare videtur quod Deus in quantum est Author beatificans terminet charitatem, quod ad concupiscentiam pertinet. Clarius S. Augustinus lib. 1° Solilog. capite 6. circa finem. docet charitatem necessariam esse ad desiderandum divinum aspectum, hoc est beatitudinem, quod desiderium ad beatitudinem spectare cum sit summum bonum nostrum, nemo dubitat. =

Sed dubitare non licet, de mente utriusque cum innumeris alijs locis clare doceant, tam de amicitia in communi quam de speciali quae per charitatem perficitur, omnem commoditatem, et propriam utilitatem a suo primario conceptu et intuitu abijcere iuxta illud Apostoli, charitas non quaerit quae sua sunt. Ex verbis autem allegatis ex S. Th. constat clare non loqui reduplicando rationem formalem specificativam obiecti; alias necessum esset asserere, quod Deus sub ratione veri esset charitatis obiectum; quia sic Beatitudini obijcitur: et consequenter quod visio et charitas specie non differrent, quod est plane falsum. =

Est igitur illius sensus   qui terminat visionem beatam sub ratione veri charitatem terminare sub ratione boni summe diligibilis in quo tantum exprimitur latitudo obiecti terminativi primarij, quod est summum bonum. Sicut enim communiter dicitur quod omne obiectum, quod intellectus intelligendo attingit, voluntas amplectitur diligendo, aut fugiendo, ex eo quod potentia sit illi naturaliter subordinata; sic charitas quae est quasi voluntas supernaturalis, visioni beatae naturaliter subordinata, amplectitur sub ratione boni, quidquid illa sub ratione veri

Hoc contingit prout est in patria, in via autem sequitur, et amplectitur dictamen fidei, sed consulto id omisit S. Doctor, et solum per ordinem ad visionem beatam explicuit charitatis obiectum, quia haec virtus est magis patriae, quam viae, connaturalius quae postulat lumen gloriae, nec quiescit nisi cum illo; et sine illo est violentia, et exul, sicut extra patriam, et centrum, id circo probavi disp. 4. de fide, sectione 2. tantum charitatem et lumen gloriae esse proprietates rigorose et phisice pullulantes ex gratia, non vero fidem, et spem. =

Ad verba S. Augustini respondetur, quod Beatitudo, vel divinus aspectus, potest etiam diligi, ut est bonum ipsius Dei, et ex complacentia ipsius, quatenus est medium efficax ad perfectam unionem, et perfectam amoris plenitudinem, quam maxime sitit

charitas, quia in via illam assequi non potest. Quid enim propensius et anxius potest, amicitia optare, quam amici conspectum, societatem, et communicationem, seu conversationem cum illo. Et quia haec omnia assequuntur, per beatam visionem, hinc est quod sit maximum desiderabile respectu illius, et quod suspiriis et gemitibus, inenarrabilibus cum Apostolo dicat. Cupio dissolvi, et esse cum Christo. =

Duo tandem exponere oportebat circa nostram conclusionem. Primum est, an particula illa, summe diligibilis, vel summa appretiatione, summam intensionem charitati postulet, vel in quo talis summa appretiatio consistat. Alterum est quia nondum videtur explicata in verbis nostris asserti, charitatis supernaturalitas. Nam verba illa communia sunt amori naturali Dei super omnia, quem S. Th. caeterique theologi docent. Utrumque tamen sequentibus sectionibus ellucidabitur, post difficultatem hanc de actibus liberis, quae cum sese occurrit obtulit. =

Sectio 2.ª Utrum actus liberi Dei pertineant ad obiectum primarium charitatis.

Nemo hanc attigit difficultatem: quia omnes supponunt candem esse rationem de perfectionibus Dei liberis, ac necessariis, sed quidam novus theologus huius temporis nunc de illa dubitare coepit, immo, et partem negantem acriter defendere, sed forsam non deerit novus alius theologus, qui suis argumentis satisfaciat. Asserit ergo quod licet actus liberi Dei quantum ad perfectionem, et entitatem necessariam, quam in ipso important sint obiectum formale charitatis, sicut caetera attributa, et perfectiones Dei necessariae: At si reduplicative considerentur, prout habent liberam denominationem, et sunt quasi in actu 2.º exercitium divinae libertatis, non pertinent ad formale, et primarium, sed ad secundarium charitatis obiectum. =

In hoc inprimis ait convenire S. Th. et Scotum. S. Th. dum ait, obiectum formale charitatis esse Deum, ut est obiectum beatitudinis nostrae, et Scotus, quia asserit Deum secundum se esse obiectum formale charitatis, actus autem liberi, neque ad visionem, neque ad Deum secundum se pertinent. =

Adducit etiam Caietanum, qui tenuit actum liberum, novam bonitatem contingentem Deo addere, de qua contingenter dicet non posse ad obiectum primarium pertinere. Similiter eos qui asserunt in connotatione, aut relatione rationis, aut denominatione extrinseca huiusmodi actus liberos consistere. =

Sed omnes illae authoritates, vel sunt contra ipsum, vel nihil illi prosunt. Non S. Th. quia actus liberi terminant visionem beatam, et ex vi illius cognoscuntur, licet non necessario, sed iuxta Dei beneplacitum, ut late fere omnes docent materia de visione; ac proinde si ut obiectum beatitudinis, Deus est obiectum formale charitatis secundum S. Th. etiam quoad eius actus liberos. Et si secundum Scotum Deus secundum se, etiam actus liberi pertinent ad Deum secundum se, nam eo ipso quod actus liber, (ut author ille fatetur) est intrinsece in Deo, et nihil addens reale, aut formale supra ipsum, quia per entitatem suam necessariam, Deus secundum se terminatur ad obiectum liberum, dubitari non debet, quod ad Deum secundum se pertineat actus liber siquidem non ad Deum extra se. =

Caietanus etiam quomodocunque explicetur, semper fatetur identitatem realem actus liberi cum Deo, ac proinde vere esse ens divinum, obiectumque visionis beatae, potius ergo contrarius est manifestus. =

Cæteri Authores et si explicent actus liberos, per relationem rationis ext.æ ponunt nihilominus fundamentum intrinsecum, et reale in Deo, in quo essentialiter eius libertas consistit, alias illam negarent.

Sed quidquid de illis sit, quod parum nobis refert, ad rationes quibus hæc sententia probatur, veniamus. Prima est: quia huiusmodi actus liberi, prout liberam denominationem adiunt ad obiectum creatum non sunt obiectum formale amoris increati, ergo nec charitatis nostræ, quæ formalis participatio est amoris, quo Deus seipsum prosequitur. Probatur antecedens, quia si Deus eos actus propter ipsos, ut liberos amaret eos amaret necessario, sicut cætera omnia, quæ sunt in ipso, ac proinde exerceret eos necessario et sine libertate quod est absurdum. Quod autem necessario amaret, probatur. quia propter aliquam liberam bonitatem ut distinctam ab eorum existentia necessaria eos sic diligeret, sub hac reduplicatiua eius libertatis ratione, ut supponitur: sed hæc bonitas cum non possit non esse infinita, et intrinsece existens in Deo; non potest necessaria non esse, ac proinde necessario diligibilis, ergo vel dicendum est actus liberos nullam addere perfectionem, aut bonitatem amatu dignam, quæ possit obiectum formale amoris increati, vel si illam addit, eo ipso necessariam esse, et non liberam.

Secunda ratio quam dicit apriori est, quia omne obiectum amabile propter se, habet bonitatem in se absolute amabilem, quin referatur ut ultis ad alium finem, sed actus liberi Dei, ut denominatur libere amans hoc obiectum, non habet bonitatem distinctam ab eius entitate necessaria, ergo non terminat diuersum amorem ab eo, qui fertur in eorum necessariam existentiam, qui amor necessarius est.

Actus liberi sunt obiectum primarium.

Miror hunc Authorem rationes inuenisse in creaturis, quibus sibi persuasum habuit, esse obiectum primarium, et quæ immediatum diuinæ voluntatis, ac increata Dei bonitas et in actibus liberis, ubi tot mirabilia splendent diuinæ sanctitatis et bonitatis, eas non inuenerit, sed ad obiectum secundarium eos reduxerit.

Dicendum est igitur primo, eos sub obiecto primario concludi saltem respectu charitatis nostræ, quid quid sit de amore increato, de quo postea. Neque huic obstat, quod hæc sit participatio formalis illius; quia non in omnibus creata charitas increatam imitari debet, satis est quod in definitione essentiali conueniant, attingendi scilicet summum bonum, et ultimum finem propter se, et super omnia amore summe appretiatiuo, et si quælibet suo modo, et iuxta suam naturam. Huius instantia aperta est in visione beata, quæ licet sit formalis participatio visionis diuinæ, qua Deus se intuetur, non ideo est comprehensiua in nobis, aut per modum purissimi actus, sicut in Deo.

Hoc igitur supposito probatur conclusio. quia nihil in nobis specialiter gratis ribus, ita ignem charitatis accendit, et auget, sicut amor, quo Deus prius nos dilexit, pro nobis voluit nasci, mori, crucifigi, in cibum, et ultimum se nobis offerri, ut Patrem, Sponsum, et amicum nobis uniri, hæc sunt potiora charitatis nostræ incentiua, et quæ Deum in ordine ad nos maxime amabilem ostendunt; sed hi sunt in ipso actus liberi, reduplicatiue ut tales, ergo ut sic terminant primariam charitatis complacentiam. Minor et consequentia patent, et maior declaratur; quis enim negare potest, obiectum principale amicitiæ, esse ipsum amicum, et vrgentius motiuum, si sit simul Pater, sponsus, et omne bonum, non solum in se, sed etiam respec=

tu diligentia. Et si enim amor ab omni propria abstrahat commoditate, eo quod ipsum amoris exercitium, propter se ut finem intendit; hinc tamen est, quod propter eandem rationem etiam unionem Dei amati, reddamationem illius, et omnes titulos, et requisita ad instabilem, et consumatam rationem huius amoris principaliter exquirat, et sitiat, ut ex supra dictis de amicitia constat, sed haec omnia formalissime fiunt per actus liberos; per ipsos enim Deus creaturas diligit, illisque unitur ut sponsus, regenerat ut Pater, reddamat ut amicus, ergo in his actibus liberis invenit charitas sufficiens fundamentum ad rationem obiecti primarii. =

Respondebis. Hos actus, eatenus movere, quatenus divinam ostendunt bonitatem non quia aliam addant novo amore, aut laude dignam. = Sed contra est. quod utcumque faciunt huiusmodi actus, et manifestare divinam bonitatem, quam Deus ipse habet, et nobis illam communicare, et miro modo omnibus liberis dictis. Unde cum charitas essentialiter sit benevolentia, et amicitia ad Deum nobis libere amicum, necessario illi concedendum est, quod hanc unionem principaliter ambiat, et ut finem habeat, ut ex Divo Bernardo retuli disputatione praecedenti, dicente Amo, quia amo, amo ut amem. Nec potest negari diversam esse complacentiam, qua charitas prosequitur bonitatem Dei absolute, et qua bonitatem hanc, ut spirituali connubio unitatem, et desponsatam respicit. =

Secundo efficaciter probatur ex 1a p. q. 19 de voluntate Dei, ubi omnes fatentur amorem Dei liberum, non solum esse ad creaturas, sed etiam ad se ipsum, prout est actualis finis earum; nam liberum fuit Deo, non tantum creaturis se communicare, easque creare, sed etiam ipsum coli, amari, et venerari a creaturis, nam propter hunc finem universa condere decrevit. Hinc sic, sed negari non potest praecipuum charitatis obiectum esse Deum, ut a nobis diligibilem et adorabilem, ut nobis ex amicitia et desponsatione unitum, ultimumque actionum, et vitae nostrae finem, ergo amor liber Dei sub primario cadit charitatis obiecto. Patet consequentia, quia Deus sub his rationibus, per se charitatem terminantibus, libere se diligit. =

Confirmatur. ex innumeris sacrae scripturae locis. in quibus significatur omnem intentionem nostram in Dei gloriam, et honorem, tamquam in ultimum finem referri debere. Sic ex 1a ad Thimoteum 1o canit Eclessia. Regi saeculorum immortali, et invisibili soli Deo honor, et gloria. Et ad Colosenses 3o postquam Apostolus dixerat, super omnia autem haec charitatem habete, quae est vinculum perfectionis: declarat post. in quo principalis charitatis actus positus sit, quis vere finis ultimus illius; et perfectionis illius verbis. Omne quodcumque facitis, in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesuchristi facite, gratias agentes Deo, et Patri per ipsum. =

Clarius in oratione dominica, docuit nos Christus Math. 6. quod charitati nostri desiderare, et petere tamquam finem, et tamquam media oporteret in verbis illis; sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua: significatur ultimus finis, ad quem charitas semper anhelare debet, et in caeteris ponuntur media; ut docent communiter omnes. Videatur Bernardus sermone 6. quadragessimae. ubi tota felicitas Angelorum et hominum, est facere voluntatem Dei, estque communis modus loquendi Patrum scilicet Chrysost. in homilia super haec verba: ac si dicat, ita fac nos vivere, ut per nos universa te glorificent. Sanctificetur enim idem est quod glorificetur. Sic tandem Concil. Trident. sessione 6. de iustificatione cap. 7. dicens finem ultimum illius esse gloriam Dei. Unde cum iustificatio compleatur tandem per charitatem tamquam per proprietatem (ut dixi materia de Iustificatione) finis ultimus illius charitatis est gloria Dei. =

Ex his ergo testimoniis, et alys similibus sic formo rationem. Gloria Dei quae est ultimus finis Creaturarum, non est gloria essentialis ipsius Dei, aut eius bonitas ut necessario dilecta nam haec est omnino absoluta ab omni habitudine ad Creaturas, nec potest per se connecti cum illis, nam illa est prorsus necessaria, et habitudo ad Creaturas libera: est ergo gloria, et sanctificatio Dei amor liber, quo Deus quasi reflectens supra suam bonitatem, necessario dilectam vult eam manifestare creaturis, ut ab ipsis adoretur, honoretur, et colatur et visibili complaceat ex cultu, et amore creaturarum. Ad hoc decreuit se constituere Creatorem, Dominum, ultimum finem. tam naturalem, quam supernaturalem creaturarum, ergo omnis Creatura rationalis, per se tendit ad hanc Dei liberam voluntatem faciendam, tanquam ad ultimum finem, vel ex motiuo obedientiae, aut Religionis, vel ex motiuo Charitatis; neque tendit ad faciendam Dei voluntatem, quasi in actu 1º consideratam in actu necessario: nam haec est omnino indifferens, et abstrahens a Creaturis, nondum praecipiens aut aliquas creaturas ad ultimum finem, nondum exprimens voluntatem, aut obedire aut conformari oportere, ac proinde nullam habitudinem finis dicens ad media: est ergo libera Dei voluntas quae se diligit, ut finem ultimum Creaturarum, et sibi complacere vult ex earum cultu, et obsequio. =

Dices. quomodo potest Dei gloria, seu bonitas diligi ut finis ultimus Creaturarum si attingitur per actum liberum, et primarium, alium supponit, qui est dilectio necessaria Dei? Finis enim qui est simpliciter ultimus, debet terminare primarium voluntatis actum, esseque primarium et specificatiuum illius obiectum, sed hoc est tantum bonitas prout actu necessario dilecta, ergo prout obiectum libere volitum, et prout habitudinem ad Creaturas dicens, non potest finis ultimus sed obiectum secundarium dici. =

Respondetur quod sicut in voluntate creata, prius incipit placere bonitas, absque ullo ordine ad intentionem, et executionem, et postea ex complacentia talis bonitatis mouetur voluntas, ad desiderium, et intentionem illius, usque ad ultimam executionem, sic diuina voluntas, prius complacet necessario, de sua bonitate infinita, et postea 2º signo rationis ex ipsius complacentia, libere mouetur, ut illam, ut ultimum finem Creaturarum intendat et eligat, disponat que media usque ad ultimam executionem. =

Solum est discrimen, quod simplex complacentia respectu voluntatis creatae, quia est de bonitate nondum posessa, nec perfecte apprehensa, an sit possibilis; vel per quae media est actus valde imperfectus, et quasi proxima, quaedam dispositio, seu inchoatio caeterorum, in Deo vero prima complacentia, est perfectissimus actus, quia est de bonitate sua iam perfecte comprehensa, et posesa per beatitudinem essentialem, ideo que solum intendit illam ut finem in ordine ad Creaturas, ut scilicet ab ipsis adoretur, colatur, et ametur, ut dixi. =

Atque patet iam, quare hic secundus actus, tam in Deo, quam in Creaturis non sit de obiecto secundario, quia scilicet est de eodem obiecto primario, quod primum actum terminat, sicut et secundum, licet diuersimode ut postea magis constabit. =

Sexta ratio principalis asserti nostri.

Actus liber formaliter ut talis, est moraliter bonus, ergo est amabilis, et laudabilis propter ipsum Deum, qui sic praebet ratione illius amabilem charitati nostrae. Patet consequentia. Quia laudabilitas est proprietas actus moralis ut talis est, sicut et reprehensibilitas, est consequens actum moraliter malum. Antecedens ab omnibus admittitur, nam moralitas propria, et utraque illius species, quae sunt bonitas, et malitia, tantum competunt actibus

Liberi, quatenus in actu 2º obiectum prout recta ratione regulatum, quod de potentia, aut indifferentia libera minime dicitur, sed tantum analogice, sed in Deo substantia necessaria actus est et indifferens, quasi in actu primo nullam exercens libertatem, quousque terminatur quasi in actu secundo ad hoc, vel illud obiectum liberum, ut fatetur oppositus Author, ergo nullam habet moralitatem, donec consideretur ineo exercitium libertatis, ac proinde ratione terminationis liberæ competit Deo hæc bonitas moralis, et laudabilitas. =

Respondet. quod est moralis, et laudabilis, sed non bonitate nova, aut nova laude præter eam, quæ est in actu necessario, ac proinde non est dignus amore distincto ab eo, qui ad actum necessarium terminatur. in quo differre aut Deum a creaturis, quod in his, actu libero et moralis bonitas perfectionem addit, secus in Deo. =

Sed admisso hoc discrimine, (de quo postea) aliud est quærere, utrum actus liber formaliter ut talis, sit esse amabilis, et laudabilis, ita ut primario charitatem terminare possit. Et aliud est, an sit nova laude, et amore distincto dignus, ita ut Deum amabiliorem reddat quam erat per actum necessarium: hoc 2º puncto ad sectionem sequentem remisso, primum est ad minus hucusque probatum. Neque ex illo potest summi argumentum ad secundum, nam inprimis est manifesta instantia in operibus Christi Domini, quæ erant infiniti valoris, ac proinde unumquodque esse dignum, et infinite meritorium, et nihilominus unum non addebat novum meritum, aut dignitatem supra alia, nec multa supra unum, nisi ad summum extensive, vel quasi repetitio eiusdem meriti. Sic pariter, etsi actus liberi in Deo novam perfectionem non addant supra actum necessarium, possunt esse amabiles, et laudabiles esse, tum, quia id docet sepissime scriptura sacra. Tum etiam, quia sunt extensio quædam, ignasi, et quasi repetitio actus necessarii, ac proinde eodem modo spectantes ad primarium charitatis obiectum, sicut ille. =

Utrumque facile est declarare quod ad primum attinet, sepius laudatur Deus ab Ecclesia, et in scriptura sacra non tam quia misereri potest, quam quia de facto semper miseretur psal. 116. dicitur. laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. Cuius laudis rationem, reddit, quoniam confirmata est super nos misericordia eius etc. psal. etiam 117, et psal. 147. lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion; quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis inte; sicque alia beneficia prosequitur. psal. 144. et miserationes eius, super omnia opera eius. et psal. 88. misericordias Domini in æternum cantabo etc. Præsertim in cantico celebri Magnificat anima mea Dominum. hoc est pressius demonstrata, in quo discurrit, et summatim refert beneficia, et mirabilia opera divinæ voluntatis, propter quæ est valde glorificandus. Sic Christus Math. 11. ait confiteor tibi Pater Domine cæli, et terræ; quia abscondisti hæc a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis, ita Pater quoniam sic placitum fuit ante te. In quibus verbis, et aliis similibus locis in particulari laudatur, ipsemet usus liber divinæ voluntatis. Tandem Apocaly. 4. dignus est Domine Deus noster, accipere gloriam, et honorem, et virtutem, quia tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt. =

Secundum etiam ostendo ex 1ª pte. materia de divina libertate. ubi communiter traditur, quod licet in Deo, exercitium libertatis, et honestas moralis intensive perfectionem non addat supra eam, quam habet per actum necessarium, addit tamen quasi extensive. Utriusque ratio est. quia per dilectionem, necessariam habet Deus omnimodam, et infinite perfectam inclinationem, ad omnem sanctitatem, et omne bonum ipsi magis decens, et gratum: cui per-

perfectionem solum potest addere actus liber explicitam determinationem ad hoc, vel illud materiale obiectum, repetendo tamen dilectionem obiecti formalis, (ut dixi,) ad quod tale obiectum materiale, ut ad ultimum finem refertur. Haec autem determinatio explicita ad particulare obiectum in creatura arguit maiorem bonitatem propter nouam difficultatem, et exercitium noui actus, quem addit supra dilectionem boni in communi, secus in Deo in quo est diuersa ratio. ═

Unde iam sic formo rationem. Nam quantumuis reduplicetur actus liber, et praescindatur a necessario, non tantum dicit ordinem, ad obiectum creatum secundarium, sed etiam ad ipsam bonitatem diuinam libere amatam, ut finem actualem respectu creaturarum, ut ipsis manifestabilem communicabilem, visibilem etc. ergo formalissime ut liber est valde laudabilis, et esse amabilis, siquidem diuinam bonitatem ut primarium respicit obiectum. Sicut actus necessarius solum differunt, quod actus necessarius ex ipso quod est complacentia de omnibus perfectionibus necessario existentibus in Deo; complacet necessario de omni dignitate, stimabilitate, et amabilitate, quibus a creaturis prosequi potest, ut ultimus earum finis, si ipsis manifestetur, et communicetur. Actus vero liber addit tali complacentiae intentionem efficacem Dei se manifestandi, et communicandi suis creaturis determinatis, ut ab ipsis colatur, laudetur, et diligatur. ═

Unde etiam hic secundus actus, vel ut verius loquar haec terminatio, seu extensio eiusdem actus in diuinam bonitatem primario fertur, illi determinate appetens has creaturas istudque vniuersum ad sui honorem, et gloriam. Etiam in eius imagine quae est rationalis anima resplendet suo modo hic duplex actus; nam, et datur inea intentio boni in communi seu ultimi finis vage sumpti, et datur etiam intentio ultimi finis ut determinati, et obtinendi per certa quaedam media. Prima est necessaria saltem, quoad specificationem: et secunda quae se habet ut expressio, et determinatio primae, est omnino libera. Solum est discrimen, quod in Deo nulla est confussio circa ultimum finem vage sumptum. Sed tam voluntas necessaria, quam libera, est de bono diuino determinate, et expresse tantumque circa bonum creatum, cultum videlicet, honorem, et gloriam a creaturis illi exhibendam est communitas, seu indifferentia in primo quasi actu, et determinatio, et expressio in secundo. ═

Sectio 3.a Fiat ne Deus charitate amabilior propter perfectiones liberas, quam erat per necessarias. ~

Habemus iam quod actus liber, et bonitas moralis in eo fundata esse sit amabilis, et laudabilis ex proprio conceptu suo, ac proinde pertinens ad primarium charitatis obiectum: nunc restat aliud punctum discutere: an sit noua amabilitas, seu bonitas, quam afferat actus liber supra necessarium, ratione cuius Deus dicatur absolute amabilior charitati, prout consideratur ut libere se manifestans, et communicans suis creaturis, quam si solis perfectionibus necessariis ornatus inspiciatur. In primis pars negatiua videtur efficaciter conuinci quia si Deus ex honestate actus liberi amabilior esset, sequeretur quod ex illa esset magis bonus, et perfectus, quam sine illa, quia bonitas est amabilitatis fundamentum, hoc autem est absurdum, ergo et illud ex quo sequitur. Maior probatur, quia cum talis bonitas seu perfectio sit li=

libera ex proprio conceptu, potuit eo ipso non esse in Deo, ergo potuit Deus esse non ita summe bonus, perfectus et amabilis, sicut nunc est. =

Confirmatur. Quia propter hoc communis sententia Caietanum impugnat, quia dixerit 1ª p. q. 19. actum liberum addere perfectionem in Deo. Unde rursus infertur contra illum quod talis perfectio sit realiter distincta a perfectione necessaria, accidens, et alia huiusmodi absurda, quoniam de eadem realitate veri fieri non posset, quod non potuerit non esse, et quod potuerit non esse, quod est aperta contradictio, et quod esset accidens, quia potest adesse, et abesse sine subiecti corruptione, et quod esset substantia, ut omnes in Deo supponunt. =

Sed ex alia parte, videtur etiam negari non posse Deum longe chariorem, et et amabiliorem nobis fuisse, cum se ut Patrem, Sponsum, et obiectum beatificans nobis vnitur et delicias suas habet cum filiis hominum, quam si ut Iudex integerrimus poenis aeternis afficiat, quis dicat homines non magis allici ad laudandum Deum, eiusque bonitatem magis, ac magis extollendam, postquam pro illis dignatus est nasci, mori, in cibum, potumque se illis praebere, ac caetera quae de illo fides docet, quam si nullum ex his beneficiis ab ipso acciperent. Ad quid ergo illa multiplicavit Deus, nisi ut per illa nos ad eius gloriam, et honorem arctius adstringeret. Augent ergo amabilitatem, Deumque laudabiliorem reddunt. =

Confirmatur. Quia peccata, eo magis gravantur, quo beneficia Divina maiora et plura praecesserunt; eo quod ad illorum mensuram crevit nostra obligatio, ergo beneficia Dei libera arctius homines ligant ad Dei amorem: reddunt ergo Deum nobis amabiliorem. =

Nec valet respondere. Id non tam ratione sui provenire, quam ratione bonitatis Dei, quam plus manifestant, hec beneficia, propter quod viri spirituales hortari solent nos plus debere attendere ad donatorem, quam ad dona quibus nobis benefacit. =

Sed ab hoc ultimo incipiendo, per donatorem significatur iam actus liber: nam Deus libere donator est. Et quia dona gratiae, media quaedam creata sunt, quibus Deus nos ad suam immediatam possessionem, et unionem promovere vult, id circo salubriter monemur, ad Deum ipsum, qui horum omnium donorum finis est, primariam intentionem nostram dirigere oportere: sed possessio, communicatio, vel unio est etiam libera, et potissimum omnium beneficiorum eius. Unde hoc nihil oppositae suffragatur sententiae. =

Praeterea. Universaliter de omnibus loquendo, certum est (ut dixi) per huiusmodi beneficia, non solum manifestare amplius bonitatem, quae in Deo latebat, et supponebatur ex vi perfectionis necessariae, sed aliam liberam exerceri de novo, communicando se nobis, miris et ineffabilibus modis, moriendo et satisfaciendo Patri aeterno pro hominibus, magnamque gloriam, et honorem sibi, suisque divinis attributis, et personis, ex his mirabilibus suae libertatis operibus captando. Quis enim negare poterit Deum in sui gloriam, laudem et honorem haec mirabilia facere? ergo ut per illa tamquam nova laude digna ab hominibus honorificetur. =

Triplex bonitatis acceptio ad huius difficultatis resolutionem praemittitur.

Observa pro huius intelligentia. Triplicitur accipi bonitatem. Primo pro integritate cuiuslibet rei, in quo sensu bonum, seu perfectum idem significat, quod completum, seu consummatum, definitumque fuit ab Arist.e 5. Meth. textu 21. et a S.to Th. ibidem lectione 8. et 1ª p. q. 4. art.o 1. et q. 5. art. 1.o ad 1.m Perfectum est cui nihil deest. Quae definitio communiter accipitur ab om=

ab omnibus: Ex illaque ortum habuit vulgatum illud assertum Dionisij. Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu, secundo magis stricte bonitas, seu perfectio accipitur pro quantitate virtutis alicuius rei, ex qua oritur illius dignitas, et estimabilitas, que est valde distincta a priori: Nam prior est convertibilis cum ente, omnis enim res suum esse completum naturaliter petit, et appetit, secus vero quantitas virtutis, que non per omnia predicamenta vagatur. Ideoque in Logica capite de qualitate dixi ex mente Aristotelis, et S. Th. peculiare illius predicamenti esse, quod perficiat substantiam, in hoc secundo genere, quatenus scilicet, auget, vel minuit quantitatem virtutis illius, vel dignitatis, aut estimabilitatis, quod cetera predicamenta non faciunt. Non enim fit estimabilior homo eo quod plura Vbi localiter mutet, vel plures relationes, aut plus de quantitate molis, aut duratione adquirat. =

Discernitur facile utraque bonitas, ex eo quod prior consistit in indivisibili: Nam res semel completa implicat ulterius compleri in eo sensu quo completa dicitur. Et e contra quod ei aliquid deficiat connaturaliter requisitum, non erit integra, et perfecta, At bonitas posterior est divisibilis in plures gradus, secundum quos suscipit magis, et minus, nam propter hoc quantitas virtutis dicitur per analogiam ad quantitatem molis. Vnde prior bonitas, sicut non dicitur quanta, sic nec maior: equalis vel inequalis, finita, vel infinita, que, et similia sunt proprietates quantitatis; ac proinde competunt bonitati secundo modo sumpte. Hac enim de causa una substantia non dicitur magis integra, quam alia, sed integra dicitur absolute perfecta, et que incompleta est, dicitur imperfecta. =

Colligitur aperte discrimen utriusque bonitatis ex D. Augustino libro de natura boni. cap. 4. vbi postquam dixerat aliquam naturam, vel substantiam esse malam ex defectu, aut corruptione alicuius boni sibi connaturaliter debiti, subdit aliquam naturam malam, que ex suo genere excellentior est, meliorem esse natura bona, alterius generis: nam aurum ex parte corruptum, et imperfectum, perfectius, ac melius est argento bono, et simpliciter perfecto, quod revera omnes admittunt. Nemo enim negabit hominem sine pedibus, aut manibus, aut oculis meliorem esse, equo integro, et perfecto. Ex quo sic formo rationem. Excessus ille Auri supra argentum, et hominis supra brutum est excessus in bonitate aliqua, seu perfectione: sed non est excessus in bonitate, sumpta pro integritate, nam potius supponitur aurum simpliciter imperfectum, et similiter hominem et argentum, et brutum simpliciter perfecta: ergo solum potest excessus intelligi quoad aliam bonitatem, seu perfectionem, que in quantitate consistit virtutis, et attenditur penes ordinem ad meliores operationes, et proprietates, quarum una substantia est radix, et non altera. Sed quoniam neutra istarum bonitatum est passio entis, (quoniam integritas includitur essentialiter in conceptu entis completi, et similiter quantitas virtutis, est ipsamet essentia rei cuius est, vel si est potentia accidentalis super addita, non est proprietas transcendens, et generalis entis ut sit, ut ostendum est.) ideo alia tertia bonitatis acceptio necessario asserenda est, que consistit in convenientia, seu aptitudine, quam res aliqua habet, ut ametur a voluntate, eo ipso quod bona est aliquo ex duobus modis relatis. que aptitudo dicitur convenientia, seu commensuratio ad appetitum, seu bonitas respectu illius, et consequenter proprietas orta ex illius perfectione tamquam ex radice. =

Ita est aperta doctrina S. Th. 1. p. q. 5. art. 1. vbi ait rationem boni, que est passio entis consistere in hoc quod aliquid sit appetibile. et art. 3. ad 1. expresse ait, bonum non

non addit aliquid supra ens, nisi tantum rationem appetibilis. et art. 4. ad 13. in quibus et alijs locis loquitur de hac 3.a bonitate, quæ est entis passio. Patet a simili de veritate, quæ similiter est passio entis. Nam sicut verum comparatur ad intellectum, sic bonum ad voluntatem sed verum non addit supra ens, nisi conformitatem, vel aptitudinem, ut intelligatur ab intellectu sicuti est, ergo bonum in hac tertia acceptione solum significat aptitudinem ut ametur a voluntate, alioquin si bonitas quæ entis passio est alia esset a ratione appetibilis, sexta passio entis constituenda esset in hac aptitudine quam habet rei per ordinem ad voluntatem, sicut aptitudo per ordinem ad intellectum passio entis dicitur.—

~ Difficultatis resolutio. ~

Ex dictis facile est iam litem dirimere: si enim sermo sit de bonitate primo vel secundo modo sumpta, certum omnino est utramque Deo necessario inesse, neque ullam illi ex actibus liberis accrescere posse, quæ ipsi potuerit non inesse. Hoc satis convincit pars negans; ideoque quantum ad hoc eius veritas inconcussa est. At si sermo sit de bonitate tertio modo considerata in ordine ad voluntatem nostram, probat optime pars affirmans, quod Deus per charitatem, sit nobis charior, et appetibilior, prout subest suis liberis attributis, quam si præcisse sine illis consideretur. Itaque licet nihil Deo possit accrescere de perfectione absoluta quæ necessario illi competit, at de bonitate respectiva, seu in ordine ad nos, quæ tantum consistit ~~quæ tantum~~ in ratione appetibilis, fuit Deus absolute nobis amabilior per formalitates liberas quibus se nobis communicavit, ut Pater, Sponsus, Amicus, Redemptor, cibus, etc.a —

Quod amplius sic declaro; nam per se notum est, quod Beatitudo sit nobis appetibilior, quam illius privatio, et similiter unio cum Deo modis omnibus declaratis, quam eius carentia: sed hæc omnia nobis proveniunt ex actibus Dei liberis non ex necessario, ut ab illis abstrahit, ergo amabilior fit nobis Deus, per actus liberos, consequentia patet, et minor quoad secundam partem in qua potest difficultas esse probatur. Nam per actum necessarium, quo Deus se diligit, quomodocumque explicetur, tantum est indifferens, ut sit et non sit Pater, Sponsus et beatitudo nostra; ut redimat nos, vel in æternum damnet, ut benefaciat, vel non misereatur nostri, ergo ex vi actus necessarij nullum beneficium intelligitur in Deo in ordine ad nos, sed tantum potestas, libera, et indifferens, ad benefaciendum, et ad oppositum. De maiori quis dubitet, quod sit amabilior nobis elevatio ad supernaturalem finem, et fruitionem Dei, quam eius carentia.—

Neque valet dicere hæc tantum probare de amore concupiscentiæ; nam etiam Charitas, ut dixi appetit Deum in ordine ad se, eiusque unionem modis iam relatis, ideoque iuxta ordinem quem servare debet incipit a se ipsa, Deum plus sibi appetens, quam cæteris ut infra latius explanabo.—

Urges tandem quod bonitas hæc tertio modo sumpta, prout dicit rationem appetibilis, et commensurationem, seu habitudinem ad voluntatem, fundatur in bonitate, seu perfectione primi, aut secundi generis, in quo sensu hæc causalis communiter profertur ut vera, ideo res est appetibilis, quia bona, ergo non potest addi, aut admitti nova appetibilitas, ubi non est nova bonitas, quæ sit fundamentum, et radix illius, ac proinde si actus liber, nullam perfectionem, aut bonitatem addit supra perfectionem actus necessarij, etiam nec appetibilitatem novam, quia cum hæc sit passio entis, si non additur aliquid ex parte entis, sic necessario pro-

proximitatis illius. =

Respondetur tamen, quod nova extensio, et repetitio dicta eiusdem actus, quo divina bonitas libere se communicat creaturis, est sufficiens fundamentum novae laudis, et amabilitatis. Nam aequivalet novae bonitati siquidem causat novos affectus, et beneficia in nobis, quae non causantur ex vi actus necessarii praecise considerati. Unde licet perfectio divini actus formaliter sit una, et simplex, tamen eminenter est plures ratione suae infinitatis, et aequivalen. pluribus actibus ex se bonis, quatenus per novas habitudines, ad diversa obiecta connotata, et in sui honorem, et gloriam libere relata, diversas suscipit denominationes, misericordiae scilicet, iustitiae etc.ª Et quid mirum, quod haec sola extensio, et quasi repetitio libera eiusdem actus fundamentum praebeat novis laudibus, et amplius, et amplius amabilitatem augeat, si mirabilia operatur de novo, quae ex praecisso actu necessario minime fierent? Quid mirum, si hoc liberum exercitium ex se novos causat affectus, quod ad novos excitat affectus. =

Respectu charitatis divinae, seu amoris increati, actus liber non pertinet, nisi tantum ad secundarium obiectum. =

Hanc ultimam assertionem addo ad complementum doctrinae. Cuius ratio est. quia obiectum liberum, quale est illud, non potest comparari ut primarium, seu specificans ad actum simpliciter necessarium, qui est amor increatus ex primo et quidditativo conceptu suo: quod enim est contingens, et quod potuit non esse, non potest esse proportionatum obiectum, et per se connexum cum eo, quod simpliciter necessarium est, et non potuit non esse. Ergo solum secundario, terminant tales actus liberi divinum amorem, sicut caetera obiecta contingentia creata. =

Sed obiicies. In ratione obiecti voluntatis, nihil magis primarium excogitari potest, quam finis simpliciter ultimus, sed Deus per actus liberos se diligit ut finem ultimum creaturarum, cum ad sui honorem, et gloriam libere volitam omnia creata referat et gloria illa, seu honor, nihil aliud sit quam gaudium, et complacentia libera, quam Deus assumere vult ex obsequiis illi exhibitis a creaturis, ergo talis gloria, seu complacentia libera, primario terminat divinum amorem. =

Confirmatur. quia dixi saepe actum liberum esse quasi repetitionem dilectionis, qua actus necessarius divinam prosequitur bonitatem, et propter hoc obiectum formale actus liberi, esse obiectum primarium charitatis nostrae. Dixi etiam actum liberum differre ab actu necessario, sicut eadem intentio, eiusdem finis magis, aut minus expressa, seu determinata: ergo si actus necessarius, et illius obiectum obiicitur primario amori increato; sic actus liber. =

Respondetur ad primam, quod non omnis actus circa finem est primarius nam potest finis attingi, secundum diversas rationes, quarum una sit primaria et altera secundaria; quando finis attingitur ut assequibilis, aut factibilis, actus primarius est intentio efficax illius, et gaudium de fine adepto, vel timor, aut tristitia, de impedimentis adversantibus sunt actus secundarii; quando vero finis non est assequibilis ut Deus, cuius esse est semper actu esse, primarius actus circa illum, est complacentia, seu gaudium de actuali

actuali

actuali esse, et possessione illius, et quasi secundarius actus est de communicatione illius respectu Creaturarum. quae est ratio secundaria in Deo, ex primaria orta: quae se habet sicut inamicitia beneficentia, quae ex benevolentia et complacentia amici exitur tamquam actus secundarius illius: sic pariter ex complacentia, qua Deus prosequitur suam bonitatem, eam honorari et coli intendit a Creaturis. =

Ad Confirmationem facile respondetur. quod sicut intentio finis dicitur, respectu in electione medij, aut assensus principiorum in conclusione, eo quod unum est ratio alterius; sic quia complacentia ~~[illegible]~~ divinae bonitatis est ratio quod illi intendatur honor, et obsequium a Creaturis exhibitum; ideo intelligitur tamquam ratio inclusiva in terminatione secundaria. = Ad secundam Confirmationis partem respondetur etiam. Quod illa est comparatio, quae non tenet in omnibus: Nam primaria illa terminatio divini amoris ad suam bonitatem, non est proprie intentio, sed complacentia, et gaudium de suis inamissibilibus bonis, in hac autem inadequate includitur, quod sit inclinatio ad omne bonum creatum Deo beneplacitum, Nam in complacentia Dominij, omnipotentiae, misericordiae, et similium inhibitur inclinatio in communi ad obiecta creata horum attributorum, et haec comparatur intentioni boni in communi, quae in nobis est, et secundaria terminatio, qua Deus attingitur, ut actualis causa et finis harum Creaturarum, assimilatur intentioni finis particularis, sed aliter, et aliter, ut iam dixi. =

Sectio 4.ª Quo pacto Deus sit summe diligibilis, aut eius amor summe appretiativus.

Quamvis Difficultas haec tractari soleat ab expositoribus S. Th. q. 26. et in materia de penitentia, qua ratione actus contritionis debeat esse maximus dolor, de quo est eadem proportionabiliter ratio. Commodius tamen hic, ubi essentia, et obiectum charitatis discutitur; maxime cum haec sit pars principalis definitionis illius. =

Suppono prius quatuor modos, quibus dilectio unius, aliam posset excedere. Primus essentialiter, et specifice, eo quod in perfectione essentiali actus illam superet, et sic dilectionem Dei esse omnium maximam, non solum ad naturales, verum ad supernaturales comparatam, demonstrabitur art.º 6. cum probetur omnium virtutum excellentissima esse. =

Secundo. Dilectio, dilectionem superat obiective ex parte scilicet materialis obiecti; cum plura, aut maiora bona, concupiscit, aut largitur amico. Et sic charitatis amor est indubitanter maximus, quia cum summum bonum, et ultimus finis sit obiectum illius, non solum plura, sed omnia bona ad illum debent refferri: hac enim de causa definitur, quod sit amor Dei super omnia. =

Tertio considerari potest excessus in appretiatione: cum scilicet voluntas unum amatum alteri praefert, ita ut si amicitiam alicuius oporteat deserere, alterius benevolentiam relinquat, quam minori pretio aestimat, propter illius amicitiam conservandam, quae revera in anima praedominatur, et in hoc sensu consentiunt etiam omnes Deum super omnia, summa appretiatione esse diligendum, quia eius amor omnibus alijs ante ferri

intelligi debet, utque firmiter et integre voluntas, ut nec pro omni rerum collectione Deo separari patiatur. =

Quartus excessus est in intentione: cum scilicet dilectio unius maiorem latitudinem gradualem importet, quam alterius. Et in hac consideratione fatentur omnes amorem Dei, non debere esse in intensione maximum. Nam quolibet actu quantumvis remisso potest Deus ex charitate super omnia diligi. Neque est praeceptum aliquod, quod certam illi intensionem, aut quantitatem designet, multo ergo minus maximam. Alioquin Charitas non solum moraliter, verum physice impossibilis esset, si summum peteret intensionis gradum. =

Est nihilominus non parum difficilis controversia, utrum Dei amor licet non in gradu superlativo, vel comparatione ad omnes amores possibiles, saltem comparando illum ad eos quos de proximis, aut nobis ipsis habemus, debeat esse intensive maior? Neque est dubium, quando proximos, aut nos propter Deum, eodem charitatis actu diligimus, hunc enim eadem necessario est actus intensio, respectu utriusque obiecti: est tamen Deus ratio diligendi cetera, immo et obiectum primarium actus; ac proinde magis diligitur in alio sensu vulgati illius proverbii. Propter quod unumquodque tale, et illud magis. quod non loquitur de intensione, sed de principaliori titulo, aut ratione participandi, aut terminandi, primario scilicet aut secundario, formaliter, aut materialiter etc. =

~ Prima de hac re sententia proponitur. ~

Duae sunt celebres sententiae extreme oppositae circa hanc difficultatem, et duae aliae mediae, de quibus omnibus iudicium ferre necessum est. Prima est amorem Dei eo ipso quod sit appretiative maior respectu alterius, cum quo fiat comparatio, debere eundem excessum in intensione habere. Tenet Scotus in 3. distinct. 27. q. unica. Durand. distinct. 29. Petrus Soto, in institut. sacerdotum. lect. 14. de penit. et alii. Videturque sententia D. Th. 926. ubi per omnes articulos declarant charitatis ordinem in rebus diligendis, quantum ad magis, et minus, semper loquitur absolute, et sine distinctione hoc plus diligi debere, illa minus, sed hae voces magis, et minus, in qualitatibus apud philosophos semper de quantitate virtutis, intensionis scilicet, et remissionis intelliguntur. Est enim earum proprietas suscipere magis, et minus, ergo cum alias ex contextu colligatur, sermonem aliquando esse etiam de magis, et minus secundum appretiationem, utrumque pro eodem accipit D. Thom.: alioquin inter utrumque distingueret, et non procederet ita aequivoce. Art. enim. 6. et 7. distinguit de proximis quosdam plus diligendos obiective, quosdam vero intensive, et de Deo, et aliis nihil tale distinxit, sed absolute asseruit plus diligendum eo ipso quod super omnia illius amor esse oporteat. =

Sed non multum urget quantum ad hoc. Nam D. Th. ibi expresse loquitur de excessu secundum appretiationem, ut haec opinio fatetur, hinc que obiective expressit, particulas obiective, et appretiative, quando sermonem mutare oportuit, et de excessu appretiativo, ad intensivum transire. =

Rationes autem pro hac sententia, efficaciores videntur. Prima est. quia, praeter essentialem, nullus excessus est intelligibilis in qualitatibus, nisi vel ex parte materialis obiecti, qui dicitur extensivus; vel ex parte subiecti, eo quod tenaciori, ac maiori

conatu

estatu feratur in illud, et sic appellatur semper a philosophis intensio, aut remissio quas docent proprietates esse qualitatis. Patetque inductione in omnibus, et precipue in his quæ ad intellectum pertinent. Maior enim, vel minor charitas, aut certitudo in cognoscendo, si non sit essentialis, aut proveniat ex parte obiecti, oritur semper ex maiori intensione, aut radicatione in subiecto; sic ergo pariter in amore intelligi nequit excessus in appretiatione, qui non sit in intensione. =

Secunda est. quia maior appretiatio, supposito quod non est solius intellectus iudicantis, Deum esse magis diligendum, sed voluntatis etiam, nil aliud potest esse quam maior affectus, æstimatio, firmius, ac tenacius inhærentis uni præ altero, quod est actum esse intensiorem. = Confirmatur. quia nihil frequentius, apud philosophos, quam ex duobus contrariis, illud quod est intensius vocari fortius, illudque dominari in subiecto, et aliud expellere, quod non tot gradus intensionis habet, ut patet ex ratione ipsius intensionis, quæ est maior radicatio qualitatis, tenaciorque illius in anima inhæsio, ac proinde, tanto fortior, et removeri difficilior quanto intensior, sed his terminis declaratur ab omnibus maior appretiatio, quod scilicet sit affectus præferens obiectum suum aliis, constanterque alios ab animo expellens ergo maior appretiatio, et intensio connectuntur, et convertibiliter se habent. =

3.ª Quia charitas invenit in Deo rationem formalem sui obiecti excellentiori modo, et tamquam in primo principio, et fonte, quia est ultimus finis, et summum bonum, ergo intensiori actu, in eum fertur, maiorique adhæsione, et conatu, quia maiorem invenit in eo bonitatis rationem, a qua plus excitetur, et alliciatur voluntas, sicut cognitio maiori claritate, et intensione fertur in prima principia, quam in conclusiones. quod tandem confirmant verba illa, præcepti charitatis diligendi Deum ex toto corde, ex tota anima, et ex omnibus viribus. = Sed verba hæc plus probant quam hæc oppinio intendit, scilicet debere esse summum in intensione, et non solum comparatê ad hunc, vel illum actum, de quo in suo proprio loco dicam. Nec tota hæc tertia ratio convincit plusquam maiorem appretiationem, nam quod Deus sit summum bonum, et ultimus finis, solum infert, quod cæteris præferatur, et quod super omnia diligatur; quod autem hæc maior appretiatio sit idem quod maior intensio, nondum probatur. =

~ Secunda, et communis sententia ~

Asserit, optime inter se cohærere, quod actus sit maior appretiative, et intensive minor quovis alio cum quo comparetur. Pro qua multi citantur gravissimi Authores, in quibus non immorabor. Probatur 1.º quia nulla charitas intensio est in præcepto et quilibet actus dilectionis, quantumvis remissus est sufficiens ad iustificationem, omnemque illius effectum, alias mentes hominum scrupulis replerentur cum talis inæqualitas intensiva non possit discerni. =

Secundo probatur ex manifesta experientia, qua viri timorati ferventiores affectus sentire videntur circa parentes, uxores, amicos, aut alias creaturas, quam circa Deum, et nemo illos audet reprehendere, nec potest si firmum propositum formale, vel virtuale habeant numquam recedendi a divina amicitia, propter quamlibet aliam

rem

usque maior appretiatio consistit, ergo excessus alius in intensione non est necessarius.=

Sed hoc argumenta, non multo negotio solui possunt. Ad primam respondebit opposita sententia. Ipsam non imponere alicui nouam difficultatem, aut obligationem praeter eam, quam unusquisque habet procurandi quod dilectio Dei sit maior appretiatiue, nam eo ipso, (aut illa) velit, nolit, erit intensiue maior; nam ipsa maior appretiatio, est in se maior intensio, si enim assereret actum summe appretiatiuum non sufficere sed alterius tamquam nouam diligentiam intensionem exigeret, certe mentes hominum implicaret scrupulis, sed solum asserit in appretiatione, quam omnes ad charitatem requirunt intensionem includi. Nec postulat certam aliquam intensionem ad charitatis actum: cum per hoc quod respuat propter Deum intensionem, et substantiam dilectionis aliorum, ut postea declarabo, saluabitur summa appretiatio, absque qualibet determinata intensione.=

Ad secundum etiam facile respondetur. Excessum teneritudinis affectus, qui experitur in dictis casibus, non esse in voluntate rationali, sed ab appetitu sensitiuo prodire, qui delectatur magis de obiectis sensibilibus, quam rationalibus. Praeterum sicut voluntas, potest non consentire vehementibus motibus appetitus, ita poterit non ita intense condelectari cum illo. Et quoties eadem teneritudine, et intensione condelectatur voluntas, circa paruulum, vel mulierem, ita ut propter illos derelinquat amorem appretiatiuum Dei, huius non est alia ratio, nisi quia maior intensio, quae antea erat in appetitu, ascendit ad voluntatem rationalem et id circo non compatitur cum altera dilectione appretiatiue maiori, quia non est intensiue maior.=

An autem alia fortiora sint fundamenta pro hac sententia dicemus sectione sequenti.=

~ Sexta cuiusdam sententia reffellitur. ~

Has duas sententias conciliare voluit Pater Lorca disputat. 26. sup. art. 6. q. 26. s. fin. ubi supponit, quod cum dilectio Dei sit alterius generis et ordinis, quia est supernaturalis, et infusa, non potest ad quamlibet aliam comparari, secundum perfectionem gradualem, quae solum inuenitur inter gradus eiusdem formae intra eandem speciem, qua ratione (inquit) calor non dicitur intensior frigore; sed solum potest fieri comparatio in perfectione essentiali. Et sic resoluit charitatem esse maiorem, quauis alia dilectione quantumuis intensa, quia perfectior essentialiter est. Sic quod exponit Authores loquentes primae sententiae, improprie tamen uti voce intensionis significare tantum excessum in essentiali perfectione. Asserit tamen, quod licet non possit fieri comparatio absoluta in quantitate graduali inter formas specie diuersas, potest fieri proportionalis, an scilicet dilectio Dei, in suo genere, et ordine debeat esse intensior, ac quaelibet alia creatura, in suo, et in hoc sensu tandem resoluit partem negatiuam cum Authoribus 2ae sententiae. Vnde ego infero, hanc secundam tenuisse sententiam, minime autem primam sibi conciliari posse. Primum, propter rationes illius, quae manifeste probant de excessu accidentali propter intensionis quae est proprietas qualitatis. Tum etiam, quia omnes Authores, et ipse Lorca diuersis locis disputant utrum charitas sit essentialiter perfectior caeteris virtutibus, ut videbimus art. 6. et

art. sit

an sit maior appretiatiue, vel intensiue, ut q. 26. et alibi loquuntur, ergo supponunt, sensus esse valde diuersos.

In quo sensu hec oppinio, ad uerum sensum possit reduci, sequenti sectione dicam. Displicet tamen valde, in hoc quod negat, comparationem fieri posse in quantitate graduali, inter dilectionem Dei, et creaturarum, hec enim frequenter fit a Philosophis, inter formas valde diuersas, et contrarias, sepe enim dicitur de duobus contrarijs, quod fortior seu intensior dominetur in subiecto, et expellit alterum ab eo.

Preterea, ratio est clara. quando duo aliqua vniuoce conueniunt in aliqua ratione communi, etsi alias differant, possunt quantum ad rationem communem, inuicem comparari: quis negat? Immo ex tali comparatione fuit abstracta hec ratio communis. Sic enim hominem comparamus in ratione corporis, et quantitatis molis ad cetera entia inanimata; et in ratione sensibilis ad bruta, exceditur enim in quantitate, et magnitudine a monte, in perspicatia visus ab Aquila a Leone in fortitudine, a ceruo in velocitate etc.ª ergo cum dilectio Dei conueniat vniuoce cum qualibet alia creaturarum in ratione qualitatis, et actionis immanentis, et in quantitate graduali, que est qualitatis proprietas, negari non potest in hac communi ratione, propria, et rigorosa comparatio; quia non fit secundum rationes specificas, seu differentiales, sed secundum rationem, in qua vniuoce conueniunt. De quarta alia sententia postea dicam.

Sectio 9.ª summam appretiationem non inferre maiorem intensionem.

Prius explicemus quid sit appretiatio, et inde constabit excessus in illa. Appretiatio enim idem est quod estimatio. que stat tripliciter, vel in iuditio intellectus, quo bonitas seu valor discernitur alicuius rei, ideoque ut digna amore, vel honore, voluntati proponitur. vel secundo in actu reuerentiali voluntatis, quo alicui honor exhibetur, et de hoc non est difficultas, nam maior reuerentia potest exhibere, cui minus diligitur, quia nec omne bonum est capax reuerentie, sed tantum persona honorabilis, vel 3.º in latiori acceptione pro actu quo res aliqua amplectitur, et estimatur a voluntate propter suam bonitatem, bonitas enim eo ipso estimabilis est, et amore digna. Ex quo patet, quod tunc absolute res magis appretiatur, quando alteri comparata, illi ut res maioris pretij a volunte anteffertur; et si necessarie sit, relinqua illius amore spernit. Vnde et si in recto hec appretiatio ad voluntatem pertineat, connotat, (sicut electio) iudicium intellectus discernentis maiorem bonitatem ab ea que tali non est; et tunc fertur affectus, vbi maior apparet vel simpliciter, vel secundum quid, quia sepius contingit minus bonum eligi, ex certiori relicto. Peccator v.g.ª Deo omnis, etiam cognito ut simpliciter amabiliori et digniori, ad bonum sensibile minimum porrigit, loquod aduerti in hoc secundum quia excedere, quod pro hic, et nunc presens est, appetituique corporis sensibilior, cuius delectatio statim potest percipi, Deus autem ut bonum absens, et distans, vt maxime arduum, et corpori pro nunc aduersum proponitur, ideoque ipsi bonum sensibile inordinate prefert.

Ex hoc 2.º aduerto, quod duplex est modus, appretiandi, vel anteponendi

vnum

obiectum obiectum alteri, vel ita ut unum diligat, et alterum occasione illius repugnat, eo quod obiecta in esse opposita sunt, vel ita ut utrumque diligat, quia utrumque simul amari permittitur. Verum, alterum plus diligit, et alterum eatenus prosequitur, quatenus potiori dilectioni non contradicit, ideoque ex vi talis affectus dispositus est, alterius amorem si opus fuerit relinquere. Ex quo iam constat § 39. =

Difficultatis resolutio.

Optime stare potest maior, et summa appretiatio cum minori intensione respectu alterius actus, cui fit comparatio, immo, et absque ulla determinata intensione. Ita est ita communis sententia, quam ut secundam supra retuli, et probatur facile hęc pars ultima: quia si aliquis unum alteri, praeferat, alterum propter ipsum contemnens salvatur ipsius positio, et maior appretiatio supra illud, et si dilectio nullam intensionem habeat, sed in uno tantum gradu si alias est possibilis, existat. Quia unico tantum amoris gradu potest res aliqua diligi, et altera propter illam respui; sic ergo Deus eadem ratione, potest summe diligi, et super omnes creaturas appretiari, per hoc solum quod omnes ob Dei amorem relinquat, ad quod nullus excessus in intensione requiritur, sed tantum quod actus oppositus obiciatur. =

Confirmatur. Quia nullum peccatorem, lex divina obligat aut Ecclesiastica, ut Deum ferventiori prosequatur dilectione, quam fuit actus, quo inordinate creaturas concupiit. Alioquin, nec dum probabilitatem posset de sua iustificatione, aut dispositione ad illam habere; quinimo evidenter experietur oppositum; plurimi enim sunt, qui numquam in se ipsis eum conatum, et ardorem senserunt, quo antea creaturis affectuosissime inhęrebant. Solum ergo obligatur ut creaturarum dilectionem per pęnitentiam retractet propter Dei amorem, et sic animus ab omni scrupulo, salvaturque summa Dei appretiatio, siquidem omnia desiderabilia propter ipsum contemnit: nulla ergo intensio talis actus necessaria est. =

Solum circa modum loquendi posset quis obicere, quod quando unum obiectum amatur, et aliud propter illud odio habetur, non potest dici unum plus amari, aut appretiari quam alterum, quia comparatio debet esse in aliquo communi, et sicut amor non dicitur maior dilectio, quam odium; sic nec res amata magis dilecta, quam ea quę solum habetur odio. =

Respondetur imprimis, summam appretiationem, nullam comparationem facere aut petere, cum aliis participantibus aliquam rationem communem, et hęc nostro intento sufficit. Secundo, etiam possumus uti voce comparativa, et dicere Deum magis appretiari, quando cętera propter ipsum, despectui habentur; quia satis est, quod obiecta postposita pretium, et propriam bonitatem habeant, ut Deus dicatur magis appretiari, idest in maiori pretio haberi, vel ut res maioris pretii amplecti, cęterisque anteponi. Unde maioritas in hoc sensu non tam appellat supra actus, quam supra obiecta. Quod vulgaris modus loquendi satis confirmat; quid enim frequentius in quavis materia, quam dicere, ea magis appretiari, et ęstimari, quę eliguntur prę aliis, vel commutantur? satis enim est, quod bonum postpositum, et antepositum in communi, boni, aut pretii ratione conveniant, immo et ad actus potest hęc comparatio referri nam amor rei bonę, verus etiam amor est, et sic prętexitus, vel possibilis. —

Quarta sententia, quę potest nostrę doctrinę opponi. —

At adversus primam Conclussionis partem asserit, quod licet in casu dicto posita summa appretiatio, absque ulla intensione subsistere, pertinerem ad actus retractatos, quia ipsa retractatio, et conceptus aliorum bonorum, satis indicat excessum appretiationis. Cæterum, si comparatio fiat, ad amores licitos Creaturarum, ideoque simul coexistere permissos, respectu horum, inquit non potest inteligi maior appretiatio, quin sit maior intensio, et quantum ad hoc ad hæret primæ sententiæ, sectione præcedenti relatæ. =

Probatur autem primo. Quia licet non omnis excessus appretiativus, sit intensivus, ut iam declaratum est, è contra tamen omnis maior intensio est formaliter maior quædam appretiatio, quoniam ut constat ex indubitabili posito, si essentialiter ipse met actus voluntatis est appretiatio, seu æstimatio bonitatis obiecti, intensio talis actus secundum quam suscipit magis, et minus, erit formaliter intensior appretiatio, ac proinde quo magis de intensione, eo magis de appretiatione obtinebit. =

Quod si respondeas, summam Dei appretiationem, et intensionem, esse rationes valde diversas. Illa est intrinseca substantia actus dilectionis, hæc vero accidens, seu proprietas. Contra. Nam implicat, quod appretiatione essentiali actus sit maior, vel summus, et appretiatione accidentali, seu intensiva, minor: nam sicut illa se habet, ut radix, et hæc ut proprietas, quo magis de radice, magis de illius affectu, Et sicut substantia amoris Dei, abstrahit ab hoc, vel illo gradu intensionis, et habet se quasi superius, respectu inferiorum, ita ut valeat: est actus intensior, ergo maior, et econtra sic valet: charitas est intensior, ergo maior appretiatio, et econtra, est maior appretiatio: ergo intensior. =

Præterea. Maior appretiatio, vel summa, quæ est essentialis actui charitatis, et in hoc consistit, quod Deus ut summum bonum, plus cæteris omnibus à voluntate æstimetur, ita ut propter ipsum omnia alia bona incompossibilia tamquam minora deserantur; ergo etiam erit sufficiens, et necessaria ratio hæc summa appretiatio, ad hoc quod alia bona compossibilia tamquam minora minus amentur. Patet consequentia. Quia sicut illa maior appretiatio est efficax ad penitus expellendos alios amores, quoad substantiam, etiam à fortiori ad expellendam intensionem maiorem, quæ Deo contraria, et iniuriosa est: nam iniuria fit summo bono, quod minus ametur. Ideoque præcipitur dilectio Dei, ex toto corde, et ex tota anima, ex tota mente, et ex omnibus viribus, non quia diligi postulatur, summa intensione, sed quia super omnia, et super omnes amores saltem coexistentes. =

Hac etiam de causa nimius amor Parentum, uxoris, aut filiorum, a sanctis Patribus communiter reprehenditur, quia licet sint quoad substantiam honesti, per excessum sicut per deffectum, possunt rationi adversari, nam eorum bonitas, sicut et aliarum virtutis in mediocritate consistit, ergo quoties aliquis istorum actum de se honestus superat in intensione, Dei amorem inhonestus redditur. quia consequens fit, quod talis actus sit fortior amore Dei, quod dominetur in anima, quod Deum ab ea expellat, si contrarium advertat Patremque, aut uxorem supra ipsum appretiet. quæ, et similia expressa met intensionis ratione satis demonstrantur: nam est fortior, et tenacior radicatio actus, tanto difficilius a subiecto expelli, loquam maior appretiatio, et æstimatio. Ideoque experientia testatur frequenter, hos amores uxoris, vel filiorum qui honesti reputabantur, adveniente postea occassione derelinquendi illos, aut moderandi propter amorem Dei, e contra fieri, quod contemnitur Deus propter ipsos. Cuius non est alia ratio, quam nimia illorum intensio, quæ nondum, advertebatur

[illegible]

Refellitur hæc sententia, et simul nostra probatur.

Hæc opinio, etsi apparentiam aliquam habere videatur, nullam continet veritatem, ex illa enim maxima sequuntur inconvenientia, et scrupuli. Nam si sola maior intensio in amore Parentum, aut filiorum, esset contra summam appretiationem actus charitatis, et destrueret illum, sequeretur, quod talis amor esset peccatum mortale, sed nemo potest discernere intensionem suorum actuum, nec eorum quantitatem gradualem metiri, et cum alterius quantitate conferre, ergo qui amaret Patrem, aut Matrem, aut uxorem, vel peccaret mortaliter, vel se manifesto illius periculo exponeret, quod esset homines retrahere ab obligatione dilectionis Parentum etc. et maximè eos scrupulis implicare. Probatur sequela, quia præterquamquod experitur semper in his amoribus maxima naturæ propensio, intensio, ac vehementia sensitivæ partis, voluntas rationalis non contradicit, quia divinis, et humanis legibus ad id cernitur obligata, et alias intensionis gradus non valet discernere, neque in Dei, neque in Creaturarum amore, immo nec charitatis cum sit super naturalis percipere valet: ergo manifesto se exponit periculo, anteponendi Creaturas Deo, sed ex alia parte urget præceptum eas diligendi, quod maximam perplexitatem induceret. =

Confirmatur argumentum, in casu quod non diligitur actu Deus, ad quod non semper tenetur, quia hoc est solum Beatorum, et quod tunc instet obligatio diligendi Parentes, aut uxorem, ergo diliguntur tunc temporis, plusquam Deus; quia tunc Deus neque ut unum diligitur. Qua ergo ratione negari non potest, tunc amorem uxoris, aut Parentum, licitum, immo, et meritorium esse, quando Deus actu non diligitur, etiam quando Deus minus intense diligitur, amor ille suam honestatem retinebit. =

Huic responderi potest. In casu posito Parentes amari propter Deum virtualiter, et implicite, quod est de ratione actus virtuosi, et dum non retractatur amor Dei existit, et manet interpretative, et moraliter. At quando existens actu cum amore Creaturæ habet minorem intensionem, iam retractatur summa illius appretiatio per maiorem illam intensionem, quam habet dilectio Creaturæ quæ magis appretiatur quam Deus. =

Sed hoc est valde frivolum. Nam amor Patris, et quilibet alius virtuosus in quocumque gradu intensionis sit, est amor implicitus, et virtualis Dei, ultimi finis, et sicut non est inconveniens, quod Deus duplici actu, simul diligeretur, quorum unus, esset ferventior altero, sic nec quando implicite diligatur, in aliquo actu virtutis ut octo, et quando simul explicite charitate ut quatuor. = Demus enim quando actu præterito quis Deum dilexerit charitate ut quatuor, et quod in eo gradu moraliter manserit, si postea cum actu diligat ut duo, improbabiliter diceretur, quod retractaverit intensionem præcedentis actus: quia talis amor remissus de novo exercitus, non excludit alios intensionis gradus, etsi actu eos non exerceat, vel propter difficultatem, vel quia tunc nulla extat obligatio, et potest pro libito suo etiam substantiam omittere, ergo, si Deus moraliter diligatur per actum alterius virtutis, ut octo, non retractatur talis intensio per actualem dilectionem charitatis ut quatuor, sed potius debet inferri, quod simul diligatur duplici actu, ut quatuor scilicet, et ut sex, specialiter si amor Parentis, ut octo, sit actus superveniens dilectioni Dei ut quatuor, potius addit gradus intensionis, quam tollit, cum vere sit amor virtualis, et impli=

citus

citus Dei, Nam sicut arguebat opposita oppinio, quod appretiatio summa, eo ipso quod est intrinseca, et essentialis actui charitatis, debet augeri, et suscipere magis, et minus ab intensione quae est illius proprietas, sic ad hominem contra illam dici potest de quolibet actu virtutis quod eo ipso quod intrinsece sit amor virtualis, et implicitus ultimi finis, suscipiat ab intensione et quantitate actus, magis, et minus, sicut caeteri actus, ac proinde si amor Patris ut duo, est amor virtualis Dei, in eodem gradu, sic amor Patris ut octo in eodem gradu Deum etiam suo modo implicito respiciat. =

~ Ratio apriori, et fundamentalis assertionis. ~

Praeterea, efficaciter contra hanc opinionem obiicio rationem praecipuam, in qua nititur assertio nostra: quia summa appretiatio, quae est substantialis actui charitatis, est longe superioris ordinis, et efficaciae, quam quaevis magna intensio, cuiuslibet alterius dilectionis creaturarum, non solum quia supernaturalis infusa, ac excellentioris naturae, de quo modo non curo; usque ad articulum sextum. sed quia etiam si naturalis esset, appretiat summo modo, ex vi suae intrinsecae rationis formalis Deum super omnia alia bona creata, illum ut summum bonum caeteris anteponens, et ad ipsum tanquam ad ultimum finem, omnia alia referens; excedit ergo incomparabiliter appretiatio substantialis huius actus, etsi nullam intensionem habeat, omnes appretiationes, et intensiones quantumvis magnas, actuum creaturarum. Antecedens patet, et probatur consequentia. Nam amor Patris v.g., ut [illegible] non est summa illius appretiatio, quia nec respicit illum, ut summum bonum, nec ut maius bonum, neque intensio illa, quae est proprietas illius actus extenditur, ultra substantiam talis actus. Unde sicut linea etsi infinite crescat, non potest pertingere unquam ad rationem superficiei; sic nec intensio infinita qua quis patrem suum diligeret, non extraheret actum a sua intrinseca specie, quae est respicere patrem ut bonum limitatum, et non inter medium ad finem ultimum ordinatum saltem implicite, et virtualiter, neque patrem constitueret finem ultimum creaturarum omnium; ergo nullo modo talis amor excederet actum charitatis quantumvis remissum, cum in hoc summa appretiatio intrinsece, et essentialiter imbibita vigeat, et non minus quam summum bonum, et ultimum rerum omnium finem ut sic rectum primarium respiciat, ita ut ex se sit potens omnes actus quantumvis intensos creaturarum respuere ut opposita fatetur opinio, eos etiam amorem Patris si necesse fuerit, quem si permittit est, quia non oppositus, sed conformis suae divinae voluntati. In hoc sensu intelligi potest Lorca quando ait charitatem essentialiter excedere intensiones aliorum actuum, hoc est in ratione appretiationis, quae illi intrinseca, et essentialis est, quid quid sit de speciei nobilitate, et supernaturalitate, de quo alias. =

~ Satis sit iam argumentis oppositis. ~

Ex dictis iam fere omnia opposita ab aliis opinionibus soluta sunt. Ad hoc tamen ut plenius, et uniformiter satisfiant quae videntur difficiliora, ad 1um argumentum huius sententiae, concedo, quod omnis maior intensio, sit maior quaedam appretiatio, et quod suscipere magis, et minus, sit proprietas cuiuscumque actus, aut qualitatis, caeterum haec proprietas

tam

nen extendatur, et dixi, vltra substantiam actus, neqz extrahit illum a sua specie neu promouet ad aliam excellentiorem, ac proinde nulla intensio actus dilectionis creatura-rum potest pertingere ad summam Dei appretiationem, quæ est essentialis actui charita-tis, et si valde remisso. =

Ad replicam, quo magis de radice, magis de proprietate. si aliquid proba-ret, conuinceret, quod sicut charitas essentialiter est appretiatiue summa, sic etiam in intensione debeat esse summa; quod nec opposita sententia audebit asserere, loquendo de charitate simpliciter (licet de omni perfectione ipsi possibili et connaturali id concedi posset): quod scilicet quia respicit summum bonum, non erit omnino perfecta, dum omni mo-do possibili illud non summe appretiauerit. Solum igitur ratio probat etiam, quod cuilibet actui correspondeat magis, et minus, vt proprietas consequens eius radicem. Et ideo si-cut amor Patris aut cuiusuis alterius creaturæ, augetur propter suam proportionatam in-tensionem: sic summa Dei appretiatio, quæ est intrinseca actui charitatis intenditur etiam per suos gradus, et augetur radix per talem proprietatem; cæterum non potest comparari intensio suius actus cum intensione aliorum, ex eo quod appretiatio essentialis charitatis, in gradu quantumuis remisso excedit incomparabiliter omnes aliorum intensiones, et si in infini-tum crescerent, vt iam probaui. =

Ad 2um fateor, quod sicut amor Dei summe appretiatiuus est potens res-puere omnes actus inhonestos, etiam est potens respuere intensionem maiorem aliorum ac-tuum virtutis cuiuslibet, sed non illam abijcit, quia qua ratione actus honesti sunt, ita et illorum intensio, quam negamus Deo iniuriosam, et si in infinitum cresceret, quia non so-lum non esset maior appretiatio creaturæ, quam Dei, verum excederetur incomparabili-ter a summa appretiatione, quæ est essentialis cuilibet charitati quantumcumque remissæ. =

Ad 3um respondetur. Nimius, et reprehensibilis dicitur amor parentum filiorum etiam non ob præcisam intensionem, sed ob maiorem extensionem supra limites rec-tæ rationis, aut maiorem appretiationem quam par est, et in hoc medio extitas virtutis consis-tit, quod regulas non excedat rationis, non intensionis, de qua nulla extat lex, aut dictamen. Non nego optimum consilium esse moderare intensionem in dilectione creaturarum, et fu-gere occasiones, et pericula appretiandi magis creaturarum quam Deum, nullum tamen est præceptum, nec periculum proximum de sola intensione, quod excedat esse summam Dei appretiationem quæ est in charitate valde remissa. =

Ex his patet iam solutio ad argumenta primæ sententiæ. fateor quod magis et minus, quod est accidens, aut proprietas conuenit actibus, aut qualitatibus vel ex parte subiecti, et sic vocatur intensio, aut remissio, vel ex parte materialis obiecti, sed potest ex parte obiecti formalis specificantis, dari magis, aut minus essentiale, et sic cha-ritati ex sua intrinseca ratione competit excedere in appretiatione summa cæteros actus, et virtutes, ex eo quod respicit summum bonum etiam et vltra conuenit cum reliquis in hoc quod accidentaliter potest suscipere magis, et minus, secundum intensionem, et extensionem. =

Disputatio 32a de supernaturalitate actus obiecti charitatis

Ex hac difficultate penitus comprehenderetur charitatis substantia, cum

supernaturalitas, sit illi omnino intrinseca, et essentialis ut iam declaro, indeque habitus supernaturalitatem deducemus postea. Quod enim quomodocumque sit supernaturalis consenciunt omnes, quoniam est expressa Patrum, et Conciliorum doctrina, estque principalis proprietas Iustificantis gratiae, quae prima radix, et fundamentum dicitur omnium supernaturalium donorum. =

Solum ergo difficultas in presenti est, An ex intrinseca substantia, et natura sua illi supernaturalitas competat: An vero ex modo aliquo accidentali illi superaddito; et in quonam illa consistat. =

Missis autem aliis dicendi modis, de quibus postea, cum communi sententia assero charitatem intrinsece, et quoad substantiam specificam suam supernaturalem esse. Ratio unica, et efficax est, quia essentia et species actus, semper ab obiecto accipitur; sed charitas respicit obiectum formaliter supernaturale, et modo connaturali, et proporcionato, ergo eius species intrinsece supernaturalis est. Patet consequentia, ad disfinitione actus intrinsece supernaturalis, ad definitum, et minorem in qua est difficultas, et in qua talis definitio charitatis applicatur) sic probo; quia charitas attingit summum bonum, tamquam proprium, et immediatum obiectum, quod ipse supernaturalissimum est, utpote excedens, et infinite superans omnem bonitatem creatam, et creabilem. =

Praeterea. Quia contingere solet obiectum in re supernaturale, attingi modo improporcionato, qualis est naturalis, ac proinde in esse obiecti habere se ut res naturalis: charitas non sic, sed modo proporcionato, et connaturali attingit Deum; nam est formalis participatio illius gradus, et modi supernaturalis quo se ipsum diligit, ratione cuius creatura respicit illum, ut Patrem, sponsum, et amicum, quae rationes sunt connaturales soli Deo, et supernaturalis omni creaturae connotantque ex parte actus, modum tendendi altioris ordinis soli Deo connaturaliter debitum. Naturaliter enim tantum convenit creaturae servituris ratio, esse vero filiam, sponsam, et amicam Dei manifeste excedunt rationem servi, ergo supra conditionem creaturarum est, quod Deus illi sit Pater, sponsus, et amicus. =

Tota haec ratio confirmatur ex verbis illis S. Th. q. 23. art. 3. et 22. q. 109. art. 3. 1a p. q. 60. art 3. ubi ait proprium charitatis obiectum esse Deum, prout est obiectum Beatitudinis, in qua brevi sententia, multa de charitatis natura satis profunde explicuit: nimirum non solum latitudinem obiecti primarii terminantis, ut supra dixi sed etiam modum quo respicitur tale obiectum, quantum ad id, in quo utraque actus visionis, et charitatis convenire possunt. Quod ad presens attinet, quia visio beata est haereditas, ad quam nos [illegible] ius filiationis naturaliter adquisitum per gratiam, et Deus prout est obiectum illius, est Pater qui possidetur per claram visionem ut potissimum bonum huius haereditatis. Est etiam amplexus, unio, et iucundissima fruitio, qua sponsus ardentissime animae copulatur: est etiam familiaris conversatio, et perfectissima vitae communio, qua ut amicus animae convivit, et sua intima secreta revelat. Hinc est quod charitas, quae est proprietas naturaliter consequens visionem beatam obiectum sic respicit, non aliter, ac per visionem beatam illi proponitur: nimirum secundum praedictas rationes, quae supernaturalissimae sunt, eiusque intrinsecam supernaturalitatem consequenter ostendunt. =

Confirmatur

Confirmatur. Nam obiectum cum sit proprietas gradus, intellectiue debet semper esse eiusdem ordinis, et naturæ cum illo, et patet generali inductione, ascendendo a sensatione, et appetitu sensitiuo, vsque ad intellectionem, et amorem diuinum, sed charitas est appetibilitas, quæ naturaliter comitatur claram Dei vissionem, et amplexatur obiectum illius, ergo est in eodem gradu supernaturalitatis cum illa. =

Declaratur amplius ex vtriusque radice quæ est gratia iustificans, de cuius supernaturalitate nemo dubitat, catenusque illi conuenire, quatenus est formalis participatio diuinæ naturæ, secundum vltimum, et diferentialem gradum soli Deo proprium, ratione cuius nulli creaturæ potest esse connaturalis, vt late explicui materia de gratia. Sed vissio beata lumen gloriæ, et charitas sunt proprietas phisice dimanantes ab illa, et participationes formales intellectualitatis, et amoris diuini secundum modum ipsi Deo proprium, ergo sunt pariter supernaturales ab intrinseco. =

Specialiter de charitate, quæ est huius loci, declarabitur hæc formalis diuini amoris participatio, secundum gradum soli Deo proprium ex his quæ postea de eius summa comprobatione dicemus, et ex dictis: quia respicere Deum, vt Patrem, Sponsum, et amicum, solius Dei est naturaliter loquendo, ac proinde respectu creaturæ, non nisi per supernaturalem participationem illius. Propter hoc omnium virtutum regina dicitur, quia sola a præceteris participat virtutem Regis, quæ est charitas Dei. Fides, namque, et spes, quæ sunt virtutes theologicæ, non sunt formaliter in Deo, quantum ad suas proprias rationes, propter obscuritatem, quam vna essentialiter importat, et propter arduitatem, et absentiam quam dicit altera. Temperantia, et virtutes quæ moderantur passiones corporis, etiam in Deo summe immateriale locum non habent, vt per se notum est. De religione et penitentia etiam est certum; hæc quia respicit peccata commissa, illa vero quia attingit Deum, vt Dominum, honorabilem etc.ª quæ in subiecto essentialiter inferioritatem, et seruitutem supponunt. =

Tandem de iustitia, misericordia, fidelitate, et aliis huius generis virtutibus potest dubium esse, quia videntur esse formaliter in Deo, sed cum hæ specificentur a bonitate creata a qua nulla Dei perfectio potest speciem accipere, non sunt in eo virtutes a charitate diuersæ sed rationes quædam secundariæ attingentes sua obiecta, vt materia respectu charitatis, hoc est vt volita solius amore Dei. Quapropter sola charitas, est quæ virtutem vnicam quæ in Deo est, formaliter participat, vt latius materia de voluntate dicitur. =

~ In quo hæc supernaturalitas consistat. ~

Tertio declaratur; nam eo ipso quod charitas est amor amicitiæ summe, a comprobatiuus excedit limites, omnis voluntatis creatæ, ergo est supernaturalis. Probatur antecedens. Nam inclinatio naturalis voluntati, est ferri in bonum proprium aliquo modo: iuxta illud verissimum, ac vulgatum prouerbium. Amabile bonum, vnicuique autem proprium. Patet que manifesta experientia: Semper enim voluntas respicit commodum proprium vel si alterius bonum, est quia in eo communicat, vel assimilatur saltem; et sicut quis naturaliter, diligit bonitatem propriam, sic diligit eam, si inueniat in altero. Quod si amicus bono proprio suo nullo modo hæreat eo, statim amititia disoluitur. Ideoque Aristoteles dixit, ami

cabilia

amicabilia ad alterum, sunt ex amicabilibus ad se, ac si diceret, ex amore sui, nasci tandem amorem ad alterum, quod intellige salua amicitiæ ratione, ita ut amor sui, sit motiuum extrinsecum, non intrinsecum destruens illam. Sed amor summe appretiatiuus charitatis, est nudus ab omni amore proprio, penitus renuntiat, omnem inclinationem propriam, equaliter, ac indifferenter Dei bonitatem, ac voluntatem amplectitur in quacumque materia sit quantumuis aduersa, saluti, honori, vitæ, et alijs proprijs bonis; et in quacumque materia delectabile, aut utili discernit inter puram Dei bonitatem, propriumque commodum, illamque nude prosequitur, et hoc respuit, vel saltem, illi non apponit cor suum, ergo summam appretiationem, et supernaturalitatem dicit, propter duo, maxime, quia et negat se penitus natura, et boni apexit ita dictans, et alienum quod in se numquam experitur, quod est summum bonum. Huic rationi multa opponuntur de quibus sectionibus sequentibus dicam.

Reijciuntur modi huius supernaturalitatis ab aliquibus asserti.

Tandem constat assertum, excludendo alias opiniones asserentes quoad substantiam actum charitatis naturalem esse, solumque, quantum ad modum quendam supernaturalitatem habere, in quo maximam huic Reginæ virtutum iniuriam irrogant, etsi enim reliquis virtutibus supernaturalitas tamquam modus inesset, hæc omnium princeps præstantiori modo illam participaret, videlicet quoad substantiam. Sed quicunque sit iste modus, facile impugnatur. Nam vel est intensio, aut duratio: et hi semper sunt eiusdem rationis, et ordinis cum subiecto cuius sunt: sunt enim illius affectiones naturaliter debitæ, ut ex Philosophia constat, et assimile de alijs rebus naturalibus, quæ sicut propriam naturam participant, ita et quantitatem, durationem, et intensionem eiusdem qualitates; ergo si actus charitatis quoad substantiam, naturalis est, etiam quoad durationem aut intensionem. Præcipue tamen hic modus falsitatis conuincitur, quia ut communiter theologi docent, nec intensio, nec duratio aliqua determinata ad actum charitatis exigitur, sed in quolibet gradu, aut instanti iustificationem infalibiliter infert; vel igitur talis modus, est aliqua facilitas, et hæc etiam est naturalis, quoties actus naturalis est propter quod natura quæ numquam deficit in necessarijs, hanc facilitatem, habitibus naturalibus præbuit, quotiescumque illam postulant naturales actus, ut patet inductione in omnibus actibus naturalium virtutum, tam intellectualium, quam moralium quod si hæc facilitas deficeret per auxilium speciale naturalis ordinis sufficienter prouideretur, ac proinde sine fundamento, et necessitate talis modus supernaturalis fingitur.

Rursus si modus iste, dicatur dependentia actus, a supernaturali virtute, vel habitu infuso; sicut visio restituta cæco supernaturalis dicitur, quia ex virtute diuina causatur, licet in intrinseca entitate sua naturalis sit. Excluditur efficaciter, disp. 3 de fide. sectione 3. quia virtus creata, vel habitus, eo ipso quod sint productiui solius actus naturalis, erunt naturales; nam semper specificantur ab actibus, non est ergo unde, eorum supernaturalitas inferatur, et si aliqua ratione supernaturales probentur, etiam de illorum actibus, idem consequenter ostendi poterit.

Si vero dicantur tam actus, quam habitus supernaturales, quia pendent immediate a virtute diuina, tamquam a causa principali, etiam habitus, et scientiæ infusæ

infusæ Adamo de rebus Naturalibus, naturales fuerunt, licet a solo Deo processerint. Anima si=militer et Angelus per se loquendo sunt a solo Deo, ut causa principali, et non propter hoc super=naturales. Neque poterit assignari ratio, quare habitus elicitivi, tantum actuum naturali=um per se perant infundi a solo Deo, vel si solus ipse est illorum Author, quare non efficiat illos ut Author naturæ, quomodo denominatur, quoties aliquid operatur Naturalis ordinis. =

Exemplum autem de visione, restituta Cæco, non est simile; quia non dici=tur supernaturalis, Ideo præcise quod oriatur a solo Deo, sed quia est indebita iam tali sub=iecto, ex suppositione quod semel fuerit amissa, et ideo licet in entitate absolute sit natura=lis, tamen quantum ad unionem, vel insertionem in subiecto sic indis posito supernaturalis dicitur. =

Dum dici posset moralitatem, libertatem, et rationem Meriti esse modos super=additos, et indebitos naturæ; fateor hos modos supernaturales esse, cæterum duo priores, ideo su=pernaturales, quia substantia actus, saltem imperantis eos, supernaturalis est, ut in aliis virtuti=bus moralibus naturalis ordinis videre est. Præterea quod independenter ab eis Charitas su=pernaturalis sit, constat in patria, ubi, nec libera, nec meritoria, nec moralis est, et tamen ibi nemo illi supernaturalitate negabit. Solum quando virtutes naturales imperantur a charitate vel quavis alia supernaturali virtute habet locum hæc doctrina, quod scilicet sint superna=turales quantum ad modum, et quantum ad substantiam naturales. Nam, ut docet D. Th. 1.2. q. 109. art. 4. actus imperans se habet, ut forma, et modus actus imperati, de quo satis di=xi, disp. 3. de fide sect. 2. Unde charitas ipsa, quæ aliis virtutibus modum supernaturalitatis confert, ipse, supernaturalis est quoad substantiam, quia non habet supra se aliam virtutem a qua elevari possit, sed ipsa est forma omnium tribuens illis dignitatem, et proportionem ad meritum, et vitam æternam. Unde licet fidem, et spem in infusam, et adquisitam dis=tinxerim, de charitate, et amicitia ad Deum, talem distinctionem invenire non potui, ut ex dicendis amplius patebit. =

Exponitur locus S. Th. difficilis.

Subobiicies S. Th. oppositum asserentem, q. 1. 71. art. 3. ad 3. Ubi distinguens in=ter actus supernaturales quantum ad substantiam, et quantum ad modum ponit exemplum huius secundi in dilectione Dei, ergo ex mente S. Th. charitas solum quoad modum superna=turalis est. Suarius item lib. 2. de Angelis aliis locis postea referendis docet expresse amo=rem naturalem Dei super omnia, et propter se summe appretiativum, et ab amore concupiscentiæ diversum, ergo quantum ad substantiam intrinsecam eiusdem speciei cum charitate, cuius essen=tialis ratio, tantum in hac summa appretiatione consistit, ergo solum in modo superaddito charitatem ab amore Dei naturali discriminat. =

Respondetur ad primum. Sensum illorum verborum esse, quod quædam sunt super=naturalia, quantum ad substantiam, non physice, sed logice consideratam pro essentia, vel quo=rum essentia intelligi nequit sine supernaturalitate, quia est de intrinseco conceptu illius, quo=rum exemplum ponit, facere miracula, et cognoscere occulta, et incerta divinæ sapientiæ, et cæ=tera huiusmodi, quæ intrinsece explicite supernaturalitatem dicunt, et ideo sine illa eorum ratio essentialis, nec intelligi potest, nec salvari. Quædam vero supernaturalia, quantum ad modum

quaedam

quorum essentia sine supernaturalitate intelligi potest, quia solum dicuntur supernatura-lia cum alio modo logice loquendo abstrahendo: a modo phisico, et logico. Nam differentia essentialis frequenter appellari solet modus, et qualitas apud Aristotelem, et S. Th. et vulgariter sive latino, sive hispano sermone vsurpatur cum ista vniuersalitate dicta. Specialiter si differentia comparetur non ad speciem, cuius est pars intrinseca, sed ad genus, dicitur modus accidentalis, et extra conceptum illius, ideoque propositio ista, animal est rationale, est accidentis quem sic praedicabilis: quia conceptus adequatus animalitatis, sine rationalitate intelligitur; sic ergo quia essentia dilectionis Dei super omnia potest saluari absque supernaturalitate in amore naturali de quo postea, ideo dicitur in substantia, hoc est intrinseco et essentiali conceptu supernaturalem non esse, sed in modo differentiae, qua contrahitur accidentaliter logice. =

Sectio 2.a Detur ne amor Dei naturalis, summe appretiativus, et amicitiae

Huius difficultatis resolutio magis aperiet proprium charitatis modum formalemque rationem, communis sententia, materia de necessitate gratiae hunc amorem ut certum supponit, et de illo quaerit, possit ne fieri viribus naturae sine auxilio gratiae? communiterque resoluunt fere omnes, quod et si actus naturalis sit, propter eius tamen excellentiam, et arduitatem, necessariam esse homini in natura lapsa et infirma speciale auxilium ad eius exercitium efficax, videturque satis expressa S. Th. infra q. 26. art. 3. et 1.a p. te q. 6. art. 5. 1.a 2.ae q. 109. art. 3. in quibus quaestionem mouet sub proprio titulo, et amorem naturalem Dei super omnia, et a concupiscentia diuersum, docet tam in natura lapsa, quam in natura integra. =

Praeterea ratione probatur. quia Deus est naturaliter, ut fons, et ergo debuisse ut vltimus finis, et summum bonum: ergo etiam est naturaliter propter se amabilis amore summe appretiatiuo, ac super omnia. Antecedens patet. et probatur consequentia: nam voluntas ad omnia illa obiecta, naturaliter se extendit, adque intellectus; legeque naturali ad omne id obligatur, quod ratio naturalis dictat, sed ratio naturaliter dictat, Deum primum esse principium, et finem vltimum cui omnis honor debetur, et amor, et in quem omnes suas creaturas, earumque actiones sunt dirigendas: ergo amor naturalis voluntatis, hoc modo illum propositum, illud prosequi potest, ac debet. quam rationem S. Th. addidit, confirmat quia animaduerti de creaturis etiam irrationalis, quae ut partes vniuersi suo modo naturaliter Deum prosequuntur, ut vniuersale bonum, totius vniuersi, plus quam se ipsas. =

Pars hunc amorem negans praefertur

Sed amor iste prout in titulo propositus, qui scilicet sit verae amicitiae, ac summe appretiatiuus minime probatur docent Bañez 1.a 2.ae q. 109. art. 3. Sotus, praesertim in 3. distincte 27. q. 1.a § contra primam viam, inanem existimat distinctionem illam finis naturalis, et supernaturalis in ipso Deo. Etiam Alexander 2.a p. q. 30. membro 1.o art. 2. § 2. ad 1.m 3. vbi om

nem

omnem amorem amicitiæ dicit esse ex charitate, et naturalem amorem esse concupiscentiæ. Item Albertus 2ᵃ p. tr. 4. q. 14. membro 4. art. 2. qui citat pro se Antisiodorensem. Bellarm. tom. 3. libro 6. de gratia et lib. arb. art. 6. et 7. Tandem Vasquez 1. 2. disp. 95. a cap. 3. =

Probatur: quia amor iste summe appretiativus, et a charitate diversus est, nec fuit cognitus Patribus, nec in sacra scriptura verbo saltem insinuatus; quinimo tacitem excludunt, quatenus commendant, et intimant charitatis præceptum, et ad salutem necessarium, solumque postulant quod Deus ex toto corde, ex tota anima, amore diligatur summe appretiativo, ut constat ex Deuteron. 6. ubi talis modus diligendi proponitur absque distinctione ulla: supponunt ergo hunc dilectionis modum semper supernaturalem esse, et in amore naturali numquam inveniri. Patet consequentia: quia si hic dilectionis modus censeretur communis naturali, et supernaturali aliquid amplius paterent sacra scriptura et Patres ad amorem charitatis supernaturalem. =

Confirmatur ex definitionibus, quibus Augustinus, Bernardus, in libro de diligendo Deo, et alii Patres, charitatem supernaturalem definiunt, et sepissime explicant, quod sit amor Dei propter se, et super omnia dilecti; nihilque aliud postulant, et si latissime de illo disputent; indicium ergo apertum est, apud ipsos, omnem amorem amicitiæ Dei super omnia supernaturalem esse, alias valde diminute procederent. =

Nec valet quod Lorca respondet. Patres de amore naturali mentionem non fecisse, quia fidelibus non erat in usu, nec necessarius. Nam saltem debuerunt Patres tradere nobis specialem charitatis rationem, prout a naturali amore diversam, et non per verba utrique communia, ne fidelibus essent occasio graviter errandi circa animæ salutem, vel existimantes omni amore Dei super omnia etiam naturali posse iustificari; vel omnem amorem Dei supernaturalem esse, et sufficientem ad implendum præceptum. Eo enim ipso, quod amor sic naturalis necessarius, nec sufficiens ad salutem sit, fuit maxime necessarium de hoc fideles instruere, et quid charitas supernaturalis naturali addat, ut possint ad iustificationem disponi, omni cura, et diligentia illis exponere. =

Urgentius ex christiana catechesi, et communi fidelium instructione id confirmo, in qua Ecclesia, nihil aliud nobis docet, ac præcipit, quam quod Deum propter ipsum, et super omnia diligamus, et per hanc dilectionem præcepto satisfieri, et necessitate charitatis. Contritio similiter supernaturalis communiter a Patribus definitur, quod sit dolor de peccatis, propter Deum summe dilectum, per quamque nos proxime ad iustificationem disponi: supponunt ergo hunc amorem semper supernaturalem esse. Alias non doctrinaliter procederent, et cum verba illa sint propria, univoca, doctrinalia, et in re gravissima, essent nobis occasio sustinendi amorem naturalem Dei super omnia esse dispositionem ultimam ad iustificationem, quod est contra fidem, vel saltem in praxi amore naturali quis satisfaceret huic præcepto; quia supernaturalem existimaret, siquidem amplius illi non exigitur, praxtas ergo est, quod hic amor quia semper charitatis est, ideo nulla limitatione, aut discretione indiget, ut naturalis causatur. Auctores pro hac proxima sunt Scotus in 2. d. 2. q. 1. Gabr. in 3. distinct. 27. q. 1. art. 3. Ocham, et Alliacus ibidem. Bellarm. tomo. 3. lib. de gratia, et lib. arb. cap. 7. Vasquez 1. 2. disp. 195. cap. et alii. =

Ratio fundamentalis assertionis.

Ratio firma, et efficax est; quia Deus tanquam est naturaliter cognoscibilis apos

terioni

tenori per effectus creatos, ex quibus tantum ut Author Naturalis, et supremus Dominus intelligitur respectu creaturarum, ergo ratio naturalis solum potest voluntati vinculum servitutis proponere, quam essentialiter ad Deum habet ratione excellentiae primi principij, et supremi dominij resultantis ex titulo creationis: insuper debitum gratitudinis, propter bona naturalia, ab ipso accepta; sed hoc pertinet ad virtutem Religionis, qua tribuimus Deo cultum, et honorem debitum et gratiarum actionem, propter beneficia nobis collata; ergo non ad amicitiam, quae virtus distincta est, et solum respicit bonum amici ex pura gratia, et non ex debito, ut dixi supra. =

Declaratur hoc amplius. quia ratio servi, et amici, potius inter se opponuntur. Amicitia enim naturaliter esse inter aequales; vel saltem inaequalitatem dissimulat, supletque gratis. Ratio vero servi, et Domini, et est inter inaequales, et disparitatem explicite respicit, ergo si ratio naturalis tantum dominium, et maiestatem dictat ex parte Dei, solumque servitutem ex parte creaturae, potius amicitiam excludit, tanquam rem altioris ordinis. =

Confirmatur rursus. quia propter hoc sancti Patres, maxime gratiam Dei extollunt, et admirantur, quod cum simus natura servi, faciat nos amicos: existimant ergo amicitiam quamlibet esse gratiam, et supra naturam. quinimo solam gratiam supernaturalem dicunt facere gratum, et amicum, gratiamque naturalem, non agnoscunt, solamque charitatem, ut proprietatem, et amorem huius amicitiae illi semper connecti, ergo aliam amicitiam propter istam asserere, est ab eorum doctrina manifeste recedere. =

Verba etiam illa Christi Domini, Joan. 25. iam non dicam vos servos, sed amicos, aperte supponunt has duas rationes esse aliquomodo oppositas, servitutemque per amicitiam aufferri, vel saltem dissimulari; ideoque ex quo amici facti sunt, servos amplius appellandos non esse. Declaratque magis Dominus assertum, quia servus nescit quid faciat Dominus eius, vos autem dixi amicos, quia omnia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. Hoc est, quia secretorum, et cordis revelatio, propria amicorum est, et consequenter a servis aliena, id circo vobis tanquam amicis hac familiari conversatione loquor et prosequor, ergo ad haec cum sint omnino gratuita, et naturae superaddita, non potest extendi naturale dictamen. =

~ Alia ratio satis efficax. ~

Tertio principaliter sic argumentor. Amor supernaturalis, et naturalis substantialiter, et plusquam genere differunt, ut ex sectione praecedenti constat in qua ostendi ab intrinseca substantia, et non a modo superaddito charitatem supernaturalitatem accipere, sed nulla potest excogitari diversitas, specierum, et obiectorum formalium horum actuum, ergo non duo, sed unus est actus, isque supernaturalis. Probatur minor, quia utergue actus respicit bonitatem Dei, prout est in se, et ut est amore amicitiae summe appretiativo amabilis, idem est omnino respiciendi modus, scilicet amore summe appretiativo, et amicitiae; idemque obiectum terminans ratio summi boni, et ultimi finis: nulla ergo apparet, nec potest excogitari diversitas inter utrumque actum. In omne latus se vertunt Authores oppositi, ut vim huius rationis effugiant. quidam enim respondent, quod amor naturalis respicit Deum, ut Authorem naturae super omnia, et charitas Deum ut Authorem supernaturalium donorum, sed iste rationes, si reduplicative sumantur, quod scilicet diligatur Deus, prout Author est, amo

municani

municans nobis bona naturalia vel supernaturalia, facile constat, non terminare amorem amicitiæ, prout est ipse, sed ut est bonum nostrum, causa, aut dominus, quod ad concupiscentiam pertinet. = Si vero solum specificative accipiantur, quod scilicet Deus qui est Author Naturæ amorem naturalem terminet, et Deus Author gratiæ charitate supernaturali respiciatur. Tunc vel utræ rationes possunt considerari, prout ingenere rei Deo conveniunt, et sic ratio Authoris Naturæ, quantumvis precise accipiatur, in ordine ad effectus naturales, est intrinsece, et essentialiter supernaturalis; quia ut sic est virtus infinita Creatoris imparticipabilis ab omni substantia Creata, et Creabili, immo nec ulla ratione, realiter distincta a ratione Authoris supernaturalis: Non enim est in Deo duplex omnipotentia, etiam nostro modo concipiendi diversa: ergo si alius modus respiciendi est idem, non est unde essentialis distinctio possit deduci. =

Nec quando talis ratio ipse naturalis esset, alium essentialiter diversum inferret; nam sola diversitas ingenere rei, non satis est specificam diversitatem inducere; quia etiam bona naturalia, et extrinseca sunt charitatis obiectum, et attributa intrinseca scilicet omnipotentia, sapientia, et misericordia, etsi nostro modo concipiendi rationes diversas proponant, non specificant charitates diversas, ergo nec ratio Authoris Naturæ et gratiæ. Si denique rationes istæ sumantur ingenere obiecti, ut probabiliores theologi docent, ita ut dicant modum tendendi nostrum; nimirum quod Deus dicatur cognosci, et amari ut Author naturæ, et obiectum naturale, quatenus naturali modo cognoscitur, per suos effectus naturales, et sic voluntati proponatur, sic fateor Deum naturaliter diligibilem, sed non amore summe appretiativo, et amicitiæ, ut dixi, quia amor licet de obiecto supernaturali sit ingenere rei, quia tamen illud modo naturali, et improportionato respicit, naturalis est; ergo si adversarij in modo respiciendi nullam explicant diversitatem, neque in actibus redundabit. =

Colligitur rursus, quam frivola sit aliorum disparitas scilicet amorem naturalem respicere Deum super omnia naturalia, charitatem vero addere appretiationem Dei super omnia supernaturalia. Quia præterquam quod hæc diversitas tantum est pure materialis, ex parte boni quod respuitur, aut concupiscitur propter amicum, quæ etiam reperitur inter duos actus charitatis, et inter dictas amicitias humanas numero diversas: iste actus naturalis non est amor Dei super omnia, simpliciter, et absolute, sed tantum secundum quid. i. super aliqua, ac proinde non esset summe appretiativus. =

Præterea quando cognoscitur Deus naturali modo, proponitur ut Creator, et Author omnium rerum, nulla excepta, ac per consequens, ut Author etiam rerum supernaturalium, etsi eorum supernaturalitas ignoretur, ideoque Arist.es, ac cæteri Philosophi rationem primæ causæ, non præcise ex rebus naturalibus, sed universalius ex rebus creatis naturaliter demonstrarunt, obiectum enim adequatum virtutis Creatoris creatura est, non ens naturale, et licet rerum supernaturalium notitiam determinatam, et explicitam non habuerint, sicut nec plurium rerum naturalium, quas penitus ignorarunt, potuerunt ex omnibus confuse cognitis Creatorem deducere. Sicut enim primam causam, et ultimum finem potuerunt evidenter, quoad an est cognoscere, eius supernaturalitate ignorata: sic res supernaturales, non determinate ut tales, sed sub abstracta creaturæ ratione, quæ virtuti Creatoris respondet, potuerunt evidenter, quantum ad an sint cognoscere. Patet consequentia a maiori ad minus. =

Item amicitia in communi numquam regulatur, ex hac, vel illa extensione re=

rum

ctum, sed quasi intensive dicit voluntatem firmam, et efficacem placendi in omnibus amico, quamvis quid amicus velit, aut voliturus sit, penitus ignoretur, est tamen præparatio animi ad omnes occasiones, quæ sese obtulerint, intra sphæram rectæ rationis, absque limitatione, aut discrimine huius, vel illius: ergo respectu Dei multo potiori iure, si sic amor naturalis datur, hanc adæquatam conformitatem, et resignatione cum Dei voluntate includere debet, vel non erit vera amicitia. Nec ignorantia rerum supernaturalium, hanc intentionem universalem, et animi præparationem limitat, sicut nec ignorantia plurium rerum naturalium, quam etiam omnes habent. Satis enim est, quod omne obiectum voluntatis Divinæ ex ipsa nec Dei voluntate confuse cognoscat, ut ad omnia quæ Deus voluerit, animum suum extendere debeat. unde ex hoc capite nulla limitatio fingi potest. =

Constat item quam falsum sit, quod alij asserunt, amore naturali Deum diligi ut unum, et charitate etiam ut trinum, hancque extendi ad plura, et ampliora obiecta, supernaturalia videlicet, quæ proponuntur per fidem, aut visionem beatam, ad quæ non attingit naturalis amor, qui naturalem cognitionem dumtaxat comitatur. Sed hæc omnia si amplius non superaddatur, diversitatem materialem, vel accidentalem ad summum ostendunt. Patres enim veteris testamenti, fidem explicitam trinitatis, non habuerunt, et maiori ex parte reliqua misteria fidei ignorarunt, et tamen vera charitas illis negari non potuit. Nunc etiam experimur complacentiam explicitam de uno attributo, et non de alijs, de bonis intrinsecis, et non de extrinsecis, et nemo propter hoc eos dicet actus specie diversos. =

Præterea. Cum certum sit apud omnes, quod de obiecto in re supernaturali possit dari actus naturalis; et econtra de obiecto naturali actus supernaturalis, propter modum respiciendi inferiores, aut alterius ordinis, necessario recurrendum est in distinctione horum actuum ad diversos modos respiciendi, quos nondum explicant oppositi Authores, sed ad obiecta naturalia, et terminantia se remittunt. Fateor denique alys amorem supernaturalem, et naturalem supponere cognitiones diversæ rationis, et ordinis, et cum illis proportionem habere, sed non ex hoc licet inferre, quod formaliter distinguuntur, ratione diversarum appræhensionum, sed quod ex intrinsecis suis differentijs essentialibus, et proportionatis differant, quarum declaratio desideratur adhuc. Restat item Authoribus oppositis probare, quod ad cognitionem naturalem, sequatur amor Dei, ut amici, et super omnia, quod non faciunt, et nos ostendimus iam oppositum, et sequenti sectione amplius ellucidabimus. =

Idem assero de alia differentia, quæ adducitur, quod charitas fundatur in communicatione bonorum supernaturalium, et amor naturalis in communicatione bonorum naturalium, explicat enim diversas conditiones requisitas, ad utramque amicitiam, sed supponit distinctionem obiectorum formalium sine probatione. Supponit item dari amicitiam naturalem, quam sicut negamus, etiam communicationem talis amicitiæ propriam, sed solum dixi ex prima causa, et supremo Domino ad suos effectus et servos derivata. =

Sectio 3.ª discrimen inter amorem Dei naturalem, et supernaturalem.

Quia potissimum contrariæ sententiæ fundamentum ex S.to Thom. et communis sententiæ autoritate sumitur, hic ex professo eius mentem aperiam præcipue in tribus locis in quibus citatur ab Authoribus oppositis. Fateor enim in omnibus locis, ipsum docere amorem natura=

lem

rem naturalem Dei super omnia, quem et ego ut vero suppono, et oppositum sentio absque temeritate affirmari non posse, quia præter communem sententiam, quæ talem distinctionem utriusque amoris semper docuit, videtur definita in bulla quadam Pij quinti, et Gregorij XIII. quatenus in ea damnatur inter alias hæc propositio Michaelis Baij. Distinctio illa duplicis amoris naturalis, quo Deus amatur ut Author naturæ, et gratuiti, quo amatur ut beatificator, vana est, et commentitia, et ad illudendum sacris litteris excogitata; si ergo Pontifices damnant eos qui hanc utriusque amoris distinctionem rejiciunt, qua ratione oppositum affirmare licebit? =

Neque valet effugium cuiusdam. ibi non damnari propositionem ratione doctrinæ, sed solum notari ratione censuræ, qua oppositum damnatur. quia præter quam quod in ea nulla est censura, sed tantum in verbis aliqua severitas, aut libertas: in ea bulla plures aliæ eiusdem Authoris damnantur propositiones ratione doctrinæ solius, ut legenti patebit: ergo cum decretum Pontificum nullum inter has, et alias discrimen constituat, non erit tutum asserere solius censuræ ratione reprehendi. =

Ratio item qua utitur S. Th. ad probandum naturalem amorem, est efficax: nam ratione naturali proponitur Deus, ut prima causa, supremus dominus, et ultimus finis cui omnia subdi debent: ergo intra eundem ordinem, debetur illi amor, et reverentia super omnia, habetque omnis creatura naturalem subiectionem, et inclinationem, ad serviendum Deo in omnibus, quia est magis res, et bonum Dei quam bonum suum, est que naturaliter creata propter Deum, et non propter se, ergo talis amor; illi naturalis est. =

Amor naturalis Dei super omnia, non est amicitiæ, nec summe appretiativus. ~

Hunc autem amorem, quamvis sit super omnia, non esse summe appretiativum, nec veræ, ac propriæ amicitiæ docet non obscure idem S. doctor in citatis locis: quia in omnibus illis semper repetit hunc amorem naturalem omnibus etiam inanimatis creaturis competere, quatenus a Deo prima causa pendent, et prout sunt aliquid Dei, et partes universi, cuius Deus est caput, seu universale bonum, ac proinde creaturæ rationali minime posse negari. Ex quibus verbis duo aperte colliguntur, primum est, quod sicut amor partis, ac. ... totum, et creaturæ irrationalis, et inanimatæ ad Deum, non est propriæ amicitiæ, ita neque hunc amorem inferre velle in rationali creatura, præsertim cum hoc tamquam præcipuo utatur fundamento contra aliquos, qui hunc oppugnabantur oppositum. Secundum est, quod assignat pro obiecto huius naturalis amoris, Deum ut causam efficientem, et finalem, a qua omnia pendent, et ut supremum dominum, cui omnia naturalem subiectionem, et servitutem debent, ut expresse retulerunt verba eorum, atque aliorum. =

Præsertim ponderanda sunt, quæ 1a. 2æ. q. 109. art. 3 ad 1. affert, ubi postquam sibi obiecit, proprium charitatis actum esse diligere Deum super omnia, ergo ad amore naturali præstari non posse. Respondit assignando hoc discrimen, quod charitas diligit Deum super omnia eminentius quam natura. Natura enim diligit Deum prout est principium, et finis naturalis boni; charitas autem secundum quod est obiectum beatitudinis, et secundum quod homo habet, quandam societatem spiritualem cum Deo. In quibus posterioribus expressam significat rationem

tionem amicitiæ, et in prioribus rationem servitutis, et subiectionis essentialis, quam habet omnis creatura ad Deum, ex eo quod ab ipso pendeat, sit que factura, et res illius, ratione cuius optime animadvertit amorem hunc omni creaturæ generalem esse, quia causalitas, et dominium omnes sub se comprehendit. = Iuxta dicta intelligenda est communis sententia cuius doctrinam s. Th. recte percepit et declaravit, sed sicut iuniores aliqui decipiuntur circa mentem s. Th. etiam circa intelligentiam communis sententiæ, et antiquorum theologorum. =

Solvitur scrupulus circa mentem sancti Thomæ, et comunis sententiæ.

Dices adhuc, Amor respiciens Deum, ut principium a quo recipimus bonum nostrum, est amor concupiscentiæ, ergo non super omnia, ut docet s. Th. et communis sententia. Nam qui Deum super omnia diligit, debet illum se ipsum amare, quod de amore concupiscentiæ verum non est; ergo si amorem naturalem docet s. Th. esse Dei super omnia, [illegible] ab ipso concupiscentiam abeo, illumque ad amicitiam reducit. =

Respondetur, quod dupliciter illum possumus respicere, ut principium nostrum: vel ex concupiscentia boni, quod ab ipso recipere volumus, vel ab ipso iam accepimus, et fateor amorem hunc, non esse super omnia, sicut s. Th. docet. Vel secundo, Deum possumus prosequi propter excellentiam, maiestatem, et supremum dominium, quod naturalis ratio nobis ines[t] proponit, absque intuitu, aut memoria alicuius beneficij, et sic affectus, non est concupiscentiæ, sed iustitiæ religiosæ, qua naturaliter reveremus, et appretiamus divinam maiestatem, non solum propter beneficia nobis collata, sed quia concipimus eum ut fontem, et originem totius esse, ut summam excellentiam, infinite dignam omni æstimatione sicut naturaliter quemlibet principem, et imperatorem, honorare solemus, et complacere, de eius magnificentia, et si lucrum nullum, aut commodum inde expectemus. =

Unde etiam constat, amorem hunc, nec veram amicitiam esse, quia subiectionem, et servitutem profitetur expresse, nec petit reddamationem eiusdem rationis, nec cum proportione aliqua, nec inducit unionem, aut societatem etc. =

Fortiora adversariæ partis argumenta.

Victis iam argumentis ab auctoritate, ad rationes principaliores, quibus opposita nititur sententia deveniamus. Prima est; ratio naturalis non solum dictat Deum esse primam causam, et supremum dominum, sed etiam esse summum bonum, pure propter se, et super omnia diligibile. Potest que discurrendo inferre, quod omnipotentia, æternitas, maiestas, cæteraque attributa naturaliter cognoscibilia, sunt bona intrinseca, et maxime gloriosa ipsi Deo, et quod omnes creaturæ quæ sunt illius effectus, sunt bona extrinseca, quatenus cultum, et honorem debitum illi exhibent: ergo hunc voluntas potest, naturaliter de his omnibus complacere, quatenus præcise bona Dei sunt, ipse que est infinite dignus, ut omnia bona ipse contineat, qui amor est pure gratiosus, et ex puro benevolendi motivo, nec aliunde, quam ex naturali ratione ductus causatus. =

Sed dato quod hic amor esset debitus, non est contra rationem amicitiæ, quod debitus sit, nam amor filij ad patrem, mariti ad uxorem, et econtra, est debitus ex rigorosa

rosa iustitia, ergo licet Amor Naturalis sit ex iustitia debitus, hoc non obstabit, quin sit verè, et propriè amicitiæ. =

Secunda ratio est. quia vel petit charitas supernaturalitatem; inquantum est Amor Dei summè appretiativus, et hoc non, quia iam fatemur nos, virtutem Religionis summè appretiare Dei Excellentiam, et maiestatem, eamque revereri, et diligere super omnia, vel est supernaturalis, inquantum est amor amicitiæ præcisè; et hoc minus: Nam cernimus experientia amari naturaliter bonitatem Creatam absque ullius commoditatis intuitu immo usque ad sanguinem, et vitam effundendam pro amico; sed Deus ut naturaliter cognoscibilis, multo potioris conditionis est, quam quælibet Creatura; siquidem de eo dictat naturalis ratio omnem bonitatem, et æstimabilitatem Creatam infinite excedere, ergo. =

Hæc tamen ratio non multum urget, quia præterquam quod declarabitur postea, quantum superet appretiatio charitatis, appretiationem Amoris Naturalis, ratio amicitiæ non in communi, sed prout ad Deum, repugnat intra ordinem Naturæ, non ex defectu bonitatis Dei, aut cognoscibilitatis illius, sed ex qualitate, et excessu: quia cognoscitur infinite superior, distans, et improportionatus, ut naturaliter Creatura, non audeat cum illo per amicitiam uniri, sed tantum humili servitute eum revereri. =

Quarto in fide et spe, propter supernaturales, et infusas communiter fidem, et spem admittimus naturales, et adquisitas, ergo etiam hoc in charitate contingit. Sed nec hæc ratio, aliquid valet, primam. quia nihil mirum esset, quod charitas quæ est singularis inter omnes virtutes, quod est omnium Regina: tas in supernaturalitate excedens (quia est formalis participatio unica et sola illius, quod in Deo habet rationem virtutis) in hoc etiam ab omnibus differat, quod nulli Creaturæ sit aliquomodo connaturalis virtus, quæ tam propria est solius Dei, sicut de gratia, et beata visione idem propter similem participationem asserimus. =

~. Quo pacto amicitia naturalis ad Deum, possit intelligi. ~

Sed secundo addo, quod sicut fides supernaturalis, et naturalis, in hoc differunt quod hæc captivando penitus intellectum, et omnibus spretis rationibus naturalibus adequate nititur in veracitate Dei obscure revelante summa certitudine soli eius authoritate inhærens; et naturalis fides simul cum divina Authoritate, coniecturas, et motiva coniungit rationis humanæ; ab eisque pendet inadequate saltem eius certitudo; idemque proportionabiliter est de virtute spei, quod infusa totaliter innititur in auxilio, et bonitate divina: adquisita vero simul etiam in viribus propriis, et aliarum Creaturarum, (ut late diximus in propriis cuiusque locis) sic proportionabiliter in charitate, præter infusam, admittere possumus, amicitiam quandam imperfectam naturalis ordinis, quæ non sit summè appretiativa, et quæ præ oculis commoditatem admixtam habeat, vel servitutem, aut iustitiæ obligationem, ut sic non exit a Religione, vel simili virtute distincta. =

Nec in hoc casu obstabit quæcumque amicitiæ ratio; nisi intercedat ex parte Dei specialis, et gratuita acceptio, et conversatio servorum ... et ... qua Deus aliquatenus suam inæqualitatem, et maiestatem dissimulans, familiariter alloqueretur, et benefaceret alicui Creaturæ; sed ex hac parte esset iam non debita Naturæ, sed supra conditionem servilem, ac proinde supra naturalem statum ~~...~~ Creaturæ; sicut enim si Rex aut Princeps

cepi

cepi Sumanus, alicui subdito speciali prosequatur Amicitia ab omnibus agnoscitur ut maxi=
ut maximum beneficium, sexui statum excedens, de eoque dicitur gratiam Principis consequutum:
sic de Creatura in hoc casu, gratiam Dei quae est supra naturam assequi diceremus. =

Non esset tamen entitative supernaturalis, et si gratuita haec amicitia; quia intrinsece, et in recto non fundaretur in dono aliquo supernaturali: ut suppono, sed tantum beneficiis intra ordinem naturalem Deus Creaturam prosequeretur, multa illi secreta, veritatibus naturalibus revelans, cui fide naturali, et adquisita homo illi praestaret assensum. Unde adsummum solum in obliquo, et ab extrinseco, et speciali et gratuita Dei reddamatione supernaturalis diceretur. =

In quo excedit summa charitatis appretiatio, eam quae est amoris naturalis.

Ut autem caeteris argumentis integre satisfaciam, prius in quo summa appretiatio charitatis consistat, et amorem naturalem excedat, et postea in quo eius amicitiae ratio sit posita, naturae quae sit indebita elucidabo penitus. = Dupliciter Dei amor dicitur appretiative summus, uno modo respectu omnium dilectionum creaturarum; ex eo quod Deum omnibus Creaturis anteponit, eumque ut summum omnium bonorum existimat maiori appretiatione dignum, caeteraque ut longe inferiora ad ipsum referri debere, et hoc modo dubium non est, quin ratio naturalis assequatur Deum esse summum bonum, summeque appretiabile, et diligibile. Quippe eo ipso, quod Deum cognoscimus ut primam, et universalem causam et supremum dominum, consequenter omnes creaturas illi prorsus subditas intelligimus, illique subiectione omnimoda servire debere, ac proinde nos et omnia nostra in Deum ut finem ultimum referri, ipsiusque voluntati subdi oportere. =

Haec tamen omnia, non inferunt, sed potius excludunt amicitiam ad Deum, quia expresse continent, sexui huius rationem, maiestatem, authoritatemque supremi Domini humiliter recognoscunt. Ideoque Religio, humilitas et obedientia independenter a charitate, et amicitia id praestant. Nec petunt Dei addamationem, tamquam amici, sed tamquam domini, et remuneratoris in eo genere. =

Alio ergo modo potest dici amor Dei, appretiative summus, non tantum comparatione ad amores, quibus diliguntur creaturae, sed ad eos etiam quibus ipse Deus diligi potest, et sic soli charitati haec summa appretiatio competit, et haec sola dicitur simpliciter, et absolute summa, ideoque in explicatione obiecti specificativi, aut actus charitatis, haec summa appretiatio ponitur ut pars principalis definitionis illius. Hanc distinctionem attingit S. Th. 1a 2ae q. 109. art. 3. ad 1um. et 3um. ubi docet, quod licet uterque amor, sit summus quantum ad gradum dilectionis, quae est Dei super omnia; caeterum quantum ad modum, et rationem diligendi (intellige quo Deus diligi potest) sola charitas est summa. =

In quo autem haec summa charitas, et appretiatio consistat, declarare restat, et in hoc scilicet, quod summum bonum amicitia perfecta, et ipsi proportionata respiciat: et in hoc supernaturalitas charitatis manifestissime constat, utrumque evidenter ostendam. Primum enim amor sexui fundatur in boni accepti; vel accipiendi, maxime creatura cui sexui

bus

tur ex hoc titulo competit essentialiter, ac proinde quanto magis adstringitur necessitate et obligatione, tanto ex illa movetur, et non ex pura appretiatione. Charitas vero, et si alias in se sit debita, in modo tamen diligendi, non attenditur ad debitum illum, nec ad beneficia, aut commoditates aliquas, sed more sponsæ, filii, et amici in sola Dei bonitate complacet et sibi, propter ipsam, in laque totam suam beatitudinem ponit, quia respicit illam prout est beatitudinis suæ obiectum. Ut docet S. Th. Ruasus quod in amicitia ad Deum consistat summa appretiatio possibilis. Etiam de potentia absoluta probatur quia, quamtumvis infinita nobis appareat bonitas, et maiestas Dei, in hoc quod voluerit creator esse, et dominus, suiusque mirabilis universi artifex, et fons totius esse incomparabiliter maior pro possibilitur tam in se quam in exire ad nos, quod dignatus sit esse amicus, pater, et sponsus noster, ergo appretiatio quæ perfecte penetrans hos titulos, et rationes Deum sub illis respicit, incomparabiliter excedit alteram, quæ Deum ut supremum dominum super omnia prosequitur. Consequentia patet nam quo maior bonitas, et æstimabilitas voluntati proponitur, eo profundior et vehementer sine ea infertur appretiatio. Et antecedens ex ipsis terminis constat. Bonitas enim Dei ex suis operibus, et maxime ex beneficiis apparet, ideoque finis ultimus, omnium mirabilium suorum est manifestatio suæ bonitatis, sed incomprehensibiliter maius beneficium fuit creaturæ, quod Deus dignaretur esse illi amicus pater, et sponsus, quam quod dominus tantum, et superior: hoc enim secundum eam intra ordinem naturæ in suo statu sexuitutis reliquit. Primum autem ad ordinem gratiæ elevavit supra conditionem suam, immo ad consortium divinæ naturæ, et statum deificum: in hoc ergo magis apparuit Dei bonitas, et benignitas, quinimo et summum erga nos demonstravit amorem. Hinc enim constat, quare nec de potentia absoluta, alius altior gradus appretiationis sit possibilis puræ creaturæ (ex generabilibus loquor, vel intra ordinem gratiæ, ut omittam dignitatem Matris Dei quæ in uno tantum docuit singulari, pertinuitque ad altiorem ordinem unionis hypostaticæ.) Nam eo ipso quod fuit participatio formalis amoris quo Deus se ipsum diligit (ut dixi supra) ad modum quo gratia est participatio divinæ naturæ, secundum proprium, et specificum gradum suum, et visio beata divinæ scientiæ; sicut negari non potest Deum summo modo appretiationis se ipsum diligere, sic et charitatem. Summum dico, non quoad intensionem, sicut nec visio beata comprehendit Deum, nec participat divinam scientiam quoad modum infinitum intensionis illius, sed quoad gradum summæ appretiationis, quæ est de essentia actus charitatis: alioquin non esset formalis participatio, sed tantum virtualis, sicut est illa quæ habent, fides, et spes. =

Præterea, ex parte creaturæ. Præter unionem hypostaticam, non fuit possibilis altior gradus, quam esse sponsam, filium, et amicum Dei, in ipsumque transformari, ac fieri unum spiritum, qui nemo, et fieri Deum per participationem, non solum mediante similitudine per qualitates supernaturales creatas, sed etiam per ineffabilem, ac realem ipsius deitatis unionem in ratione speciei expressæ; ut in materia de visione beata, et etiam tota disputat. sequenti dicam. Est igitur appretiatio hæc summa omnium possibilium, siquidem ipse divinus amor, qui patri, filioque est ratio se ipsos mutuo diligendi, vindicat etiam charitati creatæ (saltem quando consummatur spiritualis matrimonium in via, vel in patria, ut suis etiam locis explanabo, ut eodem omnino modo essentiali Deum prosequatur. =

Sectio 4a. Non potest Charitas esse perfecta, nisi in Deo omnibus =

~ Omne bonum Constituat. ~

Hoc autem summa approbatio luculentius apparebit, si probemus non solum consistere in hoc quod Deum ut maius prosequatur bonum, et ut summum omnium caeteris anteponat, quod praestat Naturalis amor, sed in hoc etiam quod in Deo, omne bonum constituat. i. quod nullum aliud bonum quantumvis honestum appetat praeter Deum, nisi propter Deum. Hoc igitur sola Charitas praestat. Ratio est. quia Deus hoc modo se ipsum diligit, in se omne bonum, et finem ultimum, adequate constituens. qua propter materia de voluntate, bonitatem suam esse obiectum primarium totale, caeteraque extra ipsum tantum secundaria demonstrata saltem; ergo si charitas est formalis participatio divini amoris, ut probavi, erit consequenter imitatio huius modi respiciendi, siquidem pertinet ad substantiam ipsius actus amoris, et non ad quantitatem gradualem illius. = Confirmatur. Nam eo quod creatura elevata est ad statum deificum, et sub nomen illum amicitiae statum quo Deus se, et ipsa Deum prosequitur cum debeat esse reciprocus, iam non licet illi aliud bonum, praeter Deum, nisi propter ipsum recipere, saltem loquendo in tali gradum charitatis perfectae, derogat enim sponsae fideli malis praeter quam in tam dignissimo sponso delectari, deberet etiam a perfecta reciprocatione huius amicitiae de cuius ratione est quod uterque habeat idem velle, et nolle, quod sicut velle dei, ut ad quasi eum obiectum proximarium respicit suam bonitatem, ita et velle creaturae per charitatem. =

Quod urgentius confirmo ex verbis S. Thom. citatis. obiectum scilicet charitatis esse Deum, prout beatitudinis obiectum, de hoc autem docet 1a 2ae q. 2. art. 8. quod beatitudo est bonum ita perfectum, quod totaliter quietat appetitum, obiectum autem voluntatis est universale bonum, sicut obiectum intellectus est universale verum. Ex quo patet, quod nihil potest quietare appetitum hominis, nisi bonum universale, quod non invenitur in aliquo creato, nisi solum in Deo, secundum quod dicitur in psal. 102. qui replet in bonis desiderium tuum. Id circo theologi omnes beatitudinem definiunt, quod sit status omnium bonorum aggregatione perfectus. quia scilicet illius obiectum debet esse omne bonum, hocque in solo Deo continetur. Indicat expresse sacra scriptura. Exodi. 33. Moisi ad perfectionem adspiranti, faciemque, et gloriam Domini videre poscenti, Dominus ipse respondit, ego ostendam omne bonum tibi, et Marci 10. Nemo bonus nisi solus Deus. i. animae charitatem perfectam habenti. sic propheta regius, hoc, quasi textum supponens, suam charitatem his verbis ostendebat dicens, quid enim mihi est in caelo, et a te quid volui super terram, defecit caro mea, et cor meum Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum, ac si diceret, nihil caelestium, aut terrestrium, est quod me moveat, quia iam caro mea defecit ~~et~~ quasi mortua nihil suarum appetit sensibilium, cor meum, similiter, quia solus Deus est pars, et haereditas mea et totum bonum cordis mei, ut alibi saepe repetit Apost. etiam contestatur fere eisdem verbis, vivo ego, iam non ego, vivit in me christus. Galatas. 2o. et Colosens. 3. mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. i. nihil aliorum bonorum quaerat vita mea praeter ipsum Deum, ideoque mortuus est et ut huius vitae suae, vivit que tantum vita qua Deus se ipsum respicit ut finem, et adequatum bonum totius amoris sui. =

Confirmat id tandem charitatis praeceptum, quo Deus diligendi his proponitur, nimirum toto corde, tota anima, tota mente, et totis viribus. quae verba non significant

ficant

ficant Deum amari debere Ulla intensione et conatu possibili, quod quia est impossibile, non potuit sub precepto cadere; ac proinde sensus illorum tantum potest esse, quod in Deo totum cordis, ponamus affectum, hoc est non diuidamus illum ut dici solet; admittendo praeter eum alia bona, quia sic totum cor in eo poni verificatur, si alterius boni consortium excluditur. Totum igitur expetit. Prouerb. 23. fili praebe mihi cor tuum, siue magnum, siue paruum, siue vehementer intensum, siue remissum. 1. quod ipsum solum, ut unicum amplectatur bonum

Oppositis obiectionibus satisfit.

Dices. Ergo charitatis exercitium, non inuenitur nisi tantum in viris perfectis, ac proinde tam rara auis erit in terra, sicut vir omnino perfectus. Probatur consequentia, quia nec imperfecti, nec proficientes, possunt in Deo, ita omne bonum constituere, ut cetera bona etiam licita, prorsus abnegent.

Sequeretur praeterea, quod quies ex motiuo operaretur aliarum virtutum scilicet propter honestates ipsarum, contra charitatem procederet: quia non constitueret in Deo omne bonum, sed simul in bonis talibus creatis, quales sunt obiecta virtutum non theologicarum, quod est contra Euangelicam doctrinam, ubi Christus Dominus in impletione praeceptorum dilectionem suam positam docet Joann. 14. qui habet mandata mea, et seruat ea, ille est qui diligit me. Et alibi sepe id repetit.

Sequeretur rursus, quod quelibet alia virtus imperfectio esset, quinimo et peccatum; quia charitati opposita, ac proinde obijcienda, que et similia sunt valde absurda, ergo et doctrina que illa infert.

Respondetur tamen negando omnes sequelas. Ad primam dico quod dupliciter potest aliquis in Deo omne bonum constituere. Uno modo firmiter, et constanter omnia in particulari, et in executione propter Dei amorem relinquens, non obstantibus difficultatibus sepe occurrentibus, permanensque in occasione tamquam argentum in igne tribulationis examinatum, probatum terre, purgatumque centuplum. 1. septem spiritus sancti donis ut psal. dicitur. 11. Et sic amor perfectorum est. Alio modo potest creatura Deum ut unicum, et solum bonum suum prosequi, nihil aliud cum ipso desiderans, ceterum in communi, et abstracte, quando occasiones difficultatum, aut tentationum non insurgunt, quando aliqua contraria non experiuntur in particulari, sed tantum proponitur expresse diuina bonitas summe amabilis super omnia, hoc enim abstracto modo amor iste imperfectorum corda potest calefacere, quinimo et in eorum meditatione ignem exardescere solet, postea tamen quouis tentationis vento, facile extinguitur, et deficit; quia non altas radices fixerat. Huius discriminis insigne exemplum fuit Apostolus Petrus, dixerat enim prius iterum, atque iterum, Domine tu nosti, quia amo te, et animam meam ponam pro te, et si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Postea tamen probatus difficultate ad oculum oblata, trina negatione cecidit, ancillule voce perterritus. Postea vero post aduentum spiritus sancti idem amor a Deo firmiter, in eo fuit radicatus, ut multis vite periculis, vinculis, et carceribus prius expertis, intrepidem pro eo tandem mori non dubitauerit.

Addo 2°. propter hoc me loquutum fuisse in assertione posita de charitate perfecta: quia optime potest saluari charitatis essentia in statu imperfecto, per hoc,

quod

quod Deum ut summum bonum respiciat, et implicite in eo omnia bona constituat. Unde ad 23. sequelam respondeo. quod non derogat charitati, quod alia diligantur, propter Deum, et tam creata, quam increata, ac proinde, et honestas aliarum virtutum. Quando autem quis operatur ex motiuis aliarum virtutum, absque imperio charitatis formali, vel saltem virtuali, tunc imperfecte, et deffectuose operatur. Nam ut dicam Artº 3. et 4. Charitas propter hoc ab omnibus forma dicitur omnium virtutum, quia sine illa quaevis alia, nec statum nec rationem obtinet virtutis simpliciter, ac proinde intrepide dici potest imperfecta quaelibet alia virtus sine illa =

Ex hoc autem non bene infertur quod sit abijcienda, sed quod ex charitate perficienda; non erit tamen peccatum, sed imperfectum exercitium aliarum virtutum, sine charitate formali, vel virtuali; quia cum charitatis praeceptum sit affirmatiuum, et non obligans pro semper; sicut potest voluntas, ubi non amare hoc, vel illo tempore: sic et actus probum potest exercere aliarum virtutum, absque culpa: non tamen absque imperfectione. Nam ex suppositione quod operatur, debet se dirigere in suum ultimum finem, ad quem per gratiam fuit eleuatus, sine formali, siue virtuali charitatis imperio actus praeterito, quo quis se et omnia sua in Deum resignauerit, et retulerit, nam hic moraliter perseuerat, et extenditur ad actiones futuras. Semper tamen eo perfectior charitas, quo expressius, et actualius in Deo omnia bona constituat, et praeter Deum nihil nisi propter ipsum deligat. =

Exemplo nobilissimo, potest haec doctrina valde illustrari. Quemadmodum pars sensibilis, seu animalis in homine, ex eleuatione, et unione ad partem rationalem, non debet operari nisi rationis ductu, et in ordine ad finem, per rationem intentum, et alias non erit humana, sed defectuosa, et animalis operatio: sic vita naturalis animae, ex unione, ad vitam supernaturalem gratiae, et charitatis per quam eleuata est ad statum Dei, eumque et supernaturalem finem, non debet ad operandum mouere, nisi intuitu Dei supernaturalis finis, aliter erit defectuosa operatio. =

Argumentis etiam supra positis, iam ibi satisfeci. Solum ad 13. et § 18. responsionem distuli, ut ex decursu utriusque sectionis positis, plenius dissolueretur. Concedo enim quod ratio naturalis etiam assequatur esse summum bonum, caeteraque attributa, quae de Deo naturaliter demonstrari possunt, esse illi maxime gloriosa, perfectaque congrua, et sufficienter per dictamen naturale proposita, ut de illis possit complacere voluntas praecise ut sunt bona Dei, haec autem complacentia, non pertinet ad amicitiam, serui enim cum consensu, saepe complacere, et admirari solent, immo, et contentione maxima de bonis tam intrinsecis quam extrinsecis dominorum suorum, et nemo illos amicos dicit, aut appellat. Et ratio in generali est. quia non excedit rationem serui cuius voluntas est rationalis, cui sicut placent illi caetera bona, placent etiam, quae animaduertit in domino suo. Dixi iam complacentiam de maiestate ipsa, et dominio, ac excellentia superioris, naturaliter voluntatem in sui complacentiam rapere, sicut, et pulchritudo rei inanimis. Amor (ait Bernardus citatus, disputat. praecedenti) ab amando, et non ab honorando dicitur, et hi potius sunt affectus honoris, et laudis, quibus serui domi nos reuerentur. Est igitur non quaelibet complacentia de ratione amicitiae, sed ea tantum, quae ... mitiua est unius cum altero, et reciprocationem petit eiusdem rationis sal tem proportionaliter, hanc autem unionem, et reciprocationem numquam ostenditur est ratio naturalis posse inter uenire inter Deum et creaturas. Ut satis in superioribus dictum est. =

Ad replicam, quod non est contra rationem amicitiae, quod respiciat debitum.

Etiam

Et ideo Et si Amor naturalis debitus sit, non propter hoc desinit Amicitia esse. = Respondebis, Nec nos propter hanc solam causam Amorem naturalem ab Amicitia excludere, sed propter alias iam assignatas. Nec derogat rationi Amicitiæ quod sit in re debita, sed quod respiciat obiectum sub ratione debiti. Specialiter Charitas, cum sit formalis participatio eiusdem Amoris gradus, quo Deus se diligit; sicut Deus se Amat non ex debito, seu subiectione aliqua ad legem, sed solum ex puro Amore, sic Creatura illum, Et si in genere rei debitum, non in esse obiecti, illud respicit, nec erit ita summa approbatio, si ex debito Et obligatione, Et non ex puro Amore illum prosequeretur. =

Addo tandem, Etiam inter Amicos, Coniuges Et Patres, ac filios, plures esse actus Concupiscentiæ, quibus unus ab altero propriam quærit utilitatem, aut delectationem, Et est Iustitia, quibus unus alteri debitum honorem persoluit, aut fidem, Et est Etiam pura Amicitia, quo unus ex pura benevolentia alterius, quem sicut se ipsum diligit, omnia illi appetit bona sicut propria. Eodem modo in ordine ad Deum, Et exercemus actus Concupiscentiæ Et spei, Et actus iustitiæ Et Religionis, quibus illi cultum, ac debitum honorem persoluimus, Et Etiam actus quibus ex pura Charitate, Et præcisso benevolendi motivo, ipsum absque recordatione alicuius debiti prosequimur, sicut Coniuges absque ulla memoria Et intuitu debiti, immo Etiam si debitum non esset, mutua Amoris officia, Et obsequia sibi invicem persoluerent. =

Articulus 2us. Utrum Charitas sit aliquid Creatum in anima.

Ad 2um sic proceditur. Videtur quod Charitas non sit aliquid Creatum in Anima. Dicit enim Aug. 8. de trinitate. qui proximum diligit, Consequens est ut ipsam dilectionem diligat, Deus autem dilectio est: Consequens est ergo ut præcipue Deum diligat. Et in 15. de trinitate dicit, ita dictum est, Deus Charitas est; sicut dictum est, Deus spiritus est, ergo Charitas non est aliquid Creatum in Anima, sed est ipse Deus. =

Præterea, Deus est spiritualiter vita Animæ, sicut Anima vita Corporis, secundum illud Deut. 30. ipse est vita tua. sed Anima vivificat Corpus per se ipsam, ergo Deus vivificat Animam per se ipsum. Vivificat autem eam per Charitatem, secundum illud prime Ioan. 3. nos scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres; ergo Deus est ipsa Charitas =

Præterea, nihil Creatum est infinitæ virtutis, sed magis omnis Creatura est vanitas, Charitas autem non est vanitas, sed magis vanitati repugnat, et est infinitæ virtutis, quia Animam hominis ad bonum infinitum perducit. Ergo Charitas non est aliquid Creatum in Anima. =

Sed Contra est, quod August. dicit, in 3. de doctrina christiana. Charitatem voco, motum Animi ad fruendum Deo propter ipsum. Sed motus Animi, est aliquid Creatum in Anima, ergo et Charitas est aliquid Creatum in Anima. =

Respondeo Dicendum, quod Magister pertractatur hanc quæstionem in 17. dis. primi libri Sent. et ponit, quod Charitas non est aliquid Creatum in Anima: sed est ipse spiritus sanctus Mentem inhabitans. Nec est sua intentio, quod iste motus dilectionis, quo Deum diligimus, sit ipse spiritus sanctus: sed quod iste motus dilectionis est a spiritu sancto, non mediante aliquo habitu, sicut a spiritu sancto sunt alii actus virtuosi mediantibus habitibus aliarum virtutum, puta, fidei aut spei, aut alicuius alterius virtutis. Et

hoc

hoc dicebat propter excellentiam charitatis. Sed si quis recte consideret, hoc magis redundat in charitatis detrimentum. Non enim motus charitatis, ita procedit a spiritu sancto mouente humanam mentem, quod humana mens sit mota tantum, et nullo modo sit principium huius motus, sicut cum aliquod corpus mouetur ab aliquo exteriori mouente. Hoc enim est contra rationem voluntarij, cuius oportet principium in ipso esse, sicut supra dictum est. Vnde sequeretur, quod diligere non esset voluntarium, quod implicat contradictionem: cum amor de sui ratione, importet quod sit actus voluntatis. Similiter etiam non potest dici, quod sic moueat spiritus sanctus voluntatem ad actum diligendi, sicut mouetur instrumentum: quod etsi sit principium actus, non tamen est in ipso agere, vel non agere. Sic enim tolleretur ratio voluntarij, et excluderetur ratio meriti: cum tamen supra habitum sit, quod dilectio charitatis est radix merendi. Sed oportet quod sic voluntas moueatur a spiritu sancto ad diligendum, quod etiam ipse sit efficiens hunc actum. Nullus autem actus perfecte producitur ab aliqua potentia actiua, nisi sit ei connaturalis per aliquam formam, quæ sit principium actionis. Vnde Deus qui omnia mouet ad debitos fines singulis rebus indidit formas per quas inclinatur ad fines sibi præstitos a Deo: et secundum hoc disponit omnia suauiter, vt dicitur sap. 8. Manifestum est autem, quod actus charitatis excedit naturam potentiæ voluntatis. Nisi ergo aliqua forma superadderetur naturali potentiæ, per quam inclinaretur ad dilectionis actum, esset actus iste imperfectior actibus naturalibus, et actibus aliarum virtutum, nec esset facilis, et delectabilis. Quod patet esse falsum: quia nulla virtus habet tantam inclinationem ad suum actum sicut charitas, nec aliqua ita delectabiliter operatur. Vnde maxime necesse est, quod ad actum charitatis in nobis existat aliqua habitualis forma superaddita potentiæ naturali, inclinans ipsam ad charitatis actum, et faciens eam prompte, et delectabiliter operari. =

Ad primum ergo dicendum. quod ipsa essentia diuina charitas est, sicut et sapientia est, et bonitas est. Vnde sicut dicimur boni, bonitate quæ est Deus, et sapientes, sapientia, quæ est Deus (quia bonitas qua formaliter boni sumus, est participatio quædam diuinæ sapientiæ) ita et charitas, qua formaliter diligimus proximum, est quædam participatio diuinæ charitatis. Hic enim modus loquendi consuetus est apud Platonicos quorum doctrinis imbutus fuit Augustinus. quod quidam non aduertentes, ex verbis eius sumpserunt occasionem errandi. =

Ad secundum. Dicendum, quod Deus est vita effectiue, et animæ per charitatem, et corporis per animam. sed formaliter charitas est vita animæ, sicut et anima corporis. Vnde per hoc potest concludi, quod sicut anima immediate vnitur corpori, ita charitas animæ. =

Ad tertium dicendum, quod charitas operatur formaliter. Efficacia autem formæ est secundum virtutem agentis, qui inducit formam. Et ideo patet quod charitas, non est infinita, sed quod facit effectum infinitum, dum coniungit animam Deo iustificando ipsam: hoc demonstrat infinitatem virtutis diuinæ, qui est charitatis actor. =

Expositio litteræ.

Conclusio est affirmatiua, scilicet, Charitas est aliquid creatum. quæ intelligitur tam de actu, quam de habitu. Cuius veritas negari non licet. Nam quod sit aliquid creatum concil. Trid. sess. 6. capite 7. manifeste supponit, vbi ait nos iustificari per iustitiam quamdam in-

intrinsecam nobis inhaerentem: et quod hinc haec iustificatio sit, cum fides, spes, et charitas nobis infunduntur. quod etiam habetur can. 11. Deus autem non potest esse forma inhaerens, vel infusa, vel in nobis recepta: ergo charitas est aliquid creatum. quid autem nomine charitatis intelligatur, an habitus, vel actus, vel utterque, longa hic indiget disputatione. =

Interim est advertendum, quod in 3° argumento obiicit s. th. Nihil creatum est infinitae virtutis, sed potius omnis creatura est vanitas: sed nihil magis vanitati repugnat quam charitas, et est infinitae virtutis: ergo non est creatum. Cui respondet. quod charitas operatur formaliter, idest tamquam formale principium operationis: efficatia autem formae est secundum virtutem agentis, qui inducit illam: et ideo patet quod charitas non est infinita, sed quod facit effectum infinitum, dum coniungit animam cum Deo. =

Circa quae verba, duo occurrunt difficilia. Primum est, illa propositio: efficatia formae est secundum virtutem agentis inducentis illam. quae videtur falsa: quia non semper virtus formae inductae aequatur virtuti agentis, praesertim si sit aequivocum qualis est Deus. secundum est quod hinc infert quod charitas non sit infinita, cum potius sequatur oppositum: nam Deus illam inducens est infinitus. Subdit item immediate quod habet effectum infinitum, quod arguit etiam infinitatem in causa. =

Propter hoc quidam asserunt, non legi in aliquibus Codicibus, et ideo patet quod charitas non est infinita, sed quod charitas non est vanitas, sed facit effectum infinitum. quae lectio verisimilis est, quia directe respondet argumento. Adhuc tamen lectio altera relata magis placet, quia communior; nec emmendatur ab expositoribus huius temporis; et alias congruum sensum reddit, si profunde consideretur. Nam propositio illa: efficatia formae est secundum virtutem agentis inducentis illam, non vult dicere, quod sit aequalis virtuti agentis, sed quod illi debeat commensurari, aut proportionari, ita ut non excedat virtutem agentis. quod intellige non de excesu in ratione entitatis, sed in ratione causae, et causati: quod scilicet in causato non sit aliquid, quod virtualiter non lateat in agente. Et sic optime infert s. doctor, quod cum in Deo non sit virtus ad se communicandum infinito modo, vel ad producendum aliquid simpliciter infinitum (quod alibi dictum supponit) quod charitas non sit infinita, facit tamen effectum infinitum. quod intellige de infinitate secundum quid, non tam ex parte causae, quam ex parte obiecti terminantis extra ut suo loco dicetur. =

Denique circa illa verba articuli: Nulla virtus habet tantam inclinationem, nec ita delectabiliter operatur sicut charitas, adverte quod licet omnis virtus sit inclinatio potentiae ad suos actus, et obiecta, tamen quia prima inclinatio est amor, et obiectum illius bonitas in communi, ideo illa virtus magis inclinat, quae essencialiter, et primario respicit amorem et complacentiam boni ut sic, sed hoc praestat charitas prae caeteris virtutibus: est enim amor omnino purus, et simplex complacentia de sola, et praecisa Dei bonitate, et de bonitate summa, in qua omnis bonitas quasi in communi clauditur, ergo est virtus quae magis inclinat, quia de obiecto magis delectabili, et attractivo. Reliquae autem virtutes non in pura bonitate insistunt sed cum aliquo respectu ad debitum, vel ad proprium commodum sua obiecta respiciunt. =

Disputatio 33. Utrum charitas sit aliqua forma creata, an vero ipse Spiritus sanctus.

Sectio Prima. punctus difficultatis, et ratio dubitandi.

Multis iam videtur notissimum, Spiritum sanctum, aut amorem Diuinum vicem charitatis actualis, aut habitualis, nec de potentia absoluta gerere posse. Quod enim de facto charitas sit aliquid creatum in herens animæ est deffinitum ab Eclesia in Concilio Trid. sess. 6. cap. 7. vbi docens causam formalem Iustificationis esse iustitiam Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, subdit. Hoc fit dum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui iustificantur, et illis in heret, in iustificatione enim infusa accipit homo simul [illegible]: fidem, spem, et charitatem ettª. Et can. 11. si quis dixerit hominem iustificari sola remisione peccatorum seclusa gratia, et charitate quæ in cordibus hominum diffunditur, et illis inheret anathema sit. Sumpsit autem Concilium hanc veritatem ex illo 1º ad Chorinthios 13. Manent autem fides, spes, et charitas. Et ad Roman. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis. vbi charitas clare distinguitur a b spiritu sancto tanquam illius effectus. Et verbum illud inheret additum a Concilio clare accidens creatum demonstrat, cum nihil magis Deo repugnet, immo et substantiæ creatæ, quam imperfectio inhesionis. =

Insuper S. August. libro de spiritu, et littera. cap. 32. id satis exprese docet, inter alia sic scribens. Charitas quippe Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua ipse nos diligit, sed qua nos facit dilectores suos: sicut iustitia, qua iusti eius munere efficimur, et fides qua nos fideles facit ettª. Et 4º contra Iulian. cap. 3. et sermone de laudibus charitatis docet esse virtutem, et inter virtutes eam enumerat, cum tamen ipse alijs locis virtutem definiat, quod sit bona qualitas mentis ettª. =

Ratione tandem probatur nec possibile esse quod suppleatur ab amore Diuino: quia si charitas pro actuali dilectione, seu amore accipiatur, petit ex natura sua, immo et essentialiter procedere a principio intrinseco et formali personæ diligentis: non ergo potest a Deo per seipsum suppleri. Antecedens triplici titulo probatur. Primo; quia amor est actus vitalis, de cuius ratione est, quod sit exercitium rei se mouentis, ac proinde quod a principio vitali procedat, vt semper omnes Philosophi, ac Theologi docent. Secundo. quia amor est essentialiter voluntarius, quod essentialiter petit esse a principio intrinseco, vt ex eius definitione constat: ergo quod ab extrinseco, scilicet, Deo procederet, nec amor nec voluntarius esset. Tertio: quia amor est liber, libertas autem dicit essentialiter habitudinem ad propriam operantis potestatem expeditam, et indifferentem ad vtrumlibet, quod autem est in sola potestate alterius, quomodo intelligi potest cadere sub mea libertate? ergo amor ipse Diuinus, qui solum in potestate Dei est, et non voluntatis creatæ, non poterit huic ratio libere volendi esse. =

De charitate etiam sumpta pro principio operatiuo probatur eisdem rationibus non posse esse Spiritum sanctum, nec excludi virtutem extrinsecam creatam: quia alias tolleretur ratio voluntarij, liberi, et meritorij a charitate nostra si tantum a principio omnino extrinseco, qualis est Deus procederet: consequens est erroneum, ergo et illud ex quo sequitur, quam rationem S. Thomas adducit. =

Tandem etsi non repugnaret spiritum sanctum per seipsum munus charitatis obire, tamen de facto non ita contingere, constat ex consueto ordine Diuinæ prouidentiæ, quæ semper tribuit rebus principia, quibus connaturaliter, et modo debito, ac proporcionato suas operentur actiones, vt patet a simili de alijs rebus, tam naturalibus, quam supernaturalibus, et alijs habitibus

tibus infusis fidei et spei, qui etsi ab increata virtute suppleri valeant; id de facto non fecisse sed ordinem magis suavem, et connaturalem servasse fatentur omnes, ergo non est cur credamus, hunc ordinem in charitate invertisse. =

Propter hec et similia argumenta communiter impugnatur sententiarum Magister, qui in 1° dist. 17. asseruit charitatem nostram esse formaliter Deum ipsum, et per appropriationem spiritum sanctum. quam sententiam erroris notant fere omnes, vel ad minus temerariam et improbabilem alij asserunt. Et revera in sensu quo communiter intelligitur, hoc, ita est. Potest tamen in alio intelligi, in quo ipsum spiritum sanctum vicem charitatis supplere, non solum de possibili, sed etiam de facto mihi probabilissimum est, ac veritati conformius. Pro cuius declaratione =

~ Prenotantur aliqua ad solutionem questionis. ~

Primo observa eumdem fere operandi modum, eademque requisita, que in intellectu interveniunt ad suas operationes, esse in voluntate proporcionabiliter: atque adeo sicut in facultate intellectrice distinguimus virtutem vitalis potentie, et habitus scientiarum, oppinionum, et errorum; ita in voluntate, et est potentia vitalis, et sunt habitus virtutum, et vitiorum. =

Rursus sicut ad exercitium intellectionis prius consideramus potentiam determinari per speciem impressam ad producendum verbum, et per verbum ipsum productum determinari ad intelligendum obiectum, eo quod potentia de se indifferens erat ad hanc, vel illam notitiam. Ita pariter propter similem ~~[illegible]~~ indifferentiam prius intelligitur voluntas determinari per bonitatem appresensam, ad producendam qualitatem amoris, que sane non est actualis dilectio, sed ratio formalis volendi per modum ponderis, aut impulsus: sicut verbum non est actualis intellectio, sed ratio intelligendi per modum imaginis. Itaque tam in voluntate, quam in intellectu exercitium, seu formalis intellectio, aut dilectio non sunt idem quod verbum et amor: nam hec sunt de genere qualitatis, ille vero de genere actionis, et consistunt in vitali tendentia, seu attentione potentie ad obiectum, media emanatione et informatione verbi seu amoris. =

Declaratur hoc duplici exemplo, cui vulgariter tam in sacris, quam in prophanis litteris amor comparari solet. Primo enim pondus appellatur sepius amor, quo lapidi assimilatur. In quo prius consideramus gravitatem, seu pondus de genere qualitatis, quo inclinatur ad centrum. Et rursus propter hanc qualitatem intelligimus in eo motum localem de genere actionis quo descendit ad centrum. que duo satis differunt, siquidem separata inveniri solent: quando scilicet lapis extra centrum detinetur, quia tunc gravitatem et pondus retinet absque motu, et possessione centri. Sic in voluntate est pondus quo ipsa inclinatur ad rem amatam ut proprium centrum, quod qualitas quedam est amor appellata. Est etiam actualis tendentia, qua voluntas vitaliter movetur, et fertur in rem amatam, que dicitur dillectio, et est de genere actionis. Utrumque expressit, et distinxit D. August. verbis illis satis vulgatis solilog. <u>Amor meus, pondus meum, illuc feror quocumque feror.</u> Ubi discrimen qualitatis, et actionis explicuit. Patetque ex modo significandi utriusque vocis: nam dillectio exercitium, seu tendentiam actionis propriam significat. Amor vero qualitatem et rem per se stantem demonstrat. =

Aliud exemplum sumitur ex igne, cui sepius amor comparatur, in quo et est levitas de genere qualitatis, qua centrum suum appetit, et est continuus motus, quo illuc ascendere tentat et si a combustibili impediatur, ne ab eo discedat, sic in proposito se habent amor et dillectio, ut dixi. =

Dices, Inclinatio quę est in voluntate, per modum potentię sufficienter assimilatur gravitati lapidis, et levitati ignis, et actualis amor motui quo utrque fertur in centrum ęquiparatur: superflue ergo additur, prętur potentiam et dillectionem alia qualitas amoris. Rursus, amor vel est ratio vollendi per modum potentię, et hoc non, quia proprium voluntatis est. vel est ratio vollendi per modum actus secundi, et sic erit idem quod actualis dillectio, ergo non qualitas ab illo diversa. =

Respondetur ad primum, hoc esse discrimen inter inclinationem lapidis aut ignis ad centrum, et inter inclinationem voluntatis ad suum obiectum, quod illa est omnino determinata ad unum, cum centrum unicum sit; et ideo dum nullum obstat impedimentum fertur ad illud absque indigentia alterius. At voluntas est potentia indifferens ad plura obiecta non solum indifferentia libera sed etiam naturali, qualem habet intellectus, et reliquę causę indifferentes, ideoque indiget amore determinante illam ad dilectionem huius obiecti, et non illius; sicut intellectus indiget verbo ad hoc, et non illud determinate inteligendum. Ad modum enim quo in lapide e sursum violenter emisso ratio descendendi ea velocitate, non est tantum naturalis gravitas, sed impulsus, seu impetus a proijciente illi impressus. sic in voluntate prętur nativam, et indifferentem inclinationem potentię, additur impetus, seu impulsus determinatus amoris. =

Ad secundum dico, amorem non esse rationem volendi per modum actus secundi, seu actionis; neque per modum potentię productivę, esse tamen per modum termini, seu actus producti determinantis voluntatem, ut pręcise volitiva sui obiecti est. Ad cuius maiorem claritatem suppono ex libris de Anima. Et ex 1a p.te q. 27. de Trinitate. in qualibet potentia vitali saltem spirituali, duplicem vim esse essentialiter subordinatam, una est vis productiva termini, verbi scilicet seu amoris. Et altera est vis respectiva obiecti, intellectiva scilicet, aut volitiva, in qua principaliter, facultas vitalis, et proprietas viventis consistit. His correspondet duplex actus secundus, emanatio videlicet verbi, aut amoris, virtuti productivę, et intellectio obiecti, seu dilectio virtuti respectivę. quas probavi satis 1a p.te et si nondum luci edita, esse formalitates diversas, quoniam in Divinis in filio et spiritu sancto, intelligitur visio obiecti absque productione verbi, et in spiritu sancto dilectio absque spiratione amoris. Et in visione beata, et creata in schola S. Thomę, in qua semper enutritus sum, Beati videntes divinam essentiam non formant verbum, quinimo nec amorem, ut statim dicam: discernitur ergo vis productiva verbi, seu amoris ab ea quę tantum est respectiva obiecti. =

Quo supposito, stat bene, quod verbum seu amor in linea productiva sit terminus productus, per dictionem seu spirationem (quę potius emanationes dicuntur quam actiones) et in linea respectiva qualitates istę emanatę se habeant, ut rationes intelligendi, et volendi determinantes indifferentiam respectivam potentię, et sic se habentes etiam ex parte actus primi, non ut productivi, sed ut respectivi. R. fateor inopia vocum amorem, et dilectionem sępe confundi, presertim apud nos, qui in lingua nostra vulgari utrumque, qualitatem scilicet, et actionem eadem amoris voce significamus; unde eadem confusio in lingua latina communi usu introducta est, quę in multis iam communicat cum hispana et alijs vulgaris. =

Statuitur iam difficultatis resolutio.

His prelibatis dicendum est. Amorem increatum, vel Spiritum sanctum per attributionem non solum posse, sed de facto uniri cum voluntate beati ad diligendum Deum, non per modum habitus charitatis, vel ut vices illius suppleat, (de quo sequenti disputatione) nec per modum actualis dilectionis

dilectionis

auxilij extrinseci supplentis deffectum propriæ formæ; ideoque hunc posteriorem modum concedunt in homine existente in peccato mortali ad actum contritionis, seu dilectionis Dei, quia propter imperfectionem suam compatibilem existimant cum illo statu; unionem vero propriæ formæ, ac virtutis ut perfectiorem solum in homine iustificato admittunt; ergo in statu beatifico, ubi gratia omnino perficitur, et consummatur, perfectior modus a forma scilicet intrinseca, et non ab auxilio extrinseco dumtaxat, admitti debet; ac proinde unio amoris Dei tantum quoad operari credibilis non est. = Respondetur ergo quod. =

Unio hæc amoris Diuini etiam quantum ad esse intelligenda est.

Ratio est: quia operari supponit esse iuxta modum connaturalem, et præsertim cum sermo est de statu perfecto rei. Non consistit tamen unio hæc, etiam quoad esse in aliquo modo distincto ab utroque extremo, et extrinsece, aut intrinsece afficiente Deitatem, et potentiam creatam: Nam talis modus, neque interuenit in unione hypostatica iuxta thomisticam doctrinam; neque universaliter loquendo, in unione materiæ, et formæ, subiecti, et accidentis iuxta sententiam mihi probabiliorem: sed consistit in hoc, quod essentia diuina taliter se exhibeat, et accommodet intellectui, et voluntati creatæ, ut illi præstet totum, quod præstabat verbum, et amor creatus, seclusis imperfectionibus, a quibus ratio verbi, aut amoris abstrahit in suo essentiali conceptu. =

Declaratur hoc amplius exemplo unionis hypostaticæ, quæ consistit in hoc, quod subsistentia verbi naturam creatam terminet, et subsistentem reddat, seclusa imperfectione modificationis: ergo simili modo unio hæc stabit in hoc quod amor diuinus voluntatem creatam vere, et realiter impellat, et inardere faciat ad dilectionem sicut faciebat amor creatus, seclusa imperfectione inhærentiæ, siue sit modus distinctus ab accidente, siue non, de quo modo non curo: Nam ratio amoris, sicut ratio verbi, a substantia abstrahit, et ab accidente, sicut etiam explicari solet unio formæ cum materia; quod scilicet eam taliter actuet, et informet absque alio nexu, aut modo superaddito: nam ipsa forma ex se, est essentialiter actus actuans, et informans, et materia essentialiter ex se est capax, et recipiens, ac proinde non indigens ad hoc modo superaddito. =

Sed dices; vel unio hæc diuini amoris est substantialis, vel accidentalis; neutrum dici potest, ergo est impossibilis. Consequentia patet: quia nulla alia agnoscitur præter has duas. Minor quoad primam partem probatur: quia præter unionem hypostaticam, nullus audebit aliam unionem substantialem admittere, ita enim grauissime erraret, sicut si alium hominem Deum, vel alium christum assereret, unio, præterea, substantialis illa est, cuius extrema pertinent ad intrinsecam substantiæ constitutionem, et propterea unio hypostatica substantialis dicitur; sed nec intellectus, aut voluntas, nec Deus ut gerit vicem verbi, aut amoris, intrinsece pertinent ad substantiam beati, ergo. = Etiam quoad secundam partem patet minor: quia Deus non potest gerere vicem accidentis, propter intrinsecam imperfectionem, quam inse affert; quod et communiter omnes supponunt, dicentes, Deum uniri, seclusis imperfectionibus, inhærentiæ, et accidentis. =

Respondetur nihilominus, unionem hanc accidentalem esse, non quia utrumque, vel alterum extremum sit phisicum, vel prædicamentale accidens, sed satis est, quod sit accidens logicum seu prædicabile, quod in re potest esse entitatiue substantia: sicut istæ prædicationes sunt accidentis quinti prædicabilis, caput est coronatum, vel animal est oneratum, cum tamen corona, et onus inse substantiæ

substantiæ sunt. Sic pariter Divinus Amor, licet ipse substantialissimus sit, respectu tamen beati comparatur ut accidens, logice loquendo, quia est extra conceptum quidditativum illius. =

Sexto principaliter obijcies. Amorem in genere causæ formalis, et non efficientis esse rationem volendi; sed Deus non potest supplere causam formalem, cum eius causalitas in intrinseca exhibitione sui ipsius consistat: ergo impossibilis est dicta unio Divini Amoris cum voluntate. Maior patet, quia amor forma quædam est, qua voluntas ad obiectum formaliter inclinatur. = Sed idem argumentum fieri potest de verbo. =

Ad utrumque tamen respondeo, verbum, et amorem creatum esse formas inhærentes, quatenus accidentia sunt, abstrahere tamen in suis conceptibus intrinsecis a ratione substantiæ, et accidentis, quemadmodum et a ratione creatæ; et consequenter ab omni informatione intrinseca qua tamquam partes aliquod tertium componant. Nam ratio verbi in hoc præcise salvatur, quod per modum imaginis intentionalis terminet, vel determinet potentiam, repræsentando illi obiectum, in quod fertur: et ratio amoris in hoc, quod compellat, seu trahat voluntatem ad suum obiectum, quod fieri potest absque eo quod interveniat aliqua compositio, aut essentialis constitutio. =

Ubi et valde notandum, quod ratio, quare Deo repugnat, vicem gerere causæ formalis, non est propter unionem intimam, quam forma habet ad subiectum, nec propter indistantem sui exhibitionem ad illud: sed in forma accidentali repugnantia stat in inhærentia, cuius imperfectio etiam substantiæ creatæ repugnat. Definitur enim accidens, cuius totum suum esse est inesse, et consequenter non per se esse. In forma etiam substantiali ex eo quod ex intrinseca natura sua debet essentia constitutiva tamquam pars formalis alicuius substantiæ (nam conceptus substantiæ, et essentiæ, simpliciter idem sunt: Deus autem solum respectu sui potest esse essentia, non autem respectu entis creati, quod est plane repugnans, sicut quod homo esset forma equi. Potest tamen quidquid ipse formaliter habet, quod non reduplicet esse proprium et infinitum Dei, communicare creaturæ per modum formæ accidentalis, seclusis imperfectionibus inhærentiæ; et sic communicat formaliter rationem videndi per modum speciei expressæ, et rationem diligendi per modum amoris, seu impulsus. Dicunt enim formæ illæ, præter inhærentiam et causalitatem partis, ordinem ad obiectum, ut visibile, aut amabile, quod posterius sine inconvenienti a Deo suppleri potest. =

Confirmat id satis instantia de subsistentia verbi Divini humanitati Christi mira, in qua urgentior erat dubitandi ratio, eo quod ex se modus sit, de cuius essentia est actu inesse subiecto, modificando illud, et nihilominus, ut ex fide constat, fuit Deo possibilis talis unio in ratione subsistentiæ, eo ipso quod formaliter in ipso inveniatur, ut latius 3ª p. q. 1ª ostenditur: ergo multo magis id credi potest de ratione verbi, et amoris. Hinc tandem obiter infero, quod ea quæ in Deo formaliter non sunt, non possunt ab ipso formaliter exhiberi, sed efficienter: nam forma non causat nisi dando se ipsam. =

~ Sectio 3ª inconvenientia contra dicta solvuntur. ~

Quarto obijcies: Amor denominat subiectum amans actualiter: ergo præter amorem superflue additur alia forma, quæ sit actio vitalis dilectionis, sed ipse amor ex se est actio vitalis completa, et immanens, prout recipitur in potentia, siquidem completam illi amantis denominationem tribuit: ergo sicut dilectio vitalis suppleri nequit per Divinam; sic nec amor. = Respondeo

quod

quod si Amor accipiatur precise secundum id quod se solo tribuit coniungitur cum voluntate, vt vltimum complementum, et vltima illius determinatio in ratione virtutis respectiue, vt supra dixi: denominatque eam actu amantem, non quia sit illi formaliter actus secundus, sed propter inseparabilem connexionem quam habet cum actu secundo, quatenus scilicet actu impellit et trahit voluntatem, vt vitaliter per suam actionem obiectum respiciat. Constat hoc clarius in intellectu, in quo distinguuntur verbum, et intellectio. Per verbum denominatur potentia intelligens per modum actus primi vltimo completi, et determinati in ratione precisa efficatie respectiue obiecti intelligibilis: et per intellectionem denominatur intelligens in actu secundo. =

Vnde negatur, quod amans sit denominatio adequate proueniens ab amore, sicut nec intelligens adequate a verbo procedit: respicere enim obiectum, vitaliter etiam ipsi virtuti potentie principalius conuenit, sed quia ex se indifferens est, completur, et determinatur, per qualitates dictas. Inopia tamen vocum, quam S. Th. interuenire ait, in his que pertinent ad voluntatem, est causa alicuius confusionis; quia non vtimur voce, amatio, quia barbara est: sicut voce intellectio. Nec denominatur qualitas vltimo determinans intellectum intelligentia, sicut qualitas determinans voluntatem dicitur Amor. Dicitur ergo verbum, seu species, determinativum intellectus, et loco vocis amatio, dicitur dilectio, vel ipsum amoris nomen adaptatur illi, quando extra rigorosam disputationem de illis est sermo. =

Cum hac Diuini amoris vnione stat Beatorum inequalitas in dilectione

Quinto obijcies, duo absurda inferri ex nostra doctrina. Primum est, quod amor quo creatura diligit Deum, sit ita perfectus, et infinitus, sicut amor quo Pater, et filius se inuicem diligunt. Secundum, quod omnes beati sint equales in charitate, et sanctitate, et consequenter in Beatitudine: quia si est idem numero Amor diuinus in omnibus illis, eadem etiam sanctitas, eademque Beatitudo cum hec illi correspondeat, et commensuretur: hoc autem est contra fidem, et Ecclesie sensum, ergo et illud ex quo sequitur. =

Sed vtrumque inconueniens inferri posset in visione beata in schola S. Th. nimirum, quod sit tam perfecta et comprehensiua in omnibus, sicut in Deo; et consequenter quod Beatitudo que in tali visione formaliter consistit, in omnibus sit equalis: nam eadem ratio videndi, que est diuina essentia in omnibus est. =

Ad vtrumque tamen eadem solutione respondeo, quod si amor accipiatur prout distinguitur ab actu vitali dilectionis, pro eo scilicet quod est ratio diligendi per modum impulsus; et similiter verbum prout est ratio intelligendi per modum imaginis; sic verum est equalem, eteque perfectum verbum, et amorem esse in omnibus beatis, ac in Deo, si vero sumantur pro actibus, dilectionis et visionis, negatur eorum inequalitas tam respectu Dei, quam respectu beatorum inter se. Ratio huius est, quia licet ratio intelligendi sit increata, et ex se comprehensiua, et similiter ratio volendi infinita, que est diuinus Amor, ex limitatione tamen potentie vitalis, et inequalitate habitus charitatis, et luminis glorie, redundat eadem varietas, et inequalitas in actibus visionis, et dilectione pro cuiuscumque capacitate. =

Licet autem in omnibus eadem etiam sit capacitas remota, quæ est idem quod potentia obedientialis ad res supernaturales, est tamen alia capacitas proxima ratione gratiæ, et quantitatis virtutis supernaturalis cuique additæ ex suis meritis, aut dispositionibus, et ab hac limitantur verbum, et divinus amor, ne infinito modo operentur in potentiis creatis, sicut in Deo. Quemadmodum enim, si verbum seu amor creatus ponerentur in lapide, non causaren intellectionem, aut dilectionem aliquam ex defectu, et improportione ipsius lapidis: et si verbum, et amor divinus constituantur in potentia, non elevata per habitum, vel auxilium supernaturale nihil efficerent: sic proporcionabiliter si vniantur cum potentia elevata per quantitatem limitatæ virtutis ad eius actus concurrent iuxta illius mensuram. =

Adverte tamen circa modum loquendi, quod cum in intellectu habeamus nomina diversa, quibus vtimur ad significandam qualitatem, quæ est ratio intelligendi scilicet verbum, seu species expressa, et ad significandam actionem vitalem ab illa diversam, scilicet cognitio seu intellectio, possumus asserere sine formidine, quod verbum sit idem numero, et infinitum in Deo, et in beatis, dum tamen actiones videndi inæquales dicantur. At in voluntate ob inopiam vocum æquivocationem patitur, indifferenterque accipitur pro dilectione vitali, et pro impulsu ab illa distincto, ideoque non est absolute, concedendum amorem creaturæ ita infinitum, et perfectum sicut divinum, nisi cum debita explicatione, aut distinctione præmissa. =

Secundo observa, quod licet in Beatis, concedatur verbum, aut amor infinitus, non est admittendum, quod prout sunt in illis, sint ratio videndi, aut amandi infinita, quia hoc modo loquendi significatur etiam actio vitalis creata, et quod vniantur potentiis creatis infinito modo quod est falsum. = Neque obstat si dicas, verbum, seu amor, vt est in beatis, est infinitus, sed vt est infinitus est ratio volendi infinita; ergo prout est in illis est ratio volendi infinita. = Respondetur distinguendo minorem, vt est infinitus, est ratio volendi infinita, quantum est ex se vel ex parte sui, vel consideratus per habitudinem ad potentiam divinam ipsi propriam et connaturalem: et sic concedo. Est ratio volendi infinita per ordinem ad potentiam extraneam, et creatam, cui supernaturaliter advenit: et sic nego minorem. quia ex eius limitatione provenit, quod licet amor in se ipso sit ratio volendi infinita, non vniantur illi infinito modo, nec sit ei causa operationis infinitæ. =

Et si diligere possit voluntas absque productione amoris, non ~ absque obiecti apprehensione. ~

Sexto principaliter obiicies. Si Beatus absque productione amoris potest Deum diligere, per solam spiritus sancti vnionem cum ipso, poterit etiam absque apprehensione obiecti per claram visionem: hoc autem est falsum, et impossibile, ergo et illud ex quo sequitur. Probatur sequela: nam ideo requiritur obiecti apprehensio quia productio amoris pendet ab illa, a qua non pendet spiritus sancti vnio, qui potest pro libito suo vniri; sed posito actuali amore in voluntate, potentia non potest non actu amare: sicut nec posito verbo, non potest intellectus non intelligere: ergo amaret in tali casu absque apprehensione obiecti, quod est impossibile. =

Respondetur negando sequelam: quia non propter præcisam amoris productionem

nem, sed principalius propter ipsam obiecti dilectionem, aut volitionem exigitur illius appre Sensio, vt illud vulgatum docet axioma. Nihil volitum, quin precognitum. Et certe fere nullus negat, posse qualitatem amoris diuinitus in lapide poni absque obiecti appreSensione, et tamen quod actu amet, nec hunc, nec vnquam absque rei precognitione affirmabit nemo. Inde licet diuinus amor pro libito suo vniri possit, absque obiecti apprehensione, non sequeretur tunc actualis dilectio, sicut dixi de illius positione in lapide. =

Ex quo etiam patet solutio ad id, quod addito, scilicet implicat, amore posito, voluntatem actu non amare, sicut nec posito verbo, intellectum non intelligere. Nam hoc soluitur instantia lapidis. Sicut enim si ineo amor constitueretur, non amaret defectu requisitorum essentialium; et sicut amor supernaturalis, aut diuinus, si poneretur in voluntate non eleuata per charitatem, vel auxilium diuinum, non diligeret defectu virtutis supernaturalis, eam eleuantis, et proportionantis: sic defectu appreSensionis obiecti, que est etiam essentialiter requisita poterit actu non amare, et si actu ab amore informetur, nam vt dictum est, amor non est idem quod actualis dilectio. Idem de verbo dicendum, quod si constituatur in potentia improporcionata, aut incapaci defectu virtutis supernaturalis, erit absque actuali intellectione. =

Non scinditur specifica vnitas charitatis, per Sanc ~ vnionem amoris diuini. ~

Septimo principaliter obijcies; charitas vie, et Patrie, est eiusdem speciei, ita vt illi repugnet essentialis distinctio, secundum communem sententiam infra probandam, disputatione 36. sectione 3. et 4. Sed si amor diuinus esset beatis ratio volendi, differret plusquam genere, a charitate viatorum: ergo implicat quod amor diuinus sit beatis ratio diligendi. Probatur minor; quia ratio volendi finita, et infinita plusquam genere differunt. Declaratur quia in actibus intelligendi, et volendi naturalibus, quorum varietas specifica attenditur penes diuersas species verbi, et amoris: appreSensio verbi gratia equi, et leonis, specie differunt, quia species impresse, et expresse sunt essentialiter diuerse, etc. =

Respondeo negando minorem. Et ad primam illius probationem, dico quod si ratio volendi per modum amoris, seu impulsus comparetur ad habitum, vel potentiam, sic non variat illius speciem; quia sicut intellectus manet eadem potentia essentialiter vt si plures varientur species impresse et expresse circa illum; et similiter voluntas, quamtumuis eam multiplex amor informet: sic habitus infusus charitatis, qui datur per modum potentie supernaturalis, vt naturalem eleuet, et proporcionet, manebit eiusdem speciei, non obstante quauis diuersitate in ratione amoris: nam amor vt dixi non est adequata ratio volendi, sed etiam habitus, et actus secundus vnusquisque in suo genere. =

Si vero amor ad actum diligendi comparetur est maior difficultas propter secundam probationem positam. Respondeo tamen quod quando verbum vel amor concurrunt ad actus, vt propria virtus, vel causa adequate conuertibilis cum illis, sic verum est actus differre essentialiter iuxta varietatem verbi, seu amoris, quia inter se commensurantur ad inuicem, et per vnum notificatur alterum, quia tendunt ad idem obiectum adequatum. Secus vero quando concurrunt ad modum cause equiuoce, et imminentioris se attemperantis, et modificantis in ordine ad talem actum, potentis tamen per suam emminentiam, et vniuersalitatem alios efficere valde diuersos, et hec causa nunquam infert speciem actus, quin potius indifferentiam ad plures actus specie diuersos. Sic in An

gelis

gelis dantur species universaliores, et universaliores iuxta cuiuscumque perfectionem, quæ in simplici ratione sua, tantam emminentiam habent, vt efficaciam contineant, quamplures species inferiores essentialiter diversæ, et essentia divina vt emminentissima omnium, potest per se ad omnia eorum genera vt species concurrere. Sic ergo divinus amor, quia non concurrit secundum totam efficaciam suam infinitam ad actus nostros, sed iuxta capacitatem charitatis creatæ se acommodat, non variat illius speciem. ~

Hoc confirmatur ex communi doctrina de gratia, quam dicimus 1ª 2æ q 110 esse participationem formalem, et si inadequatam divinæ naturæ secundum gradum specificum, ipsi deo proprium; et ex consequenti lumen gloriæ charitatem, et eorum actus imitari eosdem, quibus deus se formaliter videt, et diligit, quoad specificum eorum modum attingendi deum tanquam obiectum, quamvis modo essendi diminuto, et limitato illum respiciant. Ex hac igitur infertur primo quod licet divinus amor in se sit entitative substantia, et infinita intensione, et extensione summum bonum attingens, quod non se communicet adequate dilectioni creatæ beati, sed iuxta mensuram, et modum quo natura divina, et eius attributa gratiæ communicantur, et suis virtutibus. Secundo quod hæc inadequata participatio naturæ, et visionis, ac charitatis divinæ, sit secundum quasi specificum ipsius dei, non infert distinctionem specificam amor divinus, cum vnitur, et communicatur charitati beati, sed potius eandem speciem, in qua inadequate conveniunt, et secundum quam inadequate se illi communicat. =

Tandem obiicies. Si amor divinus potest esse intrinsece amor noster, pariter sanctitas dei erit sanctitas nostra; hoc autem præterquam quod videtur absurdum, est contra Concil. Trid. sess. 6. de Iustificatione cap. 7. vbi ait nos iustos esse, non iustitia qua deus iustus est, sed qua nos iustos facit, sed idem inconveniens a fortiori obiici posset contra doctrinam S.ti Thomæ de visione beatorum quæ fit per vnionem essentiæ divinæ, et cum gratia sanctificans, et illius consummata perfectio principalius consistat in formali participatione intellectualitatis divinæ, (vt in materia de gratia, et visione docent omnes Thomistæ) eo ipso quod essentia divina vniatur ad hoc quod intellectus creatus tam clare videat, erit per se ipsam illius sanctitas consummata: nam gloria est consummatio gratiæ. =

Sed ad vtrumque casum respondeo. Concil. ibi loqui de gratia iustificante (et in hac vi [?] ta) quæ tamquam essentia et radix ac prima forma sanctificat, et hanc deffinit esse formam creatam nobis intrinsece inhærentem, non excludit autem Concil. quod ad ea quæ sanctitati connectuntur secundario vt proprietates, aut complementum possit deus per se ipsum interuenire. Visio autem et amor dei, non sunt primaria, sed secundaria sanctitatis forma. = Secundo addo. Concil. solum damnase ibi hæreticos asserentes nos tantum iustificari per sanctitatem dei nobis extrinsece imputatam, non qua reuera intrinsece iusti sumus, cui non contradicit, quod deus per id quod alias in se sanctus est nos iustificet, si id non fiat per imputationem extrinsecam sanctitatis, sed per vnionem, et communicationem sanctitatis suæ, qua vere et intrinsece nos iustos faciat, in quo sensu hic loquimur, et minime a Concilio reprehenditur. Nam verbum illud, non iustitia qua deus iustus est, declaratur satis per aliud: sed qua nos iustos facit quo euidenter excludit solum iustitiam dei extrinsecam, non si intrinsece nos afficiat. Sed cum admittamus sanctitatem primariam esse omnino creatam, et secundariam etiam, quoad habitus, et actus, penitus ruit vis huius argumenti. =

~ Sectio 4ª Conuenientia huius sectionis declaratur ~

Supposita iam possibilitate, non minus efficaciter deduci potest conuenientia huius vnionis spiritus sancti ex instantia adducta de vnione diuinę essentię cum intellectu creato ad claram dei visionem. si enim illa vnio fuit conueniens, et de facto datur, etiam vnio diuini amoris conueniens fuisse, et de facto dari credenda est. quia tam eleuata est illa vnio verbi diuini cum intellectu, tam supernaturalis, et diuina, omnia quę dona creata possibilia supperans; sicut vnio diuini amoris cum voluntate, vt ex dictis constat, ergo si beneficium illud iam de facto sine inconuenienti beatis concessum est, cur non et illud de summa dei liberalitate, et infinito amore conueniens fuisse non credemus. =

Non me latet plures instantiam negare, sed satis mihi est, ita probabilem meam assertionem efficere, sicut est illa de vnione diuinę essentię in ratione speciei expressę, quam sine dubio docuit Princeps theologorum, D. thomas, et maior, ac sanior pars discipulorum eius. 1ª p. q 12. =

Dices: si exercitium dilectionis finitum est, et limitatum iuxta capacitatem, et proportionem voluntatis creatę, et habitus charitatis eleuantis eam, certa quadam, et finita mensura iuxta intensionem suę virtutis, adquid fuit conueniens dari beatis spiritum sanctum loco amoris? quid interest quod ipse amor infinitus sit, si modo suo infinito non mouet? et si mouet modo finito ad illum satis est amor creatus, qui proprius, et connaturalis actus charitatis est; ergo eo ipso erit conuenientior ille, quam miraculosa illa spiritus sancti vnio, quę etiam ipsius charitatis donum, et modum excedit. est enim inconueniens, rem ita miraculosam absque necessitate inducere. =

Respondetur nihilominus, ex multiplici capite huius conuenientiam deduci. Primo. quia valde probabile est, impossibilem esse amorem creatum quo deus diligatur ea mensura, et proportione qua clare videtur in Patria: quia licet simpliciter finita sit, est ita immensa, et saltem secundum quid infinita, vt a nulla re creata adequari, vt sequenti sectione ostendam. ~

Secundo: licet esset possibilis amor creatus, quo Deus clare visus diligi possit, non qui ita connaturaliter, et proporcionate ad visionem quam per se comitatur, comparetur, nec ita vt sequentur omnes leges et conditiones amoris beatifici; vt in sequentibus notum fiet. = -

Tertio: quia habuit deus prudentissima motiua ad preueniendum amorem supernaturalem creatum, et vices illius gerendum immediate per se ipsum. Primum est manifestatio summi erga nos amoris, et bonitatis suę, quę vt infinite difussiua voluit se communicare omni modo possibili: sed ad amoris ostensionem nullum tam aptum medium, quam vnire se, non tantum per affectum, sed etiam vero, et reali nexu. Hunc enim petit, et intendit amor in quantum est possibile, vt docet s. Th. 1ª 2ª. q 28. art. 1º. vbi etiam definitionem S. August. 8º de Trinitate cap. 10. Amor est quasi iunctura quędam duo aliqua copulans, vel copulare appetens. Cuius et rationem reddit ante, et post: quia amor quiescere non potest, nisi perfecte habeat, et posideat rem amatam. Patetque generali inductione in omni amore naturali, qui non solum affectus, sed etiam per sonas vnit omni modo, quo potest. ergo si talis vnio realis ipsius amoris diuini de facto est possibilis, conueniens valde fuit ad infinitatis illius ostensionem, quod se vniret rei amatę omnino possibili: et secundum affectum, et secundum rem. =

Confirmatur; quia hęc vnica et sola ratio asignatur ab scriptura sacra et Patribus ad persuadenda mirabilia, et stupenda beneficia quę hominibus liberalissimus deus contulit: quę reuera simpliciter necesaria non fuerunt ad redemptionem generis humani, et

et ad omnem gratiam, et gloriam et conferendam, et nihilominus ad ostensionem immensi amoris sui ea convenientia iudicauit. Potuit v.g.a divina maiestas nostrę carnis vilitatem non sumere, vel illa asumpta, quiescere hoc amoris excessu, et mortem tam acerbam, et ignominiosam pro hominibus tampessimis, et ingratis non subire, sed alijs innumeris modis nostrum lapsum reparare. Potuit etiam non iterum resurgendo humanitatem reasumere, et quinque vulnerum eius cicatrices per totam ęternitatem non conseruare. Sufficerent item tam immensi amoris demonstrationes, sed ad hec alias et alias inexcogitabiles multiplicauit; se ipsum nobis in cibum dedit et potum sacerdotibus sacrificandum reproducendum iterum atque iterum, et fidelibus pro suo beneplacito distribuendum. Horum enim et similium pręcipua convenientię ratio, non alia necessitas fuit, quam stupendi amoris sui demonstratio; ergo eadem convenientię ratio in presenti est satis vrgens, et sufficiens. =

Decuit ad proportionatum decorem sponsę, et filię Dei.

Secundum motiuum, et quarta convenientię ratio est velle Deum animam decorare, et ita pulchram reddere, vt ad thalamum sponsę, filię, et amicę Dei digne et congrue possit elevari, et imago Dei in ea relucens in quantum erat possibile, penitus perficeretur, vt figuratum fuit Esther 2.o in vxoribus Asueri Regis, qui per annum integrum preparabantur, vt pulchriores, et ornatiores ad Regis cubiculum ingredi possent: sed ad thalamum divinum nulla pulchritudo creata est satis digna, et proporcionata cum omnis creatura infinite distet a Maiestate divina; omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum, et innane reputatę sunt ei. Isai. 4. Conveniens ergo fuit Deum sua met pulchritudine, seu vestitu deaurato divinitatis Reginam sponsam suam a dextris suis assistentem induere. Vt psal. 44. dicitur. = Confirmatur. Quia propter hoc infunditur nobis gratia supernaturalis, vt hominem obiectum congruum reddat supernaturalis dilectionis; ergo vt reddatur obiectum congruum amoris infiniti quo Deus dicitur semper nos diligere, bonitas aliquomodo infinita debet illi infundi, qualis scilicet communicatur per hanc vnionem. =

Ad cuius pleniorem notitiam aduerte, quod substantia rationalis nulla alia pulchritudine condecoratur, quam lucis splendoribus in eius intellectu fulgentibus, et spiritualis ignis ardoribus in eius voluntate, quo sicut sol lucens, et ardens apparet, et in hoc Dei imago potissimum in ea consistit, et participatio formalis naturę, et perfectionum divinarum, quas imitatur mediante gratia. Ad hoc duplex munus illi omnia conferuntur dona, et intellectus, ac voluntatis virtutes: neque est alterius pulchritudinis capax. Discernitur autem hec pulchritudo spiritualis a corporea, quod hec solum in externa corporis superficie aut figura versatur. Illa vero intime in totam substantiam illabitur, in eiusque profundum, (vt nostro modo quantitatiuo loquar) iuxta illud psal. 44. Omnis gloria eius filię Regis ab intus. Ratione huius tota illa est, et dicitur intellectus lucens, et tota illa est voluntas ardens. Ideoque sępissime in sacris litteris iusti soli ęquiparantur, lunę et stellis. Math. 13. Fulgebunt iusti sicut sol. Dan. 12. Fulgebunt quasi splendor firmamenti, et quasi stellę in perpetuas ęternitates. Ioan. 5. de Baptista dicitur, erat lucerna lucens et ardens. Et de sponsa in Can. 6. Pulchra vt luna, electa vt sol. =

Ex his patet iam, quomodo possit Deus eandem pulchritudinem suam increatam, amicę accommodare, suamque in ea imaginem ineffabiliter perficere: hac videlicet mirabili vnio

ne

unione qua intellectum beati suamet claritate perfundit, in eiusque voluntatem ignem sui amoris infundit. Quam rationem ponderant, ac maxime extollunt S. Bernard. Rusbrochius. Venerabilis Pater Frater Ioannes a Cruce et alij infra citandi. Dicuntur enim sancti lunę pulchritudinem aut stellarum participare, quantum ad lumen glorię, et cętera dona creata, quia lucem tantum a sole iustitię derivatam continent. Dicuntur item fulgere sicut sol, quatenus ipsum solis ęterni splendorem sibi unitum accipiunt, et induunt, eoque mirabiliter prefulgent. =

Sic, et non aliter saluatur perfecta reciprocatio ad amicitiam requisita.

Colligitur hinc alia quinta convenientię ratio; nimirum congruentissimum fuisse quod amor divinus, cuius magnitudo, et infinitas ita commendatur in sacris litteris, in nullo excederetur ab amore creaturę, sed amor creaturę beatę ad Deum est ita necessarius quoad exercitium, ut ab eo non possit cessare, vel abstineri: ergo ad perfectam retributionem ex parte Dei, conveniens fuit ut creaturam eadem necessitate diligeret, ita ut ab eius dilectione minime se continere valeat: sed hoc fit, eo ipso quod Deus suam pulchritudinem realiter creaturę uniat, eamque superinduat modo dicto: ergo conveniens fuit talis unio. Minor hęc ultima probatur: quia cum Deus suam pulchritudinem necessario diligat, in quocumque supposito eam inveniat, necessario diliget: ergo ex suppositione qua voluit eam creaturę gratis communicare, eam tali pulchritudine iam indutam, non poterit non amare, quamvis radix, et fundamentum talis necessitatis gratis communicatum fuerit: nam sic etiam ex parte creaturę ad necessitatem amoris beatifici, precessit dispositio libertatis suę. =

E contra etiam ex parte beati, non esset perfecta reciprocatio respectu amoris quo a Deo diligitur, si illum non redamaret infinito modo, maxime cum hoc sit possibile per hanc unionem divini amoris: conveniens ergo fuit ad hunc finem. Quę ratio postea amplius dilucidabitur. =

Denique confirmatur hęc doctrina ex quibusdam verbis Plinij Iunioris: felicitas est, quantum velis posse, et magnitudo quantum possis velle: ergo convenientissimum fuit magnitudini, et magnificentię divinę bonitatis, velle se communicare quantum potuit, videlicet per exhibitionem sui ipsius. Qui modus in maiorem Dei cedit gloriam, et honorem, et in utilitatem, et pulchritudinem creaturę rationalis, quam infinite diligit: alioquin eius amor infinitus non esset (ut extollunt sancti Patres) si quantum posset non vellet, presertim ex his quę ad decorem pertinent reidilectę, et sponsę, in qua infinite complacere vult, et cuius bonitas, et pulchritudo in sponsi honorem cedit. =

Posset aliquis respondere. Dei amorem dici infinitum, non per habitudinem precisam ad bonitatem creaturę, sed per ordinem ad divinam bonitatem, a qua sicut speciem sumit talis actus; ita et infinitatem, quod insuper multis Patrum testimonijs potest roborari, asserentibus Deum sua tantum motum bonitate nos diligere, omniaque propter ipsum operari, et velle. =

Sed hęc evasio non enervat rationem positam: nam si Dei amor erga nos tantum diceretur infinitus propter identitatem cum amore infinito ad obiectum primarium, sequeretur eodem modo nos diligi, ac bruta, et inanimata; quinimo eandem infinitatem haberet odium Dei erga reprobos. Hoc autem est contra communem sanctorum Patrum, et sacrę scripturę sensum extollentes hunc amoris erga nos excessum, immensasque gratiarum actiones propter illum exigentes, et quod nulla creatura, neque omnium universitas, possit hoc debitum persolvere, semper

semper prædicantes: ergo præter infinitatem quam habet amor diuinus in ordine ad suam bonitatem etiam illi competit infinitas per habitudinem ad bonitatem creaturæ, et quia bonitas propria proporcionata huic amori non erat, suam increatam Deus illi communicauit. =

Præterea urgeo, quia Deus nos diligit, non solum ex quauis beneuolentia, sed ex vera amicitia, ut probatum est: sed de ratione amicitiæ, est quod diligatur amicus propter se, et ex complacentia suæ bonitatis, ut docent Arist. 8 Ethic. cap. 2. et S. Thomas q. 23. art. 2. et alibi sæpe; ergo si amor Dei est amicitiæ infinitæ, infinitam in nobis bonitatem respicere debet, in qua proporcionate sibi complaceat: ergo cum creatura eam esse habere non possit, diuinitus illi modo dicto communicatur. =

Sectio 9. Repugnat amor creatus, qui sit ratio proporcionatæ dilectionis in Patria.

Ultima conuenientiæ ratio sumi potest ex repugnantia amoris creati ad diligendum Deum ita intense, et proporcionate, sicut per visionem proponitur. Probatur primo a simili de ipsa visione beata, quæ licet simpliciter finita sit, non potest oriri ab specie creata, tam impressa quam expressa, sed est necessaria unio diuinæ essentiæ in ratione speciei; quia non omne finitum a creatura attingi potest (maxime si sit saltem secundum infinitum, ut de his actibus statim dicam) ergo idem erit de dilectione, quæ illi naturaliter correspondet. =

Sed quia potest discrimen inter visionem et amorem constitui, et reuera non omnes rationes, quæ speciei impossibilitatem ostendunt, possunt accommodari ad amorem: sunt tamen aliquæ, quæ æqualiter utriusque implicationem conuincunt. Prima est, quam tertio loco adducit S. Thomas, 1a p. q. 12. art. 2. nimirum quod essentia diuina propter suam infinitatem est aliquid incircumscriptum continens eminenter quidquid potest significari, aut intelligi: hoc autem adæquate exprimere nullum verbum valet, aut species creata, cum sit finita: ergo est necessaria ad id essentia diuina. Eadem ergo applicari potest ad amorem creatum, scilicet non posse in infinitam illam summi boni rationem ita distincte, et intense ferri, sicut illi per visionem claram proponitur. Quod amplius sic declaro. Quia quanto magis proponitur voluntati de bonitate, et æstimabilitate obiecti, tanto maiori conatu, et intensione feruescit in eius dilectionem, quia appetibilior, et complacibilior illi representatur: ergo si representatio tanti boni est impossibilis omni speciei creatæ, etiam et dilectio illi proporcionata, et commensurata in appretiatione, et intensione dicta. =

Dices. Sicut est possibilis potentia, et habitus luminis seu charitatis, quæ Deum clare visum, et summe dilectum respiciant, quare non verbum et amor? Respondeo, discrimen esse, quod verbum et amor sunt omnino determinate, et distincte attingentes obiectum infinitum formaliter ut infinitum, et idcirco non possunt in se ipsis infinitæ non esse. At potentiæ, et habitus respiciunt illud modo potentiali, et confuso, qui non excedit rationem creaturæ: sicut hac ratione confusa Dei infinitas per fidem attingitur, imo et per cognitionem naturalem. Propter hoc enim ipsæ potentiæ, et habitus, verbo, et amore indigent ad attingendum obiectum quia esse rationes quædam confusæ sunt, ac indifferentes, atque adeo quid mixtum, quod creaturæ sint.

Sed urges. Visio et dilectio actualis, sunt ita distinctæ, et determinate attingentes obiectum

obiectum infinitum, et divinum sicut verbum, et amor, et tamen Creatę sunt: ergo verbum pariter, et amor. Præterea sicut visio et dilectio, et si explicite Deum infinitum respiciant, dicuntur eum attingere finito modo, et ob id creatas esse, quare non ita philosophabimur in verbo, et amore.

Vissio, et dilectio Dei intrinsecam et formalem infinitatem participant.

Respondeo, supponendo visionem, et dilectionem, quoad suas rationes intrinsecas et substantiales, esse formaliter infinitas (etsi multi tantum infinitatem extrinsecam, et obiectivam illam dicant) et solum quoad modum intensionis, in quo amplius, et amplius crescere possunt finitas esse. Ideoque dicuntur Deum respicere modo simpliciter finito, et infinito secundum quid: quia in sua totali ratione infinitatem non habent, cum in modo attingendi intensionis videlicet (quę proprie modus dicitur respectu substantię actus) limitationem admittant: et consequenter in substantia actus absolute loquendo: Nam ut gauderet infinitate simpliciter oportebat radicaliter esse infinitę intensionis capacitatemque habere ad recipiendam illam, quod de nulla re creata affirmari potest.

Quod autem hęc infinitas secundum quid, formalis tamen, et intrinseca in actibus visionis et amoris necessario constitui debeat, colligitur primo ex dicta ratione S. Thomę, quod bonitas Dei clare visa propter suam infinitatem est incircumscriptibilis ab omni verbo, aut specie creata, ideoque ad id exigitur unio essentię Divinę, ergo actio videndi eam clare, et distincte attingens, et consequenter dilectio illi commensurata, et proporcionate correspondens, eam respiciunt prout infinitam.

Secundo id probatur: quia visio beata, et dilectio Dei sunt participationes formales supernaturales visionis, et dilectionis, quibus Deus se ipsum intuetur, et diligit: admodum quo gratia dicitur participatio formalis Divinę naturę, scilicet secundum gradum diferentialem Deo proprium, inadequate tamen participatum: sed visio, et dilectio in Deo ex intrinsecis rationibus suis hanc formalem infinitatem dicunt: ergo illam participant actus nostri beatifici in eo gradu qui est possibilis creaturę, inadequato scilicet, qualis est infinitas secundum quid.

Quod ultimum notanter addo: nam sicut de gratia docent theologi, participare gradum differentialem, et quasi specificum Dei, inadequate tantum: quia non attingit ad gradum substantię supernaturalis, et entis ase, sed sub alio modo essendi diminuto, et accidentali tantum participat hoc, quod est esse radicem, habituum, et actuum, quibus Deus clare videtur, et amatur: sic eadem ratione, et proportione, actus visionis, et dilectionis beati debent formaliter, et intrinsece participare inadequate saltem infinitatem, quę est de intrinseco conceptu visionis, et dilectionis increatę, hoc est, non infinitatem simpliciter, seu adequatam, quę est propria solius Dei, sed tantum infinitatem secundum quid explicatam.

Declaratur item apriori hęc infinitas; nam istę actiones videndi, et amandi tam Divinę, quam creatę specificantur a Deo, quatenus obiectum infinitum est formalissime: ergo sunt infinitę etiam quoad respectum intrinsecum ad tale obiectum. Antecedens probo: quia Deus per visionem beatam attingitur clare, et quidditative prout est ens ase, ęternus, immensus, infinitus, et omne finitum, infinite supperans; nec posset videri totus Deus prout est inse, et quidditative, nisi videretur clare eius infinitas. (propter quod S. Thomas docet repugnare speciem

Creatam

creatam aqua circumscribi possit) ergo attingitur tale obiectum ut infinitum: ac proinde respectus intrinsecus ad illud in actu, non potest infinitus non esse, idemque est de actu dilectionis: nam per illam attingitur Deus ut summum bonum infinite satians, summeque appretiabile, et appretiatum ea proportione, qua clare, et distincte eius bonitas, et estimabilitas videtur: ergo etiam eius formalis infinitas actui communicatur, et si non infinito modo intensionis, ut dixi. =

Confirmatur: quia supernaturalitas horum actuum in hoc consistit, quod obiectum diuinum modo connaturali, et proporcionato respiciunt, (ut precedenti disputat.^e sect. 1.^a et 3.^a demonstraui) sed respectu obiecti infiniti et diuini nullus modus magis improportionatus, quam ille qui vndequaque est finitus: ergo ad saluandum hunc proporcionatum modum, ad supernaturalitatem requisitum aliquam infinitatem saltem inadequatam ut explicui in actu creato ponere necesum est. que licet comparatione ad obiectum infinitum simpliciter etiam non sit adequate proporcionata; quia repugnat creature adequata Dei imitatio; satis est ad supernaturalitatem quod sit proportio inadequata dum tamen modum Dei proprium, et quasi specificum formaliter participet. quod vltimum est valde aduertendum: nam posset obijci substantiam naturalem creatam maxime rationalem, aut angelicam ad imaginem Dei factam formaliter inadequate participare naturam diuinam, eiusque sapientiam, et amorem, et non propter hoc supernaturalitate gaudere. = Sed ad hec, et similia respondetur esse participationes formales illius, quod ex se abstrahit ab ente creato, et increato, ab esse naturali et supernaturali, et id circo supernaturalitatem non participant, dum simul cum gradu generico non participatur aliquomodo gradus differentialis Dei proprius, ex quo tamquam ex prima radice omnis supernaturalitas deriuatur, ut tom. 1. disputat.^e 3. explicui. =

Ad aliud quod obijciebatur supra; quare repugnet hec infinitas, verbo, et amori creato, et non actionibus videndi, et amandi.? Respondeo quod infinitas modalis non repugnat creature si sit modus rei infinite, qualis est Deus: nam modus ita debilis est in sua entitate ut a re modificata illam accipiat, et ratione illius ei conueniat illa perfectio et infinitas, quam habet. Vnde nec mente omnino prescindibilis est a subiecto cuius est modus; et eo modo quo precisius ab eo consideratur est ignobilior entitatiue quauis alia re, qua propter quia visio aut dilectio precisse considerata est tantum modus, seu exercitium potentie, prout actuate per verbum, seu amorem diuinum, ac proinde modus rei infinite, potest hanc infinitatem aliquomodo participare in suo esse modali, ratione deitatis ad quam comparatur aliquomodo, ut exercitium, et si eam non intrinsece modificet, sed potentiam per ipsam essentiam diuinam eleuatam. At si verbum, vel amor creatus infinitus poneretur haberent in se ipsis absolute, et ratione sui hanc infinitatem, quod creature repugnat, quia est infinitas maioris momenti; quam modalis. =

Exemplum manifestum habemus in vnione hypostatica, que in valde probabili, et communi sententia est modus substantialis creatus, et nihilominus infinitus in suo genere, eo quod extremum infinitum humanitati christi copulet: et tamen est certum, substantiam aut accidens infinitum propriam et rigorose distinctam entitatem participans repugnare. Eadem ratione docent communiter omnes impossibilem esse supernaturalitatem substantie creatae, et non accidentis: quia qua ratione substantia est ens per se, et nobilissimum, postulat supernaturalitatem nobilissimam, que repugnat creature. Accidens vero cum sit esse valde imperfectum et entis ens, tantum petit supernaturalitatem tali esse proporcionatam que satis imperfecta est, ut

pote

pote modificata per talem modum essendi diminutum. Propter quod ipsa Natura Divina est participabilis a gratia sub tali esse diminuto minime autem ab aliqua substantia. Eadem ergo ratione proporcionabiliter dico, quod modus est tam debilis, et diminutae realitatis, ut illi non repugnet infinitas in suo genere, quia tantum erit modalis infinitas. =

Adverto tamen, ad Suius maiorem claritatem, quod licet visio, aut dilectio, tantum ad potentiam comparetur ut exercitium illius, eo quod in sola potentia ut in subiecto immediato radicantur, non est sola potentia quae hanc actionem elicit, sed prout elevata per habitum luminis, aut charitatis, et per verbum seu amorem quibus ultimo perficitur, et actuatur, ut suum obiectum actu respiciat. Et inde fit quod illae actiones triplicem hanc participent sui principii rationem, vitalitatem scilicet a potentia; supernaturalitatem ab habitu infuso: et infinitatem a deitate, prout gerit vicem verbi, et amoris, et est ultimum complementum virtutis respectivae potentiae, ut iam in superioribus dictum est. =

Obiicies adhuc. Dictum est non semel verbum et amorem divinum, licet ipse ipsis sint rationes videndi, et diligendi infinitae, limitari iuxta quantitatem luminis, et charitatis, et inde sumi inequalitatem visionis, et dilectionis in beatis: sed quantitas habitus luminis, aut charitatis, non est intrinsece infinita, sed extrinsece tantum ex parte obiecti: ergo etiam nec visio, aut dilectio, quae illis commensurantur, ac proinde dari possunt verbum, et amor creatus illis proporcionati. =

Respondetur. quod quando asserimus, tantum crescere, aut minui quantitatem visionis, aut dilectionis, quantum crescit lumen, aut charitas, particulae tantum, quantum, solam proportionem geometricam designant, non arithmeticam. Sicut cum dicimus: numerus vigessimus superat decimum tantum, quantum decimus quintum excedit, non recte argueret quis: vigessimum superat decimum in decem unitatibus: ergo decimus, quintum excedit in aliis decem. Quia proportio illa tantum consistit in hoc quod sicut numerus 20. excedit decem immediate, sic decimus, quintum immediate superat. =

Et etiam aliud insigne exemplum, quod adduci solet. 3a p. te q. 1. de incarnatione: quod offensa tantum crescit, quantum dignitas personae offensae, et quod actio tanto dignior est, quanto excellentius illius obiectum: et nihilominus non propter hoc volumus admittere, quod peccatum sit ita simpliciter infinitum in suo genere mali, sicut Deus offensus, est simpliciter infinitus in ratione boni. Nec actibus fidei, aut charitatis in via, imo nec in patria tandem infinitatem concedet aliquis, quam ipse habet eorum obiectum: quia illa comparatio est tantum geometrice proportionalis: sic igitur in nostro casu contingit. Nec in causis aequivocis potest fieri comparatio in gradibus intensionis inter potentiam seu habitum, et eorum actus, quia sunt res valde diversae rationis, et sub eodem gradu virtutis potentiae aut habitus possunt cadere plures actus inaequales in intensione, ut infra dicam loquendo de charitatis augmento. =

Obiicies tandem. Charitas viae et patriae est eiusdem speciei, tam quoad habitus, quam quoad actus, ut infra suo loco demonstrabo: ergo tandem infinitatem, vel finitatem utérque actus participare debet. Alioquin si alter intrinsece infinitus, et alter intrinsece finitus esset, plus quam genere differrent. Tunc sic, sed dilectio in via non indiget amore increato: ergo nec in patria, sufficiet igitur utrobique amor seu impulsus creatus. =

Respondetur admittendo amorem etiam in via esse intrinsece, et essentialiter infinitum, quia ex se est summe appretiativus Divinae bonitatis, summa autem appretiatio si vera

est

est infinitatem includit, quia summum bonum caeteris possibilibus infinite, et sine termino, et etiam sibi ipsi cum omnibus suis anteponit. Estimat item et appretiat summe quod Deus sit nobis Amicus, Pater, et sponsus, quae infinite appetibilia, et estimabilia sunt. Caeterum quia haec summa appretiatio in via est valde confusa, indistincta et imperfecta, propter obscuritatem, qua illi obiectum per fidem proponitur, id circo qualitas creata satis est ad illam: sicut dixi de habitu, quod quia modo indistincto, et potentiali concurrit, potest esse creatus; et fides similiter; quia respicit obiectum obscurum, et per alienas creaturarum species.=

Est tamen discrimen valde notandum, quod habitus luminis, aut charitatis etiam respectu actus beatifici semper retinent in seipsis modum illum potentialem, et indistinctum et ideo non solum creati, sed omnino finiti dicuntur, solumque obiectiue et extrinsece illis competit infinitas. Fides pariter, quamtumuis in intensione, ac perfectione crescat; quia numquam potest obiectum distincte prout est ipse attingere, manente eius substantia. At imperfectio amoris huius vie tollitur per hoc quod illi obiectum clare, et prout est ipse ei proponatur. Tunc enim manente eius substantia, addito tantum, maiori conatu, et intensione perficitur amplius, et declaratur illa summa appretiatio, et estimabilitas a qua actus specificatur.=

Itaque imperfectio amoris vie, non proueniebat ex substantia, seu essentia actus, sed ex deffectu apprehensionis, seu approximationis obiecti (quae est conditio sine qua non) et inde limitabatur actus, ut non ita distincte, et intense summam Dei bonitatem appretiaret. Per hoc ergo quod ex parte intellectus obiectum illi cum tota sua amplitudine, et extensione infinita applicetur, crescit cum proportione vehementia, et connatus vitalis potentie.=

Unde infero, quod si esset possibilis intensio infinita; sicut in actu visionis arguerent comprehensionem, absque variatione essentiali actus (ut ex materia de visione suppono) ita in dilectione exauriret, et expleret penitus summam sui obiecti appretiationem, et estimabilitatem absque varietate essentie, et rationis formalis specificantis: quia eandem bonitatem eodem modo essentiali respiceret, ita ut nec de potentia Dei absoluta altior modus appretiandi obiectum sit possibilis, siquidem est formalis imitatio eiusdem quo Deus se diligit. Et tandem quia preter unionem hypostaticam, non potuit diuina bonitas ineffabilius se communicare creature, quam ut Amicus Pater, et sponsus eam eleuans ad statum deificum, quibus titulis summa appretiatio possibilis est debita a creatura, imo tanta est, tamque supernaturalis, quod perfecte in hac intelligi, et prestari nequeat.=

Sectio 6. Petit naturaliter hanc unionem spiritus sancti Amor beatificus.

Sed demus possibilem amorem creatum, quo Deus clare visus in Patria diligi posset ad hoc sunt rationes non leues conuincentes amorem diuinum esse connaturaliter debitum dilectioni beate. Prima est ex proportione quam semper requirunt S. Thomas 1a p. q. 19. art. 1. et alibi, omnesque Philosophi, ac Theologi, inter intelligere et velle, tam per modum actus, quam per modum potentie, et hoc propter naturalem, et essentialem connexionem, quam inter se habent: quoniam una pendet ab altera, et itaque oritur ex eadem radice, et ordinatur ad unum finem. Hinc ergo infferunt semper unum alteri proportionari debere, quod ad notitiam corpoream sensitiuam

consequatur

Consequatur appetitus sensitiuus: et ad Cognitionem spiritualem naturalem appetitus, seu volun=tas spiritualis naturalis: et ad intelligere supernaturale fidei, amor supernaturalis spei, et charitatis. Colligunt item quod ex notitia sensitiua non poterit immediate moueri voluntas rationalis neque ex cognitione naturali poterit oriri supernaturalis amor, aut econtra propter improportio=nem, et distantiam: ergo ex eadem doctrina sequitur, quod si visio beata oritur non tantum ex potentia eleuata per lumen Creatum, sed etiam per ipsum verbum diuinum, quod est illi ratio videndi modo dicto; ita etiam dilectio fiat non solum a potentia eleuata per charitatem, sed ab vnione amoris diuini, qui sit ei ratio volendi. Patet Consequentia: quia aliter non seruaretur tanta proportio inter visionem, et dilectionem beatam, sicut in ceteris casibus dictis. Imo si ratio videndi esset Deus, et ratio amandi esset Creatura, maior improportio, et distantia esset, quam si vna esset Corporea, et altera spiritualis. ═

Secundo probatur magis in particulari hec propositio: nam visio beata, vt dictum est, proponit bonitatem Dei, vt infinitam, infiniteque amabilem: ergo amor qui ad eam naturaliter sequitur, petit saltem Connaturaliter respicere illam bonitatem non tantum infinita appretiatione, verum et proporcionata intensione, vt scilicet tanto plus diligat, quanto clarius videt rationem diligendi: ergo Cum non sufficiat amor creatus, ad diligendum ea mensura, et modo quo visio proponit per verbum diuinum, vt iam ex dictis Constat, necessarius est ipse diuinus amor qui verbo diuino Correspondeat. ~

Confirmatur; quia in hoc principio nituntur fere omnes theologi, ad probandum esse amorem naturalem Dei super omnia, vel penitentie aut Religionis etc. semper recurrunt ad dictamen rationis et si est cognitio que naturaliter dictet, Deum esse super omnia amabilem, vel illi summam reuerentiam deberi, aut peccatum esse offensam Contra illum, statim inferunt volun=tatem posse naturaliter amplecti huiusmodi obiecta: quia omne quod potest proponi ab intellec=tu, potest, et debet amari a voluntate illi naturaliter subordinata: ergo si per visionem beatam proponitur bonitas Dei, vt infinite amabilis, satis Consentaneum, et iuxta Connaturalem rerum ordinem erit quod illi Correspondeat amor eiusdem ordinis infinite appretians illam modo dicto. ═

Respondebis, quod licet proponatur per visionem infinita Dei bonitas, sed non infinito modo, alioquin Comprehenderetur. fides etiam dictat Deum esse infinite diligibilem, et non propter hoc illi Correspondet infinita dilectio: ergo ratio adducta est valde infirma. = Sed iam dixi precedenti sectione, saltem secundum quid esse infinitum modum, quo Deus videtur, et diligitur in Patria, et quod non obstante finitate simpliciter visionis beate, non est satis ad illam verbum Creatum, sed requiritur diuinum: ergo eodem modo Cum proportione de dilectione eam Comitante dicendum est. Preterea, et si amor Creatus esset possibilis, qui proportionem diceret Cum modo finito dilectionis, et visionis beate saltem deficeret proportio Connaturalis, et immedia=ta quam semper cernimus in amore Cum verbo; nam si in via S. Thome verbum Concurrens ad visio=nem beatam est diuinum, etiam et amor illi Correspondens. = Instantia de fide potius Confirmat nostram doctrinam: nam sicut fides obscure, et imperfecte per alienas species proponit hanc Dei infinitatem vt absentem, ideoque talis modus est omnino finitus, et tantum intrinsece denominatur ab obiecto infinito: sic ex parte voluntatis illi Correspondet similis actus: desiderium videlicet di=ligendi, et posidendi Deum infinito modo, quod tantum extrinsece infinitum denominatur ab ob=iecto quod desideratur, et tantum vt absens omnino imperfecte respicitur. ═

Ergo

Ex quo tertiam aliam rationem deduco pro mea assertione: nimirum, quod in beatitudine omne desiderium est implendum, saltem quod est ex charitate profectum: sed desiderium huius vitę praesertim est fames insaciabilis amandi Deum tantum, quantum debet amari, et eius bonitas et pulchritudo postulat; ac per consequens infinito modo; ergo saltem in Patria hoc desiderium in eis implebitur per unionem amoris divini. Hanc rationem tangit S. Thomas, postea citandus. S. Bernardus, et insignis theologus misticus venerabilis Pater Ioannes a Cruce cum aliis. Minor satis nota est viris perfectis, qui tamen ita insaciabilem diligendi Deum experiuntur, ut nullo amore creato ei satisfieri possit: ergo si amor hic est possibilis, et maxime consentaneus divinę bonitati, quę illo modo diligi postulat, non est credibile quod in patria in qua omnia perficiuntur, negetur, ut impleatur hoc desiderium in eo quod est possibile quantum ad amorem videlicet infinitum, et si dilectio vitalis creaturę simpliciter infinita esse non possit ut dictum est. =

Perfecta amicitia status beatifici, petit naturaliter hunc amorem.

Quarta ratio principalis est, quia amor beatificus est perfectissimę amicitię, et maximę spiritualis, de cuius ratione sunt duo, et quod sit perfecte reciprocus, ita ut unus alteri equalem vicem rependat in amore; et quod sit perfecte mutuus, et transformativus amantis in rem amatam: sed hęc duo minime prestari possunt per amorem creatum: requiritur ergo amor divinus seu Spiritus sanctus. Hanc rationem tangit S. Thomas. Opusc. de beatitudine cap. 2. et cum eo alii presertim venerabilis Pater Ioannes a Cruce. Minor quoad primam partem probatur, quia nullus amor creatus, imo nec collectio omnium amorum possibilium, potest equalem vicem amori divino rependere: requiritur ergo Spiritus sanctus, qui suppleat quantum ad hoc creaturę defectum; sicut et ipsum verbum divinum quantum ad rationem videndi vices verbi creati substituit. =

Secunda item pars probatur: quia talis unio, et transformatio in Deum in hoc consistit, quod anima habeat idem velle, et nolle cum Deo; hoc est quod Deum diligat, non tantum absque ulla propria commoditate, sed tantum quantum Deus se, et alia diligit, et similiter quod in eadem mensura odio habeat peccatum contra Deum: sed nullus amor qui non sit infinitus id prestare valet, et propter hoc omnis transformatio, et amicitia huius vitę est valde diminuta et imperfecta respectu illius quę datur in Patria: ergo. =

Aliquibus videbitur nimis rigorosa hęc transformationis consideratio: quia satis videtur ad illam, quod quis abnegans omnem amorem proprium, induatur amore Dei, volendo quidquid Deus vult, licet non eo modo quo vult, sed quidquid sit de transformatione partiali et imperfecta, revera non potest integra transformatio intelligi, nec unitas spiritus simpliciter per hoc, quod obiecta materialia volita sint eadem, sed per hoc quod affectus circa illa sint idem, quod stare non potest cum inęqualitate infinita in ipsis actibus amoris utriusque. =

Pręterea, cum transformatio sit transitus a forma unius, ad formam alterius, non sufficit ut creatura per amorem transformetur in Deum, induere amorem, qui est ad Deum, tamquam ad obiectum, sed amorem qui est in Deo aliquo modo, et respiciat ut forma ipsum Deum quasi subiectum. qui amor licet per immediatam consequentiam non colligatur debere esse eundem nume

ro

ro, qui est in Deo, sed tantum ~~inadequatam~~ similitudinem et Conformitate, tamen, quia ad hanc adequatam similitudinem non potest accedere amor aliquis Creatus, colligitur tandem, requiri ipsum amorem divinum; ac proinde supposita eius possibilitate, et Convenientia, ipsum de facto ad hunc finem Communicari. =

Neque obstat, quod tam perfecta reciprocatio non inveniatur in actibus dilectionis. Nam satis est ad essentialem definitionem amicitię, quod inveniatur in amore. Definitur enim quod sit amor mutuus, vel voluntas reciproca, quę voces non significant in rigore dilectionem, licet inferant eam amori Commensuratam, quando implicatio non obstat. Similiter unitas spiritus directe significata per transformationem, et transitus formę unius in formam alterius non significant directe actionem quę est exercitium spiritus, sed formam seu voluntatem actuatam per amorem. Ideo enim spiritus sanctus dicitur procedere ut spiritus, quia procedit ut amor, et productio amoris dicitur spiratio, distinguiturque a dilectione: spiratio autem ad spiritum terminatur, seu ad amorem, dilectio vero ad obiectum amatum. =

Obijcies iterum: etiam ordo naturalis petit quod amor procedat a principio intrinseco, in quo distinguitur a verbo, quod magis petit oriri ab obiecto: ergo unio amoris divini non est Connaturaliter petita, ut probatum est, sed potius Contra Consuetum naturę ordinem. = Respondeo 1º. quod quando ordo supernaturalis, et naturalis in omnibus Convenire nequeunt, naturalis tamquam inferior cedit iuri suo, et supernaturalis si non imitatur eum in omnibus, imitatur eum in quantum Commode potest sine ipsius preiuditio, ut patet in Misterio Eucharistię, et in alijs. Et ideo nihil mirum quod inveniatur ordo naturę in hoc, quod amor non procedat a principio, propter servandam illius Connaturalitatem respectu visionis, et obiecti amati, et ut salvetur eius perfecta unio reciprocatio, et transformatio. =

Secundo dico. Amorem petere, quod procedat a principio intrinseco in suo subiecto Connaturali, et primario, et sic divinus Amor prout est in Deo a suo intrinseco, et naturali principio procedit. Cęterum quando supernaturaliter hic amor transit ad actuandum subiectum extraneum, non per novam productionem, sed per unionem sui ipsius id prestat. =

Tertio respondeo. quod cum voluntas in hoc etiam distinguatur ab intellectu, quod hic trahit res ad se, illa vero trahitur, et impellitur ab ipsa bonitate amata, modus magis Consentaneus, et Connaturalis divinę bonitati est, quod ipsa se sola voluntatem trahat, et moveat. Nam eo ipso quod infinita, et sufficientissima est in ratione bonitatis attractivę, debet per se ipsam trahere, et movere voluntatem perfectissimo modo possibili: perfectior autem modus est, si non solum methaphisice trahat, sicut bonitas Creata, sed etiam realiter. Et quod sicut ipsa gerit vicem verbi, non obstante quod in Creaturis verbum oritur ab obiecto et potentia: ita gerat vicem amoris licet in Creatis, diversum quid sit a bonitate appresensa. = Confirmatur: quia de natura boni, ut tale, est esse diffusivum, et Communicativum sui ipsius; sed ut sic est obiectum amabile per voluntatem: ergo bonum infinitum in ratione amabilis erit ut sic infinite Communicativum, et unitivum sui ipsius, ac proinde non tantum effective, sed etiam realiter et effective. =

Amor etiam unionem realem personarum semper postulat inquantum potest.

Neque obstat, si dicas. Quod unio affectiva, quantumvis crescat in infinitum non

non perficitur per vnionem realem, quę est longe diuersę rationis. Contra hoc enim est vltima ratio quod omnis amor, quanto perfectior est, tanto est magis realiter vnitiuus. Ideo enim in diuinis personis amor eas nectens, et vniens est realiter, ac numero idem: nec id tantum habet ex vnitate naturę, sed ex propria amoris ratione. Quinimo cum natura vniuersaliter loquendo a suis operationibus speciem, et vnitatem accipiat, ex operationibus intelligendi et vollendi, quę vnitatem realem petunt saltem in diuinis inter principium, et terminum, (vt materia de trinitate late demonstratur) naturę diuinę vnitas colligitur. =

Pręterea de omni amore loquendo experimur omnes numquam quiescere vnione tantum affectiua, donec omni modo possibili se realiter coniungat vterque amans. Probatque optime S. Thomas. 1a 2æ. q. 28. art. 1o vnionem realem esse causam et effectum amoris: adducitque S. Aug. 8. de Trinitate dicentem quod amor est quasi iunctura quędam duo aliqua copulans, vel copulare appetens. Et S. Dionys. 4 cap. de diuin. nomin. vbi ait quod amor quilibet est virtus vnitiua. Et Aristophanem 2o polit. qui dixit quod amantes desiderarent ex ambobus fieri vnum: sed quia ex hoc accideret, vt ambos, aut alterum corrumpi, quęrunt vnionem quę conuenit et decet, vt scilicet simul conuersentur, colloquantur, et in alijs huiusmodi coniungantur. =

Hinc inferunt communiter sancti Patres, quod ex immensitate amoris, quo Deus nos dilexit, ortam fuisse vnionem realem ipsius cum humanitate: et eam etiam quam pręstat media Eucharistia cum quolibet homine: ergo si vnio hęc asserta est possibilis, erit consentanea diuino amori, infinite communicatiuo, et vnitiuo. Vnde licet vnio affectiua in creaturis numquam sit formaliter realis propter suam limitationem, in amore diuino potest ad realem pertingere. = Confirmatur a simili de filiatione adoptiua, quę etsi formaliter, et principaliter in actu voluntatis adoptantis consistat, tamen adoptio qua Deus nos reddit filios suos, eo quod perfectissima sit, quę excogitari potest, importat etiam realem communicationem naturę diuinę in gradu quodam participato, quinimo et asistentiam ipsius Dei, et trinitatis (vt infra disp. vltima satis dicam) ergo licet in creatis vnio inter amantes formaliter sit tantum affectiua, potest ita perfici in diuinis quod simul sit realis. Quod etiam demonstrabo eadem disputatione, tractando de vnione reali quam anima feliciter obtinet ad Deum in matrimonio spirituali tam intellectu, quam voluntate media. =

Sectio 1. sacrę scripturę, et Patrum testimonijs ostenditur assertio.

Iam ad quartum caput principale accedentes, pręmitti debet regula generalis ab Aug. tradita, ab omnibusque recepta, quod semper verba scripturę in sensu proprio et rigoroso intelligenda sunt, nisi obstet impossibilitas, aut rationi contrarietas, aut litterę contextui dissonantia: in his enim tribus casibus, licebit ad methaphoram, vel sensum improprium confugere. In cęteris minime. Alioquin nihil certum in materia fidei ex sacris litteris haberi posset.

Hinc ergo infero quod omnia testimonia, quę in sensu proprio intellecta significant, spiritum sanctum, vel amorem increatum nobis vniri ad dilectionem Dei, efficaciter nostram assertionem conuincant; nec possint methaphorice exponi. Quoniam sufficienter probatum supponimus, vnionem hanc nec impossibilem, nec absurdam, aut rationi contrariam esse: nec esse testimonium aliquod, sacrę scripturę, aut conciliorum, quod oppositum indicet: ergo omnis scriptu-

ra

ra quæ hanc Amoris increati unionem expresserit, omnino proprie debet intelligi.

Primum ergo testimonium sit illud Joann. 17. ubi orans Christus Dominus Patri specialiter pro prædestinatis, tandem unionem illis petit, quam ipse habet cum Patre, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint. quæ verba intelligit S. Bernardus, tractatu de vita solitaria in fine de unione reali, et non affectiua tantum ut infra videbitur. quod verba subsequentia magis declarant. Notum feci eis nomen tuum, et notum faciam, ut dilectio qua dilexisti me in eis sit, et ego in ipsis. quæ verba adducit S. Thomas postea citandus, opusc. de Beatitudine cap. 2. ad probandum nostrum intentum. Priora verba sic legunt S. doctor. glossa interlin. et alij. Notum feci eis per fidem, et notum faciam per speciem, hoc est in patria per unionem Verbi ipsius ad videndum, ut dilectio, qua dilexisti me in eis sit, hoc est ut naturali consequutione, sicut ego sum in ipsis ratione speciei, quæ est ratio videndi; sic et spiritus sanctus, quo dilexisti me, sit in eis in ratione Amoris. Illa enim particula qua, relatiuum identitatis est, significans tandem dilectionem increatam, qua Pater diligit filium, esse in alijs iustis. Concludit tandem, et ego in ipsis, quasi inferens, quod ex unione ipsius spiritus sancti cum talibus iustis in ratione amoris, sequatur etiam, quod ipsum verbum sit in eis non solum ut species visiua, sed ut principium in eis spirans hunc diuinum Amorem.

Secundum testimonium habetur Joann. 7. si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Et qui credit in me flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de spiritu quem accepturi erant credentes in eum, in quibus verbis, per aquam viuam expresse ipse spiritus sanctus exponitur, ut interlineariis, et expositores communiter senciunt. Idque magis sequentia verba declarant. Nondum erant spiritus datus, quia nondum erat Jesus glorificatus. Ponderandum est ergo primo, quod inquit christus, si quis sitit veniat ad me, tamquam ad fontem aquæ hæc profluit aqua: quia ipse simul cum Patre hunc amorem spirat, et etiam per mirabilem circuminsessionem in eo residet, ut dicitur materia de trinitate. Dicit secundo, quod qui per fidem biberit ex aqua ista, fluent non unum, sed flumina plurima aquæ viuæ, ut immensitatem Amoris diuini qui est spiritus sanctus significet. quod amplius cap. 4 declarat. ubi de eadem aqua inquit, quod qui illam biberit fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam, et quod non sitiet iterum, quæ duo de Charitate creata huius vitæ regulariter non verificantur: nam solum in filio et spiritu sancto est aqua ista tamquam in fonte. Extinguere autem penitus sitim non experimur in charitate creata huius vitæ.

Post Christum Dominum secundus Author qui adduci potest (eumque maxime citat D. Aug. de quo postea) est Joannes insignis Charitatis sectator qui de hoc toties commendatur in sacra scriptura, et ab Eclesia, et per excellentiam dicitur Discipulus quem diligebat Jesus: Huius animam amoris flumina de ipso sacro dominici pectoris fonte potauit. Hic ergo cap. 4. epistª 1ª. can. inquit. Deus Charitas est, et qui manet in charitate in Deo manet, et Deus in eo, ac si diceret qui in se charitatem habuerit, Deum in se habebit, quia Deus charitas est. Si hæc verba ita clare exprimunt nostram assertionem, et alias non inuenimus impossibilitatem, vel absurditatem, propter quam ad sensum improprium ea detorqueamus, efficaciter illis demonstratur intentum, maxime cum habeamus D. Aug. huius expositionis Authorem, qui et alijs verbis eiusdem Euangelistæ id valde confirmat ut postea videbimus. Rursus id ostendi potest testimonijs, quibus spiritus sanctus dicitur donum Dei Actor. 2. et 8. et ab Eclesia in hymno festi. tu donum Dei altissimi. quæ etiam proprie verificari de spiritu sancto, docent S. Aug. Bern. et alij Patres postea citandi: sed non potest esse proprie donum nisi

nobis

nobis aliquomodo vniatur: ergo si est possibilis talis vnio illam proculdubio significant. =

Est aperta sententia Diui Augustini.

Sexto loco adducere possumus Augustinum magnum Ecclesiæ lumen et Patrem, cuius cor præ charitatis violentia, et magnitudine qua semper flagrabat, sagittis confixum semper depingitur. Hic ergo non minus in hac materia, quam in alijs fide dignissimus. lib. 8. de trinitate cap. 7. et 8. adducit verba Ioannis nuper relata, et non semel, sed sepissime repetit, charitatem nostram esse Deum; ideoque qui est in charitate in Deo esse, qui charitatem amat, Deum diligere; qui plenus est charitate, Deo plenum esse: qui proximum charitate amat, Deo eum diligere, quæ et similia quæ multiplicat, ex hoc vnico infert Ioannis principio, quia Deus charitas est. Sed afferamus aliqua ex ipsius verbis: nam omnia refferre prolixum valde esset. Cap. 7 inquit. qui proximum diligit, consequens est, vt et ipsam præcipue dilectionem diligat. Deus autem dilectio est, et qui manet in dilectione, in Deo manet; consequens ergo est, vt præcipue Deum diligat. =

Cui testimonio respondere solet, Augustinum charitatem Deum appellare, quia est participatio Dei, vel quia Deum vt obiectum respicit. Sed hic modus improprius loquendi tribui posset sancto Doctori, si vna, vel altera vice eo vteretur, sed cum sepissime ac sine numero eum proferat, nec hoc tantum, sed et ex illo consequentias deducat, incredibile est, quod nomine in sensu omnino proprio, et rigoroso loquatur: nam omnes tam naturales, quam supernaturales dicuntur Dei participationes, et homo præ ceteris dicitur Dei imago, et tamen non propter hoc absolute Deus appellatur, nisi cum additio, et limitatione quam August. non affert vnquam in suo contextu, maxime cum tam prolixe, ac sepe de hac re disseruerit. =

Præterea in eodem capite magis se explicat ibi. Nemo dicat, non noui, quod diligam, diligat fratrem, et diliget eandem dilectionem: magis enim nouit eandem dilectionem qua diligit, quam fratrem quem diligit. Ecce iam potest Deum habere notiorem, quam fratrem; plane notiorem, quia præsentiorem; notiorem, quia interiorem: notiorem quia certiorem: amplectere dilectionem Deum, et dilectione amplectere Deum. Nescio quid clarius. Non tantum, ait, dilectio est qua Deus amatur, sed est ipse Deus. Et infert, quod qui amat, cognoscet suum amorem, et consequenter ipsum Deum, quia amor ipse quo diligit, est Deus. =

Quod amplius confirmat ex verbis illis Ioannis 4. capite. Epistolæ 1.æ Omnis qui diligit ex Deo natus est, et cognoscit Deum, qui non diligit, non nouit Deum, quia Deus dilectio est. Ista contextio, ait Augustinus, satis aperteque declarat eandem ipsam fraternam dilectionem, non solum ex Deo, sed etiam Deum esse, quam videmus tanta authoritate prædicari. Quibus verbis excluditur aliorum euassio dicentium, dilectionem non formaliter sed causaliter Deum dici ab Augustino, quoniam aperte distinguit, et affirmat, et colligit vtrumque modum ex verbis Ioannis dicens, dilectionem non solum ex Deo, vt causa procedere, sed etiam Deum esse: quia vtrumque verba Apostoli exprimunt. =

Legantur etiam illa verba paulo superius. Et quo nisi Deo plenus est, qui plenus est dilectione? At enim charitatem video, et quantum possum, eam mente conspicio, et credo scripturæ dicenti, Deus charitas est, et qui manet in charitate in Deo manet etc.ª Superius etiam in principio capitis 8. de hoc amore inquit. Nosque, et illos, (idest Angelos, et sanctos) coniungit inuicem nobis et subiungit sibi. Hoc autem de amore creato verificari nequit: nam modus ille vnionis ~

affectiue

affectus qui interveniunt inter amantes rationis capaces, non potest esse inter ipsum amorem, et habentem illum, nisi amor ipse vivens etiam, et substantia intellectualis sit, quod solum de amore divino potest dici. =

Multa alia verba omitto, ex duobus his capitibus, quibus ipse magis ac magis mentem suam aperit, ut veniam ad alia quae afert lib. 15. de trinitate cap. 17. ubi eadem Joannis verba, eandemque doctrinam, tamquam mirabilem repetit, abeaque prae admirationis, et solatij magnitudine desistere non valet. Inter alia adducit illud ex cap. 4. citato Joannis. In hoc cognoscimus, quia in ipso manemus, et ipse in nobis, quia de spiritu suo dedit nobis. Exponit ille. Spiritus itaque sanctus de quo dedit nobis, facit nos in deo manere, et ipsum in nobis: hoc autem facit dilectio: ipse est igitur deus dilectio. =

Rursus cap. 18 explicat quomodo licet spiritus sanctus verus deus sit, propriissime donum dei dicatur, quia scilicet est etiam nostra charitas, qua ad deum ducimur, et sine qua nullum aliud donum hoc praestare potest. verba eius sunt clarissima: quo circa rectissime spiritus sanctus cum sit deus, vocatur etiam donum dei, quod donum proprie quid nisi charitas intelligenda est, quae perducit ad deum, et sine qua quodlibet aliud donum dei non perducit ad deum. = Confirmatque verbis illis citatis: flumina de ventre eius fluent aquae vivae iam declaratis, et haec sufficient ei qui oculos claudere non voluerit. =

Duo possunt opponi contra adducta testimonia. Primum Augustinum loqui absolute, et indistincte, de charitate prout significat etiam habitum, et actionem vitalem, et sepius utitur dilectionis voce: ergo si eius testimonia aliquid valent, probant non tantum de amore, sed etiam de dilectione, aut revera neutrum concludunt. = Secundum est quod loquitur etiam de charitate huius vitae, quam asserimus etiam quoad amorem creatum: ergo si propter authoritatem tanti doctoris amorem beatificum ponimus increatum, idem consequenter de amore huius vitae debemus dicere. =

Ad primum respondeo, amorem, et dilectionem (quius casu semper apud doctores indifferenter utentes his duabus vocibus, interdum pro sola ratione diligendi per modum impulsus, interdum pro sola actione seu exercitio, interdum vero pro utroque simul, propter intimam connexionem, et propinquitatem naturalem, quam inter se habent. Varietas autem harum acceptionum ex contextu loquutionis est colligenda: nam esset valde molestum, et sermonem de quo agunt interrumpere, si distinctionem hanc, tam methaphisicam, et obscuram deberent exponere. In his enim casibus supponenda est illa generalis regula: talia sunt subiecta, qualia permittuntur ab eorum praedicatis: nam praedicatum declarat, in quo sensu accipiatur subiectum, et ratione cuius partis verificetur de illo. Et quia non est praesumendum de sapientissimo Augustino quod existimaverit actionem vitalem voluntatis creatae potuisse per increatam suppleri in quo est aperta improbabilitas, colligimus plane loqui de amore per modum impulsus, quando asserit deum esse, aut spiritum sanctum. Sic enim quando absolute dicitur christus deus aeternus, omnipotens etc., intelligitur non quantum ad humanitatem, sed quantum ad divinitatem. Et quando philosophi generationem aiunt esse motum absolute, et sine distinctione, intelliguntur non de actione substantiali, quae instantanea est, sed de actione alterationis ei naturaliter connexa. =

Ad secundum respondetur, etiam in viris perfectis huius vitae spiritum sanctum vicem amoris gerere, ut disputatione ultima de unione matrimonij spiritualis dicam. Ideoque optime Augustinum loqui de charitate etiam huius vitae, perfecta tamen. =

Hanc esse expressam sancti Thomę sententiam dubitari non debet.

Circa mentem S. Thomę multi ut certum supponunt oppositum docuisse in hoc loco ubi ex professo docet Charitatem non esse spiritum sanctum sed aliquid creatum, et exponit verba quę adduximus ex D. Augustino intelligenda esse de Deo per participationem, non per essentiam quando Charitas Deus dicitur, impugnatque Magistrum, eo quod sententiam istam docuerit. = Sed tantum abest ut Angelicum Doctorem contrarium habeam, quod potius ab ipso hanc absconditam veritatem didici. In Opusculo enim de Beatitudine (quod fortasse edidit illi proximus et cum ferventioris amoris ęstu ad eam se disponebat) hanc sententiam expresse docuit, imprimo illius capite incipiens a visione beata, explicat, non fieri media forma, aut specie creata, sed immediate per essentiam, aut verbum divinum dicens, quod videbitur Deus per Deum. quod multis probat, et praesertim verbis psalm. 35. in lumine tuo videbimus lumen. et illis 1. Corinth. 13 tunc cognoscam, sicut et cognitus sum. Hoc est, quod sicut nos videt Deus per suam essentiam et non per speciem creatam; sic nos tunc eum videbimus. Idemque 1a. p. q. 12 art. 2. clarissime docet. =

Postea cap. 2. eiusdem Opusculi eandem doctrinam amori accommodat, dicens. Ex illa cognitione amabitur Deus per Deum ab anima glorificata, hoc est per spiritum sanctum: quia quidquid creatura facit sub nomine creaturę imperfectum est. Affertque verba illa adducta Joann. 17. Notum feci eis nomen tuum etc. Et subdit. Dilectio qua Pater diligit Filium, est ęterna et immensa scilicet per spiritum sanctum, qui est nexus utriusque, et eadem dilectio dicit glossa, est in omnibus iustis, et per eandem anima glorificata, diligit Deum et diligitur a Deo. Alioquin enim non quiesceret, nisi Creatori suo in amore vicem rependeret. Idque confirmat rationibus petitis ex natura amoris reciproci, ex fame insaciabili et ceteris quę in praecedentibus iam dicta sunt. =

Est tamen maxime advertenda quorundam deceptio, qui minus attente litteram legentes allegant in oppositum, quod sanctus Doctor in medio capitis, ait, Hęc fuit olim opinio Magistri in sententiis, moderni aliter autem senciunt, tene, quod placet. Ex quibus inferunt D. Thomam, hanc quęstionem indecisam, et arbitrio cuiuslibet reliquisse. Et postea in hoc loco, partem negantem amorem beatum Deum esse, definisse. = Decipiuntur tamen valde: Nam verba illa non referuntur ad totam doctrinam pręcedentem in eo capite sed ad quandam peculiarem immediatam illis, qua dicitur etiam charitatis habitum suppleri nobis per spiritum sanctum, alioquin superflue nobis mitteretur. Hoc igitur assertum de habitu, ait S. Thomas, fuit olim opinio Magistri, oppositum tamen communiter a iunioribus deffendi, et quod quantum ad hoc teneat quis, quod ei placuerit, quia non faciebat tunc ad eius propositum id examinare. Et prosequitur, et ad hoc dedit nobis spiritum sanctum ut anima beati ipsi vicem rependeret in amore, et sic in ipso quietem omnimodam reperiret. quasi diceret. quidquid sit de habitu, de quo nunc non disputo, ad hoc saltem datur nobis spiritus sanctus, ut vicem amoris habens animam famelicam saturare possit etc. Prosequiturque id probans per totum illud, et sequentia capita. Imo obiectum principaliter in

tentum

dilectionis quæ est vitalis actio, sed per modum amoris, prout est ratio diligendi, vt impulsus, pondus, aut impetus in rem amatam: ita, vt non tanquam principium, sed vt actualis et formalis amor ad dilectionem creatam beati concurrat tanquam quid ab illa distinctum. =

Hanc sententiam sic a me explicatam, tenent multi Patres, et grauissimi Authores præsertim ex misticis, et contemplatiuis, qui in amoris diuini exercitio maxime versati, et insignes fuerunt. qui et si non distinguant inter dilectionem et amorem, quinimo secundum communem vsum vtramque vocem sepe confundant, quando tamen expresse asserunt, Spiritum sanctum esse ipsum formalem amorem, quo beati Deum prosequuntur, intelligendi sunt non de actione vitali, cum hoc improbabile sit, sed de amore prout ab illa distincto. verba eorum adducemus postea postquam assertionem nostram sufficienter rationibus ellucidemus. =

Est tamen valde obseruandum, quamplures doctores, qui contra nos citari possunt acriter impugnantes Magistrum, minime nostræ doctrinæ aduersarii: quia tantum impugnant, quod vniatur spiritus sanctus per modum habitus, vel actionis vitalis, vt eorum argumenta demonstrant, in quo cum illis conuenio. vnde licet in sensu a nobis declarato questionem non moueant, nec assertionem nostram proferant; quia illis non erat sermo de amore beatifico, non tamen contradicunt. =

Iam ergo vnicum nostri asserti fundamentum sit. Quod solum ex quatuor capitibus vnio dicta amoris diuini cum voluntate creata negari posset. vel quia est impossibilis. vel dato quod esset possibilis, quia non est conueniens, aut rationabilis: sicut licet fuerit possibile Patrem, et spiritum sanctum hypostatice vniri humanitati, non fuit conueniens. vel tertio, quia amor petit ex natura sua elici a principio intrinseco personæ diligentis, et esset ordinem naturæ debitum inuertere, si id aliter eueniret, quod numquam theologi admittunt sine euidenti necessitate, aut reuelatione in sacris litteris expressa. vel denique quia est contra sacram scripturam, aut Patrum consensum: sed nullum argumentum ex his quatuor capitibus assignatis adduci potest, quinimo ex eisdem quatuor generibus efficaces rationes desumi possunt ad probandam vnionem hanc esse possibilem, conuenientem, ab ipso amore beatifico naturaliter petitam, et maxime sacræ scripturæ et sanctis Patribus consentaneam: ergo sufficienti, ac firmo fundamento, potest stabiliri, minor in qua est difficultas sigillatim quoad omnes suas partes per sequentes sectiones ellucidabitur. =

Sectio 2ª possibilis est vnio spiritus sancti, in ratione amoris, cum voluntate creata.

Quod sit possibilis vnio ista, Probatur instantia de visione beata, quæ in schola S. Thomæ, et sanioris partis theologorum fit absque vlla specie creata impressa, et expressa, media vnione essentiæ diuinæ, vicem vtriusque supplentis, intellectumque beati determinantis per modum imaginis intentionalis, ad ipsum Deum clare videndum: sed eadem est ratio de amore respectu voluntatis, ac de verbo, seu specie expressa, respectu intellectus, et de vnione essentiæ diuinæ cum voluntate creata ad amandum, ac de vnione eiusdem cum intellectu ad videndum; ergo si vna est possibilis, etiam altera. Probatur minor, declarando vtriusque paritatem: quia fere nullum adduci potest argumentum ad probandum hoc implicare in amore, quod tandem repugnantiam non ostendat respectu visionis: et quæcumque solutio hic adhibeatur, poterit illic applicari. quia tamen multi, et magis consequenter, negabunt possibilitatem in vtroque casu, potiora adducam argumenta, ostendamque æquali

ter

liter probare, et solui in visione, et Amore =

Primo enim obijci potest ratio dubitandi sectione prima allata. Et ad Authoritatem Apostoli, et Concilij respondeo, non negari a nobis virtutem Charitatis, tam per modum Sabitus, quam per modum actus secundi, distinctam a Spiritu sancto, et vere nobis inserentem, sed cum hoc stat amorem prout distinguitur a dilectione creata, et habitu esse ipsum Spiritum sanctum et hoc in beatis. Nam in via concedimus saltem regulariter, et lege communi amorem etiam creatum per charitatem productum. Vnde nihil contra nos authoritas: nam et loquitur de charitate huius viæ, et verificatur etiam de charitate Patriæ, quod sit absolute aliquid creatum, tam in actu primo, quam in actu secundo; sicut in visione admittitur, præter vnionem essentiæ Diuinæ in ratione speciei habitus luminis gloriæ, et actus creatus videndi. Et per hoc patet ad D. Aug. verba =

Ad primum inconueniens de actu vitali, idem de actu visionis potest obijci, cum sit primaria, et principalior operatio vitæ intellectualis. Sed ad vtrumque respondeo, quod si notitia, et amor sumantur pro actione ipsa intelligendi, et volendi, sic vitales sunt essentialiter, et exercitia potentiarum vitalium, ac proinde quantum ad hoc minime supplentur a Deo. Et propter in Beatis actiones creatas, admittimus intelligendi, et vollendi, Deumque videndi, et amandi. Si vero notitia, et amor pro verbo, et impulsu accipiantur, a quibus potentia, vt dixi, determinatur ad respiciendum obiectum: sic non sunt essentialiter vitales, sed tantum denominatiue, quatenus termini producti sunt per actiones vitales, easque naturaliter, ac per se comitantur; ergo vt sic possunt sine vitalitate a Deo suppleri: sicut et produci in lapide, vt communiter admittitur, quod de actione ipsa intelligendi, aut volendi semper negari debet; quia sicut ab essentiali ratione, sic nec a vitalitate, possunt præscindi, aut separari. =

Ad secundum inconueniens, de ratione voluntarij idem proporcionabiliter dicendum est, actum vitalem dillectionis, esse essentialiter voluntarium, amorem vero non semper, nisi quando ab ipsa voluntate procedit, vt patet, si miraculose constitueretur in lapide. fateor secundo, quod omnis amor naturaliter semper ab aliqua voluntate procedat, et sic amor diuinus respectu Diuinæ voluntatis, essentialiter voluntarius erit, licet respectu voluntatis creatæ cui vnitur supernaturaliter voluntarius non dicatur. =

Ad tertium de libertate concedo, stare non posse cum tali vnione amoris diuini; quia sicut posito verbo in potentia, non potest non intelligere; ita et posito actuali amore in voluntate non poterit non amare, sed ex hoc nihil contra nos, qui non asserimus liberum amorem beatificum, sed tam necessarium, sicut est visio. An etiam hæc amoris vnio, possit esse libera in viatoribus aliquando, disputatione vltima de matrimonio dicam. =

Secundo principaliter obijcies. Impossibile est, quod amor Diuinus cum sit Deus per essentiam, vniatur cum voluntate creata, et officium qualitatis gerat. = Sed idem inferri posset de vnione Diuinæ essentiæ, ad videndum clare Deum. Ad vtrumque aliqui respondent, vnionem hanc esse solum quantum ad operari, et non quantum ad esse. Sed propter vitandum vnum inconueniens incidunt in aliud. Quoniam Dei vnio solum quantum ad operari dicit tantum extrinsecam illius assistentiam ad operandum simul cum creatura; quo pacto cum quauis causa secunda, ad illius effectus producendos dicitur vniri, sed hic modus vnionis, non solum non infert præstantius Dei beneficium erga beatos, sed arguit potius imperfectiorem in illis operandi modum, ac habebant in via medio amore creato, et inserente: nam hic modus vnionis est generalis omnibus causis secundis, etiam inanimatis. semperque omnes admittunt perfectius, et connaturalius operari potentiam suos actus, cum per formam intrinsecam, et propriam eos ellicit, quam cum ex vi auxilij

intentum per totum opusculum est, quod omnes actus beatifici tam visionis quam amoris, fruitionis, comprehensionis, et alij quos enumerat, omnes fiant per ipsam essentiam Divinam vicem qualitatum creatarum gerentem. ═

Confirmat item ex illo Pauli 1 Corinth. 15. quod Deus erit omnia in omnibus, idest quod erit beatis ratio visionis, amoris, fruitionis gaudij et aliorum: irrationabiliter ergo illi imputatur, quod indecisam ibi hanc veritatem reliquerit, cum potius nihil aliud probet, et confirmet in toto opusculo nisi illam, satisfaciens etiam argumento illi opposito, quod superflue daretur nobis spiritus sanctus, quod negat, quia licet non sit necessarius in ratione habitus, est necessaria eius infusio in ratione amoris. ═

Preterea, paulo inferius, post verba citata, et postquam amorem increatum explicuerat, quo Pater et filius invicem se diligunt, eleganti ponderatione, et admiratione prosequitur: Hęc est (idest dilectio) cuius unio animam sibi unitam vere beatam facit. Hęc est gaudium, de quo dicitur Joannis 15. Ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur. quod est gaudium Patris et filij, nisi amare, et amari, et taliter amari? quomodo anima famelica saturabitur, nisi huic gaudio uniatur, ut ipsa in hoc gaudio, et gaudium hoc in ipsa sit, et eius sic gaudium impleatur, cum amanti ita unita fuerit et amato, quod se in tam felicissima unione amare sentiat, et amari? ═

Neque hanc retractavit sententiam in hoc loco, si aliqua esset retractatio, potius crediderim retractasse in illo opusculo, si quid oppositum in hoc loco dixerat, quia minime ostendi potest opusculum illud compositum, antequam partes summę Theologię, sed neque in hoc articulo contrarium aliquid docuit D. Thomas, nam charitas proprie, ac directe habitum seu virtutem significat, et consequenter ad eius exercitium seu actionem vitalem extenditur et utrumque verum est esse aliquid creatum, et in hoc recte impugnatur Magister a S. Doctore, eo quod absolute dixerit charitatem nostram non esse aliquid creatum, sed ipsum spiritum sanctum. Nec Magister loqutus fuit, nisi tantum de habitu charitatis, ut notat ipse D. Thomas, et quantum de hoc tantum illum refutat, ut ex rationibus articuli constat et ex eius ultima resolutione: unde maxime necesse est, quod ad actum charitatis in nobis existat aliqua habitualis forma superaddita potentię naturali etc. unde de actu nihil dicit: Et quando de illo supponeret creatum esse, intelligendus esset de actione vitali, ac de amore proprio huius vię, quem creatum supponimus. Amor enim increatus tantum beatis infunditur, nam etsi dixerim etiam viris perfectis matrimonio spirituali iunctis inesse, ostendam tamen diguę ultima hunc statum esse visionem inchoatam, ac pro inde magis beatorum, quam viatorum proprium, ideoque rarissime, et ex speciali privilegio paucissimis communicari. ═

Sectio 8. ostenditur denique aliorum Patrum, ac Theologorum authoritate.

Cui plus Doctor, qui satis clare pro nostra sententia fuit loqutus, fuit mellifluus Bernard. in amore insignis, et in thelogia mistica celeberrimus, propter quod merito allegatur a D. thoma in opusc. citato. Eius verba sunt. Cum autem Deus animam amet, ęternitas amat, immensitas amat, cuius magnitudinis non est finis, cuius sapientię non est numerus, nece

nec est

sic est, Animam inmense, et æternaliter redamare, si debet in Deo perfecte quiescere; tenet ergo Animam minus quam diligat inmenso, et æternali amore, qualis est spiritus sanctus, quiescere non posse, ut sectione 4. declaravi. =

Rursus est aliud eius expressius testimonium, quod meo iudicio negari non potest. Loquitur enim de vita solitaria ad fratres de Monte Dei, tres exponit similitudines inter Deum et animam. Primam naturalem. Secundam supernaturalem, quæ fit mediante gratia, et donis regulariter in hac vita. Et tertiam quam efficit spiritus sanctus in beatis, vel aliquomodo beatitudinem participantibus; et hanc tertiam inquit, esse plusquam similitudinem: quia efficit identitatem. Verba eius sunt: velle autem quod Deus vult, hoc est iam similem Deo esse. Non posse velle nisi quod Deus vult, (hoc est necessario velle, in quo status beatificus, aut ei similis consistit) hoc est iam esse quod Deus est, cui velle, et esse id ipsum est. Et quia illi opponi poterant verba 1. Joann. 3. ubi de beatitudine ait, tunc similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. Exponit ipse; hoc est erimus sicuti est, ac si diceret, quod erit tanta hæc similitudo, quod ad identitatem accedat in quo etiam sensu Divinæ personæ similes dicuntur. ==

Sed clarius ut omnem interpretationem in oppositum excludat, se explicat inferius dicens. Alia Dei est adhuc similitudo Dei, hæc est de qua iam aliquanta dicta sunt, in tantum propriè propria, ut non iam similitudo, sed unitas spiritus nominetur, cum sit homo cum Deo unus spiritus, non tantum unitate volendi idem, sed expressiore quadam unitate virtutis, sicut iam dictum est, aliud velle non valendi. Dicitur autem hæc unitas spiritus non tantum quia efficit eam, vel addit ei spiritum hominis spiritus sanctus, sed quia ipsa, ipse est spiritus sanctus Deus charitas, cum per eum qui est amor Patris, et filij, et unitas et suavitas, et bonum, et osculum, et amplexus, et quidquid commune potest esse amborum in summa illa unitate veritatis, et veritate unitatis, hoc enim idem homini suo modo fit ad Deum, quod cum substantiali unitate filio est ad Patrem, vel Patri est ad filium, cum in amplexu et osculo pacis ad filium, mediam quodammodo se invenit beata conscientia, cum modo ineffabili, incogitabilique fieri meretur homo Dei, non Deus, sed tamen quod Deus est ex natura, homo est ex gratia. ==

Ecce verba mirabilia, quibus elegantia, et suavitate qua ipse solet, iterum atque iterum assertum nostrum repetit. Et ne explicentur eius verba in sensu causali addit se declarans, dicitur hæc unitas spiritus, non solum, quia efficit eam spiritus sanctus, sed qua ipsa ipse spiritus sanctus Deus charitas etc. Et tandem infert eodem modo ipsum spiritum sanctum esse vinculum, et nexum animæ beatæ cum Deo, et est respectu Patris et filij, ideoque quod Deus habet per naturam, hominem habere per gratiam, hoc est per gratuitam communicationem. =

Confirmat totum hoc verbis illis 2 Corint. 6. in castitate in scientia, in longanimitate, in suavitate, in spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis etc. ubi ponderat, ideo Paulum in cathalogo aliorum donorum, et exercitiorum ipsum spiritum sanctum posuisse, quia ipse unum ex illis est, prout scilicet est amor noster, ipsumque in medio aliorum poni, sicut cor est in medio corporis omnibus alijs membris, vitam et motum tribuens. =

Sexto loco citari potest, gravissimus, et antiquissimus author Hugo de S.to Victore opusc. de scientia Xpti, ubi clare affirmat, et probat animam Christi, et cæteras animas beatas eandem sapientiam increatam Dei participare, eundemque amorem divinum quo Pater et filius se invicem diligunt. Cuius verba non refero, quia nemo dubitat eum in hac fuisse sententia, ideoque eorum miratur. Authorem hunc ita pium et venerabilem in hanc sen

tentiam

lentiam lapsum, quam Sexroneam, vel temerariam ipse reputat. Decipitur tamen non distinguens inter Sabitus et actiones vitales, et formas quae Concurrunt ad ipsas per modum verbi, et amoris, ut iam in superioribus dictum est. sed cum sit equivocatio in his vocibus, Sapientia, et amor quibus Sabitus, et Actus vocari solent, non est presumendum de grauissimis his Authoribus in eo sensu locutos fuisse quo improbabilis esset eorum sententia, sed in sensu quo vera est. Presertim quando ex ipsorum Contextu Sec determinata expositio Colligitur, id dubitare non licet. Ait autem Author iste Doctissimus, Sanc sapientiam increatam, et amorem Diuinum inequaliter participari a beatis, quod minime intelligi posset, nisi distingueret praeter verbum, et et amorem Diuinum actiones Creatas videndi, et amandi, in quibus Sec inequalitas esset, nam in ipso verbo, et amore Diuino nulla excogitari potest disparitas: intellexit ergo per sapientiam et amorem increatum, non exercitium actionis vitalis, sed iuxta sensum a nobis declaratum.

Septimus Author est Ioannes Rusbrachius, Cognomento Diuinus propter insignem ipsius in rebus misticis, et Diuinis peritiam: Sic lib. 3. de spiritu nuptijs cap. 4. Ait. Sane diuitias omnes, quas Deus Sabet ex natura, nos amanter in ipso possidemus, et ipse in nobis, idque post amorem illum inmensum, qui est spiritus sanctus, in quo gustare licet quidquid desiderari potest. Post: Per hoc lumen diuinum vident, sentiunt, ac reperiunt intra se secundum ideam, vel esse suum increatum. Post: sicque de claritate in claritatem transformabuntur, tamquam a Domini spiritu, et unum Cum hoc lumine, quo vident, et quod vident efficientur. Et in fine Capitis: Hoc pacto Deus per Deum Capitur, et Conspicitur. Ubi loquitur de statu matrimonij spiritualis, in quo ut diceremus disputatione vltima sicut incipit inchoari Beatitudo modo quodam ibi declarando, incipit iam Comitari Sic amor.

Rursus in lib. Cuius titulus est Regnum Deum amantium Cap. 35. inter alia mirabilia quae de spiritu sancto profert, inquit, ipse est ignis immensus, quo cuncti intus quasi spiritus in gratia, et gloria transformantur, ac perlustrantur instar auri in diuini vnitatis fornace liquefacti etc. Subdit tamen non propter Soc equales esse beatos, in hoc amore licet immenso sed ad modum quo diuersa methalla, scilicet ferrum, stannum, argentum, et aurum, et si ab eodem igne transformata, et eiusdem rationis appareant, nihilominus singula suas naturas in seipsis inequaliter perfectas retinent: sic cuncti spiritus (ait) et si Soc igne incompre Sensibili et inmenso ardeant, et transformentur, vnus quisque pro Capacitate et dignitate sua, fruitionis discrimen retinet. In quo satis distinguit, inter amorem, et dilectionem iuxta superius dicta. Legantur Cetera verba, vsque ad finem Capitis, quibus satis eleganter exprimit intentum.

Euidentius item, Cap. 43. explicans quintum animae regnum, Consistere inquit, in immensa quadam Claritate, super omne lumen Creatum, gratiae, et gloriae, quod etiam in titulo ipsius Capitis expressit. Postea triplicem Suius regni fructum exponit dicens. Triplex ibi Somini donatur fructus, puta, claritas immensa, amor incompreSensibilis, et Diuina fruitio. Ex quibus primum scilicet Claritas immensa, ~~amor incompreSensibilis~~ omnis Claritudinis, quae in Contemplatione, et actione Sabetur, Causa est. Ecce quomodo distinguit, rationem intelligendi, quae est essentia diuina, ab eius actione, seu actuali Contemplatione. Loquitur ibi de statu perfecto matrimonij spiritualis.

Alter fructus, inquit est amor incompreSensibilis, qui per totum regnum animae permanet, prout vis quaelibet ipsius capax. Tertius ait est fruitio tanta, tamque ingens, ut et Deus ipse, et sancti, beatique omnes in ea absorpti sint etc. in quibus verbis pon

derande

derandę sunt voces illę immensa, et incompreHensibilis, et similes, quę tantum amorem increatum significant. Ait rursus, ineo amore, et fruitione Deum, Cętoros quę beatos absorptos, quo eundem Amorem Communem Deo, et Animę insinuat. =

Inquit prętorea inferius, itidemque secundum eandem mentem suam essentialiter Deo inhęrebit, ut inexaustam ac infinitam claritatem, transformetur, quemadmodum, et personę diuinę, quę momentis omnibus in diuinę essentię abissum absoruentur, et immerguntur, et nihilominus secundum personalem inipsa fecunda natura distinctionem perpetuo emanat et operantur, Ac si diceret, quod in hoc amore Deus, et animę sunt vnus spiritus, et si insua vnusquisque persona diuersus maneat, sicut diuinę personę, et si vnus sint Deus, insuis proprietatibus personalibus differunt: Concludit tandem caput dicens, animam a claritate in claritatem progredi: nam a claritate creata transformabimur in infinitam claritudinem. Et infra. Et supra dona omnia vnum sunt cum Deo. =

De magistro sententiarum, nemo dubitat, hanc tenuisse sententiam; expresse enim dixit iterum, atque iterum ipsum spiritum quo Pater, et filius, inuicem se diligunt esse amorem quo Deum, diligimus, quia Deus charitas est, et propterea hoc spiritus sanctus donum Dei dicitur. Exrauit tamen habitum charitatis e medio tollens, ut iam supra animaduerti. =

Nono loco citari potest grauissimus et antiquus Author, Augustinus Eugubinus, qui in sua Cosmopeija satis clare hanc veritatem expressit. =

Denique huic disputationi, finem imponat, qui mihi principium, et motiuum illius fuit, Venerabilis scilicet. P. Ioannes a Cruce in doctrina mistica peritissimus huius temporis: quatuor enim scripsit libros mirabiles, et plane celestes. Et in quarto, vbi quadraginta edidit, et exposuit cantica, in expositione illius versus Cantici 36. E amus dilecte, inuicemque intueamur nos in pulchritudine tua (et si hyspano sermone loquatur ipse) clare, ac sepissime repetit hanc veritatem, citans opusculum sancti thomę, de Beatitudine. Et in Cant. 38. super illum versum, quod anima mea nimis desiderabat, inquit, desiderium animę esse de ęqualitate amoris, ut ęqualem vicem Deo in amore rependat, et eum tantum diligat, quantum abeo diligitur, ut sic amor sit perfecte reciprocus, et ad totalem transformationem perueniat, quam dicit per amorem creatum minime perfici posse, ideoque hoc per amorem diuinum necessario suppleri. Legatur etiam Cant 39 ad versum illum: Ad aspirare aeris, vbi hanc aspirationem inquit, fieri in anima, per spiritum sanctum, quo Pater et filius inuicem se diligunt. =

Duo autem sunt animaduertenda, in huius Authoris doctrina, nequis in eius verbis offendat. Primum est quod infert creaturam ita fortiter, et perfecte diligere Deum, sicut abeo diligitur, quod intellige, quantum ad amorem, qui est ratio diligendi ex parte Dei, non quantum ad dilectionis exercitium: Nam loquitur in sensu S. thomę quem citat, et iuxta illud Pauli 1. Corinth. 13. (cuius verba adducit) tunc cognoscam, sicut et cognitus sum. Nec potuit negare, inęqualitatem inter Deum, et creaturas, et inter beatos interese. sed quia distinctio hęc inter amorem et dilectionem, est nimis subtilis, et methaphisica, non debuit abeo exponi in canticis hyspano sermone relatis. =

Secundum quod ait, intellectum ipsum Dei, esse intellectum animę beatę, et ipsam voluntatem diuinam fieri voluntatem animę, intellige non de potentijs, sed de efficatia

ad

ad intelligendum, et amandum per modum verbi, et amoris; quia iam ipse explicat, animam non amittere suas potentias, sed deificari per dei efficaciam iam declaratam. = Similiter quando asserit, Deum animam informare, non loquitur de primario effectu informationis in rigore phisico, sed tantum de unione illa speciali dicta, seclusis imperfectionibus, ut sectione 2a explicui. =

Non me latet, propter has, et similes difficultates expunctam esse totam hanc doctrinam; nunc abeaus libro, sed non authoritate publica, sed tantum ab aliquo sui ordinis prelato superiori, usque ad maturiorem eius discussionem, nam revera veritas haec nunc satis abscondita iacebat, spero tamen quod breviter haec illustris doctrina authori restituatur. =

Disputatio 34. de necessitate habitus charitatis.

Hactenus dixi de amore actuali: nunc de habitu charitatis, se offert, alia non minus gravis controversia. An possit suppleri per spiritum sanctum, ita ut ipsa increata dei virtus, elevet de facto, vel de possibili, voluntatem nostram, ad diligendum deum quae difficultas pendet ex alia, de potentia obedientiali, et modo quo vitalis elevatur per habitus supernaturales; et id circo utraque simul hic discutietur, ut simul quod de fide, et spe sit dicendum, omnibus innotescat. =

Sectio 1a. Sit ne ita necessarius charitatis habitus, ut nec potentia Dei absoluta suppleri possit.

Prima sententia negat per solam virtutem increatam Dei posse elevari voluntatem nostram, ad dilectionem ipsius, ac proinde, nec spiritum sanctum posse gerere officium habitus charitatis, ut Magister asserebat. Potissimum huius fundamentum est supponere, potentias vitales nostras non prestare ad actus supernaturales aliquam virtutem activam, sed passivam tantum, qua recipiunt elevationem, per habitum fidei, aut charitatis, et illis tamquam virtutibus adequatis ad actus supernaturales concurrere probant, quia actus supernaturalis petit essentialiter procedere a virtute supernaturali, nam potentia vitalis naturalis est, et valde improporcionata: ergo non potest sua propria virtute ad illum concurrere, sed virtute ei divinitus infusa. Hoc enim principio supposito, legitime inferunt per solam virtutem divinam extrinsecam, non posse voluntatem nostram denominari operantem, aliquo modo, imo hoc penitus implicationem involuere. Probatur hec illatio primo. Nam impossibile est, quod aliquod sit agens in actu 2o nisi prius intelligatur potens in actu primo, et ab ipso tamquam a principio emanet actio; implicat etiam quod aliquod sit potens in actu primo, nisi habeat intrinsecam virtutem in se ipso, ratione cuius virtualiter in se contineat effectum, et ex suis visceribus illum possit effundere: ergo per solam virtutem extrinsecam dei, non potest voluntas in eius dilectionem prorrumpere. Minor probatur: nam sola extrinseca denominatio, vel entitas extrinsecus assistens, non potest aliquod potens constituere aut in se virtutem habens, cum extrinseca denominatio, nihil ponat in re denominata, et

potius

potius illam ut obiectum, quam subiectum respiciat. =

Declaratur hoc amplius ex communi illo principio Aristotelis 9. methaph. tex. 27. et S.ti Thomae 1a p.te q. 25. art. 1° et 2. Vnumquodque in tantum est agens, inquantum est in actu, et perfectum. Vnde inferunt theologi varijs locis, quod nemo dat, quod non habet. quod vnumquodque agens intendit assimilari sibi effectum. Cum non communicet illi, nisi perfectionem, quam ipse habet. quod agens tanto magis se diffundat, media causalitate, quanto magis de perfectione habet, et bonitate, et econuerso. sed per solam entitatem extrinsecam, aut denominationem non recipit aliquod ipse perfectionem etc.a ergo: confirmatur. Nam actio emanare non potest, nisi abeo supposito inquo est virtus, et ratio agendi, nam virtus est ratio fundandi, et terminandi relationem transcendentalem ad ipsam, ergo quando tota virtus est in extraneo supposito, non potest abeo, vbi talis virtus non est, actio emanare, ac proinde, nec voluntatem nostram diligentem denominare, ut virtus adequata illius est solum spiritus sanctus. =

Dices: Deus potest supplere omnem causalitatem causae efficientis, potestque se solo efficere quidquid per causas secundas, sed voluntas solum ut efficiens, concurrit ad suos actus: ergo poterit illos per solam suam virtutem efficere. = Respondetur primo quod aliud est effectum produci a solo Deo, loco causae secundae, et aliud quod producatur, a causa secunda supplente Deo totaliter deffectum virtutis createe. Primum est verum, secundum hoc implicatorium. Quia licet possit Deus calefacere sine calore, non tamen facere quod sol, vel ignis calefaciat, sine virtute caloris, quia in hoc 2° casu, suppleret non solum causam efficientem; sed etiam formalem, formaret enim agens sine virtute actiua, et potens sine potentia, quod implicat, sicut album, sine albedine. = Secundo Respondetur, et sit altera principalis ratio, pro hac sententia, quod licet Deus possit supplere concursum causae pure efficientis, cuius effectus se solo producens, non tamen actus vitales qui essentialiter petunt principium propriae vitae, abeo que pendent non solum, ut abefficiente, sed ut formali principio, ut omnes supponunt communiter, et demonstrabitur inferius. Patet que euidentius, in actibus liberis, qui indifferentiam, et actiuitatem propriae libertatis essentialiter connotant: ergo aprincipio omnino extrinseco, qui sit tantum spiritus sanctus, aut virtus Dei increata nullatenus egredi possunt. =

Haec tamen sententia, quantum ad illationem praecisam recte procedit, et probat implicationem in hoc, quod ratio agendi adequata, sit extrinseca; et quod voluntas nostra possit, tunc esse formaliter operans. Docet que illam expresse S. Thomas in corpore huius articuli, dicens: hoc esse contra rationem voluntarij, cuius oportet principium in ipso esse, et non in aliquo extraneo supposito, implicare que quod amor, non sit actus abipsa propria voluntate ellicitus. Neque excludit S. Doctor partiale aliquod comprincipium de foris voluntati aduenire posse, sed tantum principium extrinsecum, quod sit adequata ratio agendi, ut constat ex illius verbis antecedentibus: Non enim motus charitatis sic procedit a spiritu sancto, mouente humanam mentem, quod humana mens sit mota tantum, et nullo modo sit principium huius motus etc.a quae verba tantum excludunt eos, qui totam efficaciam tribuunt, et nullam nec partialem actiuitatem voluntati permitunt. =

Nitit tamen praedicta sententia, falso fundamento, scilicet potentias naturales vitales, tantum posse concurrere ex se ad supernaturales actus, per potentiam passiuam, totamque efficaciam

efficaciam actiuam, illis prouenire ab auxilio, vel habitu supernaturali in herente, et propter vitandum unum inconueniens, scilicet quod actus supernaturalis, non procedat a naturali virtute, incidit in aliud, nimirum, quod actus vitalis, a principio non vitali emanet. quomodo autem utrumque optime saluatur in sequentibus sectionibus explicabimus. =

Potentiae vitales per innatam, et actiuam virtutem, proxime — et inmediate ad actus supernaturales concurrunt. —

Pro huius resolutione suppono ex doctrina S. thomae 1a p. q 12. Art. 5. et alijs locis, potentiam vitalem dupliciter eleuari posse. Uno modo intra rationem potentiae vitalis, ad attingendum aliquod obiectum sibi improporcionatum, quod tamen sit intra latitudinem sui obiecti adequati, ad quod tamquam ad specificatiuum, ordinem, et essentialem commensurationem dicat. Intellectus v.g. et voluntas hoc modo eleuantur, ad intelligendum, et videndum deum: quia cum deus, sit intra latitudinem entis, et consequenter intelligibilis, et appetibilis, et actus circa illum, intra rationem intellectionis, et amoris: intra spheram cadunt obiecti adequati harum potentiarum, licet propter suam supernaturalitatem, et eminentiam earum virtuti improporcionati sint. Alio modo possunt eleuari ad modum rei non vitalis ad effectus, qui omnino sunt extra latitudinem obiecti adequati. v.g. ad producendam gratiam etc.a, et hoc posteriori modo, non est necesse, quod operentur tales effectus, per virtutem aliquam actiuam propriam, sed satis est quod per virtutem creatam, illis diuinitus infusam, quae sit ratio adequata producendi, et ab illis passiue substentetur. De priori modo, necessario dicendum est, concurrere actiue per propriam virtutem, quam ipse supponunt, licet non solam, sed eleuatam. =

Probatur doctrina haec, primo ex generali ratione, potentiae vitalis, quae essentialiter petit concurrere ut se mouens, et per exercitium suae propriae vitae, quam vitalitatem nulla virtus ab extrinseco veniens potest supplere. quod sic declaro; quia nullum principium, potest concurrere vitaliter ad actum secundum, nisi ipsum sit actus primus vitalis; omnis enim actus secundus in aliquo genere, supponit primum in eodem genere; sed habitus, vel auxilium, ab extrinseco infusum, non est potentia, vel actus, primus vitalis; ergo non potest actibus vitalitatem tribuere, requirit ergo necessario influxus actiuitatis potentiae. Minor tantum probatur. cum caetera constent; quia potentia vitalis illa tantum dicitur, quae est proprietas substantiae viuentis, ut viuens est, vel quae est proprium ac intrinsecum principium ipsius animae, quo ipsa ab intrinseco se mouet, et non agit tantum ut mota, ab alio; sed habitus, vel auxilium, non est proprietas connaturalis viuentis, potius est supra naturam, et ab extrinseco prouenientem. =

Aliqui respondent, habitum tribui potentiae, tamquam proprietatem, et virtutem qua mediante ipsa ab intrinseco se moueat. = Sed contra hoc est primo. quod implicat animam et eius potentiam concurrere ad actionem modo vitali, et quod hoc fiat, solum passiue substentando virtutem ab extrinseco receptam, quoniam sic modus concurrendi, etiam competit non viuentibus; nam aqua calida per calorem ipse intrinsece receptum calefacit, neque satis est quod substentans talem virtutem, sit ipse viuens, ut per talem virtutem dicatur concurrere modo vitali, nam manus calida viuens est, et non concurrit vitaliter ad calefactionem, mediante calore recepto, vermes etiam viuentia sunt, et ab infirmo viuente generari possunt, et tamen

tamen non procedunt ab eo modo vitali: ergo aliquid amplius requiritur ad influxum vitalem, nimirum quod viuens per propriam virtutem suam, se ab extrinseco moueat. =

Ratio est facilis: quia ut actio sit vitalis, ratio agendi, a qua speciem accipit accipit talis actio, debet esse vitalis, ut actus primus et secundus inuicem correspondeant: ergo si ratio agendi, seu principium quo vitalis non est, parum refert, quod suppositum, seu principium quod materialiter virtutem substentans vitalis sit; ac proinde cum habitus, vel auxilium ipse, vitalitatem non habeant, minime possunt illam actioni conferre. Quod amplius sic declaro; nam dupliciter potest dici aliquod principium quod. vel quia pure passiue, ac materialiter substentat rationem agendi, seu principium formale quo, et sic aqua calefacit, ut quod, quia media receptione caloris id praestat. Aer similiter illuminat ut quod, media luce in ipso recepta. Secundo dici potest aliquod principium quod, non solum passiue, sed actiue, quatenus non tantum recipit ipse virtutem agendi, sed influit in illam, saltem ut radix, quo pacto anima intelligit, amat etc. Sed habitus, vel auxilium, non est virtus emanans aliquo modo ab anima, neque ab eius potentijs, sed potius supra vires illius, ac supra omnem naturam creatam, et creabilem, et ideo procedens a solo Deo: ergo tantum materialiter concurrit potentia vitalis, ut quod, ad has actiones ex quo sequeretur, vitales non esse. =

Secundo, quia alias species, et habitus acquisiti dicerentur vitales, vitaliterque in actiones influere, eo quod sunt affectiones potentiae vitalis, quod nemo dicit, non alia de causa, nisi quia ab extrinseco veniunt, et respectu illorum passiue ipsa se habet ut mota: ergo multo maiori, iure de affectionibus supernaturalibus, id dicendum est. =

Tertio quia vitale est analogum, quod primario dicitur, de substantia, seu anima, ut docet S. Th. 1a p. q. 18. art. 2. et secundario de potentijs, et actionibus illius; in quantum sunt proprietates connaturales vitae: neque satis est esse affectiones vitae, quomodocumque: nam gratia subiectatur in anima, et species, et habitus, ut dixi, in eius potentijs, et calor etc. et nihilominus, nec secundario vitalia dicuntur; requiritur ergo quod sit proprietas emanans intrinsece ab ipsa vita, ut talis est, quod de habitu infuso, vel auxilio dici non potest. =

Tertio confirmatur hoc amplius; quia cum anima sit primum principium et radix in genere vitali, debetur omnis vitalitas ab ea procedere, siue mediate, siue immediate, sed in casu quod solum passiue substentaret virtutem ab extrinseco illi infusam, nec mediate, nec immediate influeret in actionem; ergo non communicaret ei vitalitatem aliquam. Probatur minor: quia non influeret immediate, ut oppositi authores docent, cum habitus, vel auxilium sit tota ratio agendi: neque mediate; quia deberet talis habitus procedere ab ipsa anima tamquam a radice, ad hoc quod influendo in causam, diceretur causa causati, quod nemo admittit. =

Quarto. quia prima radix in ordine supernaturali, ex qua emanant habitus infusi, ut proprietates illius, est gratia sanctificans, et tamen vitalis non est: ergo nec eius proprietates. Minorem probo. Tum ex communi omnium sententia, quae tali modo loquendi numquam vtitur, tum. quia ipsa non operatur ut se mouens, nec denominatur intelligens, aut diligens, quod est proprium vitae spiritualis. =

Sectio 2a. haec actiuitas innata ex specialibus rationibus virtutis

Intellectus, et voluntas ostenditur.

Urgentius probatur nostra conclusio, descendendo ad speciales rationes vitalitatis spiritualis, quę quanto perfectior est quavis alia corporea, tanto magis ab interiori principio, et minus ab extrinseco petit procedere ut docet S. Thomas, 1a p.te q. 18. art. 3. In primis enim loquendo de potentia intellectiua, negari non potest, quod concurrit ad actus visionis et fidei formaliter, ut intelligens est: ergo formaliter ut actiua est, patet consequentia: quia potentia intellectiua formaliter ut intellectiua, est actiua, etiam si simul passiua sit: nam intelligere ut Caietanus ait: est actiue, et passiue vitaliter operari. Tunc sic; sed intellectus antecedenter ad eleuationem per habitus infusos, est potentia intellectiua, neque lumen glorię, aut fidei, adueniunt illi ut potentię intellectrices, sed tantum ut lux confortans et illustrans facultatem intellectiuam: ergo esse habet concurrere ad actus supernaturales per virtutem intellectiuam, et actiuam formaliter, et non tantum per passiuam. =

Dices: lumen non solum esse habitum, sed potentiam in ordine intelligendi, atque adeo esse quasi quendam intellectum supernaturalem animę infusum, per quem potest elicere actum supernaturalem, sicut per naturalem, naturales actus, cuius ratio est. quia dat simpliciter posse, in quo distinguitur a naturali habitu. = Sed contra docet; quia si lumen, et charitas essent proprię potentię, sequeretur immediate infundi essentię animę, et non intellectui, et voluntati, quia una potentia non recipitur in alia, quod est absurdum. Sequeretur rursus; quod in homine iusto essent duo intellectus, naturalis, et supernaturalis, et similiter duplex voluntas, imo tot essent voluntates, quot habitus voluntatis supernaturales, triplexque esset intellectus in anima Christi, scilicet naturalis, luminis glorię, et scientię per se infusę. =

Neque est aliqua ratio, quare si admittitur lumen, aut charitatem esse integram rationem agendi, non sint integrę potentię, recipientes suos actus, quoniam si intellectus naturalis nihil confert, in ordine ad hos actus, non est cur in illo recipiantur, vel quare in potentia a qua eliciuntur subijci non possint. =

Secundo non implicat quod habitus infusus adueniat ut virtus adequata actiue intelligens, et non passiue: ergo aduenit ut integra potentia, et intellectus, quod est falsissimum. Probo ant. Nam potentia immanens, essentialiter hoc habet, quod simul actiua sit, et passiua sicut et eius exercitium, quod simul sit actio, et passio: intelligere enim, non est aliud quam attentio potentię ad obiectum in verbo, vel apprehensio obiecti in eius imagine; implicat autem quod potentia, quę vitaliter attendit, et apprehendit, non recipiat in se talem attentionem presertim cum hęc actio tantum sit, quidam modus potentię verbo informatę, ut precedenti explicui disputatione. Id circo actio immanens sola dicitur, quę essentialiter immediate, et ratione sui petit suo inesse elicitiuo principio. in quo ab emanatione discernitur, quę licet in radice maneat, aut principio, a quo exijt, hoc fit non immediate, et ratione sui, sed ratione termini, proprietatis videlicet, quę suę radici naturaliter petit inesse, et consequenter emanatio quę talem terminum modificat. Actio vero immanens, nec terminum, nec obiectum petit essentialiter modificare, sed tantum potentiam, ideoque immediate, et ex se petit illi essentialiter inesse, ut pręintelligitur ad utrumque. =

Tertio, quia si virtus diuinitus infusa esset ratio adequata intelligendi, et

Intellectus

Et intellectus noster solum passiue, vt sublsentans illam se haberet nulla esset ratio quare oculus Corporeus, vel voluntas eleuari non possent ad videndum Deum: et quare non intellectus ad amandum, quod negant fere omnes Theologi cum D. Thoma. 1a p. q. 12. art. 3. asserentes nullam potentiam vitalem, etiam virtute Diuina ferri posse extra latitudinem sui obiecti adequati. Probatur Consequentia: quia quantum ad capacitatem receptiuam pari passu currunt, potentia visiua, et intellectiua; potestque vtraque eleuari ad producendam gratiam, et ad omne quod contradictionem non inuoluit, et si spheram sui obiecti adequati transgrediatur, vt similiter fatentur omnes: ergo si tota virtus, videndi, aut diligendi Deum adueniret de foris, quæuis alia potentia, Deum videre, et amare posset: vel dicendum necessario est, aliquam vitalitatem actiuam essentialem esse præstare intellectum, ratione cuius ipse solus, et non alia potentia, Deum intueri valet. =

Quarto retorqueri potest dicta responsio contra suos authores, quia licet habitus infusi, dicantur quasi potentiæ, quia dant simpliciter posse, non sunt veræ et propriæ potentiæ, sed habitus (vt omnes loquuntur) cuius non potest alia inueniri ratio, nisi quia non dant totaliter posse, nam habitus sunt perfectiones superadditæ potentijs actiuis, vt tales sunt, et consequenter illis adueniunt, vt comprincipia. Alius non esset cur excluderentur a vera et propria ratione potentiæ actiuæ, quia cum tales sint de genere qualitatis, non excludunt subiectum in quo passiue recipiantur. = Confirmat hoc ex doctrina D. Thomæ 1a p. q. 12. art. 5. vbi loquens de actu supernaturali ss visionis, ait, quod cum virtus naturalis intellectus creati, non sufficiat, ad Dei essentiam videndam, oportet quod ex Diuina gratia ei superaccrescat virtus intelligendi, et hoc augmentum virtutis intellectus etc. vbi ponderanda sunt verba illa: virtus intellectus superaccrescat, et augmentum virtutis, quæ supponunt, intellectum virtutem aliquam propriam, et inchoatam ad tales operationes conferre. Et in solutione ad 1um dicit: quod requiritur lumen, vt per illud intellectus, fiat potens ad intelligendum per modum quo potentia fit potentior ad operandum per habitum. Et ad 2um, vt sit perfectio confortans intellectum, et sic docet, et loquitur multis alijs locis præsertim 1a 2æ q. 109. art. 2. vbi ait, quod virtus gratiæ est superaddita virtuti naturæ, vel adiutorium etc. =

In voluntate constat manifestius vis actiua, quam esse conferat ad supernaturales actus.

Ex speciali enim ratione, libertatis illius, ostendi potest, propria, et innata eius actiuitas. Nam libertas in actu, essentialiter connotat indifferentiam liberi arbitrij in agendo: neque satis est ad potentiam liberam indifferentia ad recipiendum, vel ad operandum per virtutem ab alio receptam: ergo vt voluntas suam libertatem exerceat circa supernaturales actus, necessarium est, quod per propriam virtutem actiue ad illos concurrat. Antecedens probatur 1o ex Concil. Trid. sess. 6. can. 4. et 6. vbi ait, Siquis dixerit liberum hominis arbitrium, a Deo motum, et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo, neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passiue se habere

anathema

anathema sit. Unde sic arguo: Concil. damnat asserentes liberum arbitrium mere passive se habere, hocque exsibilat, libertatem everterere; quia consistit in hoc, quod se determinet ad agendum, aut dissentiendum, si velit; ergo libertas essentialiter posita, est in indifferentia ad agendum, et non agendum. =

Secunda ratione probatur: nam passio, ut passio, non potest esse sub libera patientis facultate, nisi sub eius dominio cadat actio: non enim satis est, quod sit indifferens ad recipiendum, et non recipiendum in se ipsa, nisi recipiat a se ipsa, et ad recipiendum se active determinet. Ratio est evidens; quia cum passio aut receptio, sequatur necessario ex actione, si actio non oritur ex mea potestate, sed ex alterius agentis determinatione, tantum respectu alterius erit libera determinatio, et respectu mei necessaria, siquidem non potui illam vitare, cuius actio supposita, nec alterum ad eam determinare, antequam se ad operandum moveret: implicat ergo libertas, nisi meo qui active se ad operandum determinat cum indifferentia ad utrum libet. =

Dices: sufficienter intelligitur active operari, et se determinare, qui per virtutem divinitus sibi infusam id facit. Contra si taliter operatur per virtutem infusam, quod ipsa sit tota ratio operandi, et se determinandi ad obiectum; sicut aqua elevatur per calorem in ipsa receptum, iam expresse contradicit Concilio, anathema dicenti eos qui aiunt voluntatem mere passive se habere, aut ut instrumentum inanime: quia respectu talis virtutis infusae solum passive se habet voluntas, ut sustentans illam. = Nec satisfit Concilio, quod media virtute recepta dicatur active operans; nam sic elevatur aqua, et quaequi potentia passiva ad operandum et nihilominus ut inanime quid reputantur. Ad quid enim recipit potentia passiva, nisi ut media virtute recepta, operetur? Idque supponit etiam Concil. in verbis suis: liberum arbitrium a Deo motum, et excitatum, scilicet per auxilia, et habitus quibus ad operandum elevatur, quod nec haeretici, contra quos disputat, negabant, sed tantum liberum influxum quo ipsa voluntas posita hac virtute elevante, potest ipsa uti, vel non uti ad operandum, recipiendo illam. =

Quod amplius sic declaro: quia voluntas, quando operatur active, per charitatem infusam, vel determinat ipsa charitatem, ad operandum, et utitur illa, prout vult, et quando vult: vel econverso, charitas voluntatem movet, et determinat. Si dicatur primum iam voluntas libere se, et charitatem determinans active per propriam indifferentiam, quam ex se habet operatur: nam propter hoc quod est charitatem in se recipere, ea utitur, et ad operandum determinat, prout ipsa vult. Si vero secundum dicatur, iam voluntas mere passive se habet non ut libere se movens, aut propriam libertatem exercens, sed ut mota a charitate, in qua esset formalis libertas, et voluntas, et primum movens, quae et similia sunt contra communem theologorum doctrinam asserentem voluntatem pro libito suo imperare actus charitatis, sicut et aliarum virtutum, et eos adhibere iuxta placitum suum. Et inde inferunt, quod licet quis habeat charitatem, ut octo, potest remisse operari, ut quatuor, quia voluntas, quae charitatem movet ad operandum, potest non movere eam secundum totam quantitatem virtutis illius. Si autem charitas tota ratio operandi esset, et voluntas solum per virtutem illius in se receptam ageret, non posset non operari, secundum totam intensionem illius. =

Respondebis forsan. Charitatem esse formaliter liberam, et ratione suae propriae libertatis operari posse remisse, sed hoc improbabiliter diceretur: primo quia esset contra Concil.

citatum

citatum, in quo manifeste est sermo, de indifferentia liberi arbitrij, nobis a natura insita quando negat, mere passiue se habere: nam canon ille est contra Lutherum, et Caluinum asserentes, extinctam esse per peccatum libertatem nostram, vel passiue se habere respectu gratiæ efficacis: et vtrumque damnat Concilium in verbis relatis: loquitur ergo de libero arbitrio naturali. =

Secundo: cum charitas sit virtus supernaturalis, et diuini ordinis, formaliter illam quæ indeest, participans, non potest esse, et ratione sui defectuose operari: ergo si est aliquis deffectus remissionis, vel omissionis, vt sepius contingit, voluntati nostræ defectibili, tribuendus est, ratione libertatis, cui subditur charitatis vsus; ac proinde respectu illius, non mere passiue se habet. =

Rursus, minime probari potest, habitum supernaturalem liberum; sicut nec vitalem esse; tum, quia non est alicuius viuentis proprietas connaturalis, sed potius forma illi supernaturalis gratiæ iustificante congenita, quæ viuens non est, et magis distans, et remota ab omni viuente creato, secundum suam naturam, quam calor respectu aquæ. Tum etiam quia in habitu fidei vg. aut charitatis, nulla est indifferentia in actu primo, nec contrarietatis, nec contradictionis. Fides namque solum est inclinatio ad credendum, non ad discredendum, vel non credendum. Charitas etiam est, omnimoda inclinatio ad diligendum Deum detestans odium, et quamcumque auerssionem ab eo: immo destruuntur isti habitus per actus oppositos, quod minime contingeret, si ad oppositos actus, aliquam indifferentiam haberent: ergo cum talem indifferentiam experiamur in homine iustificato, et quod ratione illius possit iustitiam, et virtutes infusas amittere, vt est de fide certum, dicendum necessario est tam ex voluntate nostra prouenire, ac proinde in ipsa, et non in habitu formalem libertatem esse. =

Nisi dicas, ex voluntate et habitu charitatis vg conflari principium adequatum actus, ita vt amor Dei, solum ex charitate prodeat, omissio vero, vel actus oppositus ex voluntate, quod esset ab vtraque libertatem excludere. Nam si sola determinatio ad amorem, a charitate esset, quo pacto absque indifferentia vlla illi posset tribui formaliter libertas? et si solum ad oppositum actum, est in voluntate potestas, ad summum posset ei liberum esse, tansi tum non contradicere: amor autem non esset ipse liber, nisi tantum indirecte, quatenus a voluntate potuit impediri, directe tamen a principio intrinsece indifferente, et libero non prodiret. Ex quo rursus sequeretur, quod ratio meriti, quæ actui non competit, nisi ratione libertatis directe, et per se primo, solum actibus naturalibus voluntatis non contradicentis, ratione suæ liberæ facultatis, inesset, non vero actibus amoris supernaturalis, nisi denominatiue dumtaxat, quod absurdum est. Omitto plura alia inde tam manifesta. =

Dices adhuc: anima nostra est libera, licet non influat inmediate in actus voluntatis, sed medijs potentijs: ergo eadem ratione voluntas erit libera, licet medijs habitibus infusis ad suos actus concurrat. = Respondetur animam inmediate influere simul cum suis potentijs vitali attentione ad suos actus, et etiam quando operatur, medijs suis potentijs, non se habet vt passiue tantum sustentans illas, sed adhuc influens in illas, et ad operandum inclinans, siquidem continuo influxu ex ea tamquam ex radice, et causa principali emanat, vt instrumenta: potentia autem respectu virtutis infusæ, tantum passiue se habet iuxta oppositam sententiam. Præterea anima non est formaliter libera, et si media voluntate operetur, sed radicaliter tantum, quatenus ab ea emanat potentia, quæ est

formaliter

formaliter libera. Vnde ex hoc potius retorqueri potest ratio contra ipsos: quia si anima etsi media virtute formaliter libera, et actiua ex ipsa derivatur, concurrat, ad suc formaliter libera non dicitur, quanto minus potentia solum passiue recipiens virtutem infusam, et nec radicaliter, nec formaliter cum illa actiue concurrit.? =

Denique assertio nostra confirmatur: quia si charitas esset adequata ratio agendi, sequeretur quod etiam posita, in quouis alio subiecto extraneo, cum solo generali concursu poterit actus charitatis ellicere, consequens est impossibile; ergo. Probatur maior; quia quando vna causa est omnino adequata ad aliquem effectum in vno subiecto, si in aliud subiectum transferatur, poterit cum communi concursu eundem effectum causare, vt calor in igne in aqua, et Eucharistia calefacit cum solo generali concursu. Et quantitas in oppinione s. Thome, eodem concursu conseruat, et substat accidentibus in Eucharistia, quo in substantia panis. Cuius ratio est: quia effectus adequate continetur in virtute illius causę, quę ad causandum tantum existentiam requirit, eiusdemque virtutis est, vbicumque sit. Impossibilitas consequentis patet, quia implicat actus liber, et vitalis, sine vitali concursu nostrę voluntatis, et inde colligimus voluntatem plusquam passiue concurrere; ergo. =

Nec valet respondere, formam non operari in subiecto extraneo, sed in subiecto proporcionato: quia si improportio naturalis, non infert incapacitatem ad recipiendum formam, saltem de potentia absoluta: sic non tollet, quod forma illa operari possit in tali subiecto effectus, quos totaliter in sua virtute continet. Ad quid subiecto inest, nisi vt sit illi operandi ratio: quia omne esse est propter operari, tamquam propter finem. Vnde si medium possibile est, etiam, et finis. =

Dixi ad effectus quos totaliter in sua virtute continet, quia si connotat aliud principium, defectu illius non operabitur in subiecto alieno, et id circo si verbum mentis ponat in lapide, vel actus alias vitalis, vel amor, non erit ibi possibilis intellectio, aut dilectio, non ob defectum solum subiecti, sed propter defectum virtutis vitalis essentialiter requisitę, vt simul cum istis formis operetur. =

Sectio 3ª. Increata Dei virtus, vicem charitatis supplere potest, non tamen de facto id prestat.

Destructo iam opposito fundamento, partis negatiuę, facilis est resolutio scilicet potentiam liberam, aut intellectualem, posse diuinitus eleuari ad suos actus supernaturales, per solam virtutem increatam Dei, vel per ipsum Spiritum Sanctum per attributionem absque infussione habitus, aut qualitatis inherentis. Hęc assertio duplicem sensum, potest efficere, vel quod virtus increata, vera et reali vnione potentię vitali vniatur, in ratione principij productiui, sicut disputatione precedenti dixi, vniri in ratione amoris actualis, vel ita vt tantum quoad operari vniatur, non tamen quantum ad esse; idest cooperando cum illa, et speciali concursu eius defectum supplendo, absque vnione aliqua prauia cum ipsa creatura quantum ad esse: et vtroque isto modo possibilem dicimus talem eleuationem.. De primo constat ex dictis de vnione in ratione amoris actualis, vbi longe maior difficultas erat, propter vitalitatem, ipsi naturaliter debitam; cur non ergo in ratione principij ellicitiui non vitalis =

In secundo sensu evidentior est possibilitas: quia quidquid potest Deus medijs causis secundis, potest se solo facere, quando causa secunda est pure efficiens, non vitalis, aut formalis; sed habitus charitatis est huiusmodi, ergo eius causalitatem potest Deus immediate perse ipsum suplere.

Neque ex hoc inferatur inconveniens supra positum, quod constituatur voluntas in actu primo per solam denominationem extrinsecam a virtute Dei extrinsecus assistente: quia propter hoc probatum supponimus, voluntatem esse, per propriam, et intrinsecam virtutem, vitaliter, et active concurrere partialitate causæ, et totalitate effectus; quia non repugnat, quod ex duabus causis partialiter diversis, una totalis consurgat. Neque unio duarum ad idem causandum, petit unionem utriusque in essendo, ut patet in duobus portantibus lapidem; et in concursu tam generali, quam speciali, quo causa prima cum secunda concurrit: et quando semen virile supplens, cum purissimo Beatissimæ Virginis sanguine corpus Christi formabit; sic ergo in præsenti virtus Dei increata, non ut integra ratio agendi, sed ut complens virtutem inchoatam voluntatis nostræ, poterit ad operandum cum illa concurrere.

Objiciunt viri alias docti, quod hoc esset in hæresim Pelagianam incidere, quod scilicet voluntas virtute naturali, omni supernaturali vi destituta, posset actus supernaturales etiam partialiter efficere, quod communiter Patres, et Concilia damnant, cum affirment, neque initium aliquod, neque dispositionem, quantumvis minimam viribus naturæ adscribi posse, sed facile respondetur, Concilia tantum damnasse, quod natura aliquid posset sine gratia, in ordine ad vitam æternam, quod aiebat Pelagius, nos quæ minime affirmamus, nam partialem hunc concursum, quem naturæ tribuimus, sine gratia eam elevante minime exerceri posse, asseveramus, eamdem ergo naturæ fragilitatem ad supernaturalia patranda humiliter cum Ecclesia fatemur, quia dicere quod voluntas sine gratia ipsi intrinsece unita potest diligere Deum, non est dicere quod se sola, vel absolute sine gratia id possit, sed cum gratia extrinseca eamdem vim habente, ac intrinseca, quæ tam insufficientem supponit naturam, et tam indigentem, ac cum gratia inhærente comparatam.

Urges adhuc: potentias nostras vitales, esse intrinsecas, et immanentes respectu actuum supernaturalium: ergo debent in se ipsis esse intrinsece complete, ac proinde adiutorium extrinsecum divinæ potentiæ essatis non est. Patet consequentia, nam actus cum sit supernaturalis, et immanens essentialiter debet supponere actum primum in eodem genere constitutum, ac proporcionatum: virtus autem Dei, cum sit cum sit omnino extrinseca, nullam potentiæ propositionem confert, sed relinquit illam ut antea erat: ergo sicut antea non erat potens, sic nec postea.

Objiciunt. Potentia sine habitu, non est potens; ergo ut elevetur et reddatur realiter potens, indiget aliqua mutatione intrinseca ex parte ipsius: quia cum denominatio potentis, sit vera et realis, et non sola extrinseca denominatio, per aliquam virtutem intrinsecam de novo superadditam, res quæ antea non erat potens, realiter ac de novo, potens fieri valet.

Respondetur tamen, quod iam propter vitalitatem, et rationem immanentis actus ponimus in potentijs vitalibus, virtutes intrinsecas activas, et receptivas horum actuum, quod vero attinet ad supernaturalitatem, cum pendeat ab habitu infuso, non vitali, nec receptivo, nihil habet unde suppleri nequeat per extrinsecam Dei virtutem. Sicut enim

hic

Nec gratia sanctificans petit potentiam passiuam formaliter supernaturalem, in qua subiectetur, sed satis est illi entitas naturalis potentiæ obedientialis: sic nec actus inmanens supernaturalis petit receptiuum formaliter supernaturale, sed capacitas obedientialis potentiæ entitatiuæ naturalis illi sufficit eleuatione supposita. = Ad probationem fateor, requiri proportionem inter actum primum et secundum, sed actus primus completus, et proporcionatus in casu de quo loquimur, non est sola potentia, sed ipsa prout eleuata et coniuncta diuinæ virtuti: ex vtraque enim constituitur actus primus adequatus, completa que illius proportio. Vnde consequenter, ad vltimum distinguens, concedo, quod vt potentia in se ipsa reddatur de nouo intrinsece, ac complete potens, sit necessaria mutatio intrinseca, ex parte illius. At in nostro casu, potentia, nec antea, nec post eleuationem dictam ponitur a nobis complete potens per se ipsam, sed prout coniuncta virtuti extrinsece, cum qua vnum principium completum efficit: sicut qui ab alio adiutus pondus portat, quod per se solus sustinere non valet. =

Maior difficultas est de facto.

An videlicet Deus, non solum per modum causæ primæ concurrentis simul cum secunda iam supernaturaliter complete eleuata per virtutem illi infusam, sed defectum virtutis intrinsece eleuantis, supplens per suam virtutem increatam inmediate cum illa concurrat. =

Multi affirmant, id de facto contingere, in primo videlicet fidei actu, quo infidelis adultus ad fidem suscipiendam proxime disponitur, et in actu contritionis, quo aliquis in peccato mortali existens, demum ad iustificationis gratiam preparatur. Nam in his casibus, aiunt, primus actus fidei, aut charitatis, non potest efficienter procedere, ab habitu, quia potius est vltima dispositio ad illum suscipiendum prerequisita, ac pro inde prius natura existens, quam habitus: ergo tunc procedit ex diuino auxilio extrinseco, virtute scilicet diuina vicem habitus supplente. = Probant ex D. Thoma 1a p. q. 62. art. 2. ad 3. vbi ait. Triplex est conuersio in Deum. Vna quidem per dilectionem perfectam, quæ est creaturæ iam Deo fruentis, et ad hanc requiritur gratia consumata. Alia conuersio est, quæ est meritum, et ad hanc requiritur habitualis gratia, quæ est merendi principium. Tertia conuersio est, per quam aliquis præparat se ad gratiam habendam, et ad hanc non exigitur aliqua habitualis gratia, sed operatio Dei ad se animam conuertentis. Vt Thren. vltimo dicitur. Conuerte nos domine ad te, et conuertemur. Vnde patet, quod non est procedendum in infinitum. In quibus verbis ponderandum est quod D. Thomas, dispositionem ad gratiam, ait aperte, non procedere ex habitu, sed ex operatione Dei ad se animam conuertentis: operatio autem Dei, ex eius increata virtute simul concurrente procedit. =

Sed quidam, admisso antecedenti, quod primus actus fidei, aut charitatis, non possit ab habitu produci, eo quod sit previa dispositio ad illum, negant consequentiam: quod scilicet a gratia Dei extrinseca, et increata procedat, sed aiunt, Deum infundere qualitatem in potentem intellectui, seu voluntati per modum principij formalis intrinseci, vicem habitus supplentis. Quod probant, ex D. Th. 1a 2æ. q. 109. art. 6. vbi ait, quod duplex est preparatio voluntatis humanæ ad bonum. Vna quidem qua preparatur ad bene operandum, et ad Deo fruendum; et talis preparatio non potest fieri, sine habituali gratiæ dono, quod sit principium operis meritorij. Alio

modo

modo potest intelligi præparatio voluntatis ad consequendum ipsum gratiæ habitualis donum. Ad hoc autem quod homo se præparet ad susceptionem huius doni, non oportet præsupponere aliquod aliud donum habituale in anima: quia sic procederetur in infinitum, sed oportet præsupponi aliquod auxilium gratuitum Dei interius animum moventis, sive inspirantis bonum propositum. Ecce quomodo auxilium ab habitu diversum explicet internum esse, et in anima receptum, et non extrinsecam, et increatam Dei virtutem. =

Utraque tamen sententia mihi non probatur, nec quantum ad id inquo utraque convenit, nec quantum ad id inquo posterior priorem impugnat, quod nec D. Thomæ, nec ipsi veritati consonat. Nam quod attinet ad S. Thomam præter habitus infusos, nullibi qualitates inhærentes phisice operativas admittit, sed omnem gratiam operativam in actualem, et habitualem distribuens, actualem charitatem non esse: sed motum animæ, prout a Deo, vel operationem Dei auxiliantis expresse docet. Præter verba primæ partis adducta a priori sententia, in quibus tale auxilium operationem Dei vocat, legatur 1a. 2æ. q. 110. Art. 2 ubi sub expresso titulo quærit, utrum gratia sit qualitas animæ? et supponit quod dupliciter intelligi potest gratia, seu gratuitus effectus. Uno modo in quantum anima hominis movetur a Deo, ad aliquid cognoscendum, vel volendum, vel agendum, et hoc modo ipse gratuitus effectus in homine non est qualitas, sed motus quidam animæ etc.a Alio modo adiuvatur homo ex gratuita Dei voluntate, secundum quod habituale donum a Deo animæ infunditur: et hoc ideo; quia non est conveniens, quod Deus qui creaturis naturalibus sic providet, ut non solum moveat eas ad actus naturales, sed etiam largiatur eis formas, et virtutes quasdam, quæ sunt principia actuum, et sic etiam non provideat his quos diligit ad supernaturale bonum habendum. Et de hac tandem concludit, quod sit qualitas formalis. Virtus, articulis sequentibus, nescio quid clarius loqui potuit, præsertim in suo proprio fonte et loco, ubi præter habitus seu virtutes infusas nullas alias qualitates phisice operativas ex parte creaturæ agnoscit, sed tantum motus, seu operationes, quibus Deus cum creatura concurrit inmediate, inmediatione virtutis, et suppositi. = Nec est credibile, quod tam impropriè S. Doctor fuerit loqutus, sicut aliqui exponunt, quod qualitatem usurpaverit pro permanente, et motionem dixerit qualitatem cito transeuntem, credi hoc posset si obiter extra rigorosam disputationem alibi id diceret: sed ubi ex professo quærit, utrum sit qualitas? utrum sit virtus? et cætera prædicata essentialia, (nam quæstio est de essentia gratiæ) quo pacto potuit absolute negare quod sit qualitas, absque distinctione, aut addito diminuente; aut denotante methaphoram, si in omni proprietate, et rigore qualitas est? ille præsertim qui scholasticum, et methaphisicum loquendi modum semper coluit. Et in quæstione de essentia rei, quomodo uti potuit methaphora? Legatur rurius q. 112. Art. 2 et 3. et alibi sæpe, ubi semper repetit huiusmodi auxilium actuale, tantum motionem, seu operationem Dei esse. =

Nec contradicit sibi, alias dicenti hanc motionem, esse auxilium Dei interius, animam moventis, sive inspirantis bonum propositum: quia non pugnant inter se hæc duo: quod virtus phisice operans sit ipsa omnipotentia, et quod actualis eius motio, seu operatio sit intrinsece in ipsa anima, tanquam in mobili. Est item ex 1a. 2æ. observandum huiusmodi auxilium actuale, ab habituali distinctum duplex esse. Aliud pure phisicum, et hoc non est aliud quam concursus, seu operatio qua Deus simul cum creatura concurrit ad opera supernaturalia, sive supplendo vicem habitus, per suam increatam virtutem, (de quo postea) sive ad modum causæ proximæ supponentis virtutem completam in causa secunda, et tantum

tantum ad actualem eius operationem eam moventi. Aliud vero esse auxilium moraliter influens seu inducens ad supernaturale opus; qualis est congrua cogitatio, aut interna operatio, et utrumque genus comprehenditur sub auxilio actuali, et hoc posterius, et si qualitates verbi, et amoris secum involuat, ut rationes intelligendi, et volendi, hoc est quasi materialiter, formaliter autem sunt de genere actionis immanentis, quae verae actiones sunt in schola thomistica phisice loquendo, sed quia non omnes id admittunt, satis nobis sit, quod moraliter, in quo genere auxilia dicuntur, verae et propriae motiones sint, et non principia aut virtutes phisice operativae, de quibus opposita sententia agit, et ex doctrina D. thomae educere conatur absque ullo fundamento cum excitationes congruae, et inspirationes non sint virtutes, aut qualitates phisice activae. Haec quoad mentem S. thomae, quae postea magis ellucidabitur. =

Ratione item probatur, quod omnis qualitas, aut forma inhaerens, vicem habitus supplens, eo ipso habitus sit, ac proinde non possit consistere, in ea auxilium actuale, quod S. thomas auxilio habituali contraponit, sed in actione, aut motione dicta. Ratio huius est. Nam omnis qualitas intrinsece inhaerens ut principium ellicitivum supernaturalis dilectionis, aut assensus fidei, est essentialiter habitus charitatis, aut spei, aut fidei, siquidem eundem actum, et obiectum specificativum respicit, convenitque ei essentialiter tota charitatis, aut fidei definitio et specificatio, quam non aliunde colligimus, quam ex actu, et obiecto, ergo non potest intelligi talis qualitas idem faciens, quod virtus, et habitus infusus, et quod habitus, et virtus infusa non sit; sicut non potest sapiens non esse, qui sapientiae opera exercet. =

Confirmatur ex definitione habitus, quam tradimus communiter: est affectio potentiae activae, ut talis est, subditaque usui liberi arbitrij: habitibus enim utimur, cum volumus. Item ex definitione virtutis infusae ab Augustino tradita, ab omnibusque recepta. Est bona qualitas mentis, qua nullus male utitur, qua recte vivitur, qua Deus in nobis, sine nobis operatur: quae tota ad litteram quadrat, huic qualitati, quam oppinio opposita introducere nititur: est ergo habitus, et virtus infusa.

Respondent, hanc qualitatem differre essentialiter ab habitu, quia illa datur per modum dispositionis ex natura sua transeuntis, hic vero est permanens, et difficile mobilis ab intrinseco, illa confertur ad hunc, vel illum numero actum, habitus vero ad plures sine numero. Sed inprimis ex hoc discrimine, solum licebat inferre, quod duplex sit fides, aut charitas essentialiter diversa, quaedam cito transiens; et quaedam diu permanens, utraque tamen uniusce, in ratione fidei, seu charitatis conveniens, eo quod tota deffinitio relata utrique competit, ut dictum est. =

Sed quod nec tale discrimen essentialiter sit, probatur facile. Nam sunt differentiae essentiales qualitatis, sed pertinentes ad praedicamentum durationis, quae accidens est, aliis generibus, praesertim quando non oritur ex radice aliqua essentiali rei, quae in praesenti minime assignari potest ab oppositis authoribus. Unde enim probant, quod haec qualitas sit cito transiens ex natura sua. Potius enim oppositum demonstratur: nam esset qualitas spiritualis, et incorruptibilis ex natura sua, siquidem nullum haberet contrarium, nec causam aliquam, per cuius actionem posset expelli. Nec penderet ab actuali attentione, vel influxu vitali subiecti, nec haberet connexionem essentialem cum aliqua operatione, quae cito transeat, sicut rubor, qui nascitur ex verecundia. Melius ergo dicendum, ideo huiusmodi auxilium esse ex natura cito transiens, quia in operatione consistit, et non in qualitate, aut ratione principij. Et propterea

etiam

etiam gratia actualis vocatur, quia tantum per modum actus suum auxiliandi munus exercet. =

Minus urget secundum discrimen: quia solum ex intrinseca intentione Dei infundentis oriri potest, non ex intrinseca limitatione talis virtutis auxiliatricis. Nam co ipso quod habet vim sufficientem ad exercendum actum fidei, aut dilectionis Dei super omnia, habet tamdem efficaciam, et inclinationem ad omnes actus illius speciei, saltem in ea mensura quantitatis gradualis, in qua est virtus auxilij. Ratio est: quia virtus non specificatur a ratione individuali actus, vel obiecti, sed a ratione specifica: fides enim, etiam ex tali auxilio procedens, non movetur ad credendum, quia est de hoc singulari obiecto, vel sub hac numero revelatione expressa, sed quia Deus revelavit, qui est prima, et infallibilis veritas: ergo quidquid revelaverit, credet ex vi huius motivi. Similiter, dilectio Dei super omnia expresse, in quovis actu, omnes occasiones possibiles comprehendit, ac proinde omnes actus illius speciei. Quinimo cum ratio individualis sit incognita, nulla potest esse in voluntate specialis inclinatio ad illam; quia nihil volitum, quin precognitum: ideoque determinatio individuorum tam illius, quam cuiusvis alterius causae, ad primam causam reducitur; quia causa secunda ad omnia individua suae speciei, est prorsus indifferens, solumque respicit per suam actionem, ut terminum formalem, et finem per se intentum, formam specificam termini totalis, in qua illi assimilatur, et specifice convenit sua virtus, seu ratio agendi, non vero differentiam individualem, in qua effectui est dissimilis, et incommunicabilis. =

Sectio 4ª. Omnis actus substantialiter supernaturalis a suo proprio habitu infuso de facto procedit.

Contra utramque ergo sententiam relatam, vel contra utrumque modum explicandi tamdem sententiam hanc conclusionem statuo de omni actu supernaturali ut fidem, spem, et charitatem comprehendam, quam docuit sine dubio D. Thomas (quidquid opposita oppinio reclamet) locis citandis. Ubi Caietanus, praesertim, q. 113. art. 8. et Medina, Valentia 1.2. disp. 8. q. 5. puncto 6. Basquez disp. 211. Suarez 2a.2. disp. 11. dub. 3. Gaspar Hurtado, disp. 5. de fide difficultate 4. et disp. 1a. de charitate. difficultate 8. et alij. =

Unica, et fundamentalis nostri asserti ratio est: quia ordo supernaturalis semper naturali acommodatur, inquantum commode fieri potest (nam ut ait S. Thomas infra, q. 49. art. 5.) si natura non deficit in necessarijs, multo minus gratia, sed ordo suavis et connaturalis rerum postulat, ut effectus a suis causis secundis creatis, et proporcionatis procedant; et alias actus supernaturales fidei, spei, et charitatis proprias virtutes infusas habent, a quibus tam quam a principijs connaturalibus, et proprijs eliciantur, ut fatentur omnes: ergo ab hac generali regula excipi non debent primi actus, si commode, et sine inconvenienti cum caeteris comprehendi possunt, de quibus est eadem ratio. Consequentia patebit solvendo postea inconvenientia, quibus opposita oppinio convincitur ad discrimen inter primos, et caeteros asserendum. Maior est generalis, et theologorum regula ex qua multa concludunt in rebus supernaturalibus, ad modum rerum naturalium, semper illas exponentes, quoties urgens ratio ad discrimen inter eas non apparet. =

Confirmat que S. Thomas q. 110. art 2 ibi: quia non est inconveniens, quod Deus minus provideat his, quos

quos diligit ad supernaturale bonum, habendum, quam Creaturis, quas diligit ad naturale bonum, Creaturis autem naturalibus sic providet, ut non solum moveat eas ad actus naturales, sed etiam largiatur eis formas, et virtutes quasdam, quæ sunt principia actuum, ut secundum seipsas inclinentur ad huiusmodi motus, suaviter scilicet, et connaturaliter ett.a Multo igitur magis illis, quos movet ad consequendum supernaturale bonum, et æternum infundit aliquas formas, seu qualitates supernaturales, secundum quas suaviter et prompte ab ipso moveantur ett.a

Hanc doctrinam universaliter, et absque ulla exceptione primi et secundi actus, repetit illis locis, præsertim q. 109. Art. 6. ubi ait: quod duplex est præparatio voluntatis humanæ ad bonum. Una quidem qua præparatur ad bene operandum, et ad Deo fruendum: et talis præparatio non potest fieri, sine habituali gratiæ dono. Hæc universalis negativa: Non potest fieri sine habituali gratiæ dono. omnem exceptionem primi actus excludit.

Dices: loquitur de operibus meritoriis, ut patet ex verbis immediate subiunctis. quod sit principium operis meritorii. Primi autem actus fidei, et charitatis meritorii non sunt: ergo. Sed quod attinet ad primum charitatis, seu contritionis actum, quo disponitur peccator ad gratiam habendam. Respondet S. thomas q. 112. eiusdem primæ secundæ Art. 2. ad 1.m quod licet talis dispositio non sit meritoria gratiæ, est tamen meritoria gloriæ, loquendo sit in eodem instanti ab ipsa gratia habituali procedens, verba eius sunt. Præparatio hominis ad gratiam habendam, quædam est simul cum ipsa infusione gratiæ, et talis operatio est quidem meritoria, sed non gratiæ, quæ iam habetur, sed gloriæ quæ nondum habetur: ergo contritio (de qua est principalis controversia cum oppositis Authoribus) cadit absolute sub operibus meritoriis, ac proinde indiget habituali gratiæ dono, secundum mentem D. thomæ.

Solum ergo est difficultas, de primo fidei, aut spei actu, quando prius tempore iustificationem antecedunt, in quo casu non merentur. Sed cum in cæteris locis D. thomæ citatis, et citandis, etiam 110. sequenti universaliter loquatur, imo etiam maiori assumpta in hoc loco universaliter dicat, una quidem qua præparatur ad bene operandum, absque restrictione ad opus meritorium, credendum sine dubio est, tantum obiter addidisse in minori, quod sit principium operis meritorii, loquendo per se loquendo, semper huiusmodi opera meritoria sunt, per accidens tamen, contingit ex indispositione subiecti nondum se perfecte disponentis, quod prius illi infundatur fides, quam gratia, et ~~fides~~ charitas, et quod in eo casu opera fidei meritoria non sint, cum tamen dicat Concil. Trident. sess. 6. Cap. 7. hæc omnia simul infusa accipit homo; et ett.a

Est item manifesta instantia, q. 111. art. 2. ubi auxilium actuale dividens in gratiam operantem, et cooperantem, concludit. Si igitur gratia accipiatur pro gratuita dei motione, qua movet nos ad opus meritorium, convenienter dividitur gratia per operantem, et cooperantem. Hæc D. thomas, sed negari non potest, etiam in ordine ad opera supernaturalia non meritoria dari gratiam operantem, et cooperantem, tam secundum veritatem, quam secundum D. thomam: ergo particula illa ad opus meritorium, non ponitur ad restringendum, sed exempli gratia, vel quia per se, aut in plurimum sic contingit.

Præterea, fatentur Adversarij ipsi, actus fidei et spei informes in peccatore iam fideli procedere a suis proprijs habitibus, etiam si tunc opera meritoria non sint, ut suavi et

connaturali

et Connaturali ordini consulant, et quia tunc commode seruari potest: ergo etiam in cęteris casibus, si sufficienter soluantur, quę ipsi reputant inconuenientia, alijs proprijs et connaturalibus principijs ea prodire dicendum est.

Si tamen hęc testimonia ad hęc aduersarijs non videantur expressa, alia euidentiora illis obijcere possumus. q.e enim 113. art. 8. art, quod in iustificatione impij naturali ordine, primum est gratię infusio; secundum motus liberi arbitrij in Deum; tertium est motus liberi arbitrij in peccatum; quartum vero est remissio culpę, naturali ordine inquit, quia quodcumque agens ad hoc inducit formam in passum, vt sit illi ratio operandi, et quia gratia est forma, quę est principium operum, quibus homo conuertitur in Deum per fidem, et amorem, et auertitur a peccato, id circo ad illa supponi debet. Nec excipit ab hac vniuersali regula dispositiones: nam infert ex illa: ipsa igitur Dei mouentis motio, est gratię infusio: motus autem, vel dispositio mobilis est duplex motus liberi arbitrij: terminus autem, vel finis motus est remissio culpę. Et ideo naturali ordine, primum in iustificatione impij est gratię infusio: secundum motus liberi arbitrij in Deum, et in peccatum etc.; Et art. 7. art, tota iustificatio originaliter consistit in gratię infusione: per eam enim et liberum arbitrium mouetur, et culpa remittitur. Loquitur autem in toto illo articulo, de motu liberi arbitrij, qui est dispositio proxima ad iustificationem, simulque cum illa integrum motum conuersionis ab statu peccati, ad statum iustitię, constituit (vt statim magis declarabo.)

Super verba articuli 8. aduertit optime Cajetan. quod licet in alijs actionibus, formis, et dispositionibus naturalibus agens diuersa actione disponat materiam, et diuersa actione inducat formam: at in iustificatione impij, eadem est actio inductiua formę et dispositiua subiecti. Cuius specialis ratio est, quia gratia operatur vtroque modo, et per modum liberi arbitrij disponentis subiectum, et per modum naturę; hoc est vt forma non tantum phisica, sed etiam moralis (vt magis materia de iustificatione explicaui) constituit enim hominem, non tantum phisice gratum, et proporcionatum obiectum, ac subiectum diuinę amicitię, sed etiam moraliter dilectum, et diligentem Deum, moraliter a peccato auersum, et ad Deum conuersum: nam mutatio hęc, et translatio ab statu inimici ad statum amici, ab iniusto ad iustum, in qua vtraque ratio et phisica, et moralis inuoluitur: vtraque ergo ratio illi vt radici tribuitur, ac proinde causalitas in actus, ex quibus talis moralitas consurgit.

Per hoc obiter soluitur difficultas quam mouet Vasquez disp. 211. cap. 3. quare constituat S. thomas motum liberi arbitrij, medium inter infusionem gratię habitualis, et remissionem peccati, cum gratia, et peccatum immediate opponantur, et ad expulsionem huius satis sit sola inductio formę oppositę, quę non indiget medio aliquo ad contrariam expellendam. Respondetur enim, omissis alijs dicendi modis hanc oppositionem, non esse pure phisicam, ex sola phisica entitate gratię causatam; sed simul ex moralitate, qua talis forma superinduitur, inuoluit enim, et connotat ex parte Dei liberam condonationem, sine qua remissio offensę intelligi nequit, et ex parte hominis auersionem a peccato, et conuersionem ad Deum; ideoque talis motus liberi arbitrij non solum disponit subiectum, sed complet moraliter formam in ratione formę, vt sit integre expulsiua peccati, et hominem ad Deum conuertens, amicumque

illius

illius redens. =

Secunda ratio principalis huius asserti. ~

Hinc autem colligitur optima alia, et principalis ratio pro nostra conclusione, quare scilicet hi actus liberi arbitrij ad iustificationem proxime disponentes debeant a b ipsa gratia, seu iustificationis forma tamquam a principio procedere. Quia videlicet gratia habitualis, est unica, et integra iustificationis forma, (ut docet Concil. Trident. sess. 6. de iustificatione. cap. 7.) ac proinde illi ut radici, et principio debentur effectus, qui principaliter formae iustificanti tribuuntur; Alioquin si tales effectus simul ab alio principio procederent, non unica, sed duplex esset iustificationis forma ut ex se notum est. Tunc sic; sed actus liberi arbitrij in Deum, et in peccatum de quibus loquimur, essentialiter pertinent ad consummatam, et perfectam iustificationem, et non tantum dispositive: ergo procedunt a gratia tamquam a radice, et ab eius virtutibus tamquam a principijs proximis. Alias integra forma iustificationis non esset. =

Ad declarationem minoris huius discursus suppono ex materia de iustificatione quod sicut quaelibet prima forma, quae habet modum naturae, non est ex se inmediate operatiua, sed tantum per modum radicis, neque tribuit subiecto, integram denominationem suam, et perfectionem in ordine ad consequendum suum ultimum finem, nisi medijs potentijs, et operationibus realiter distinctis a se pullulantibus: Natura rationalis v.g. etsi in ratione naturae, et radicis completa dicatur, completur tamen licet extra lineam naturae, per suas potentias, intellectum scilicet, et voluntatem, et per earum operationes a quibus ultimam suam perfectionem, et actualem coniunctionem accipit cum suo ultimo fine. Unde integra, et totalis denominatio rationalis ex his omnibus coalescit, et non ex sola natura, quae tantum est radix remota ad ratiocinandum, non autem principium formale proximum, nec actualis ratiocinatio nisi per proprietates, et affectiones ex tali radice manantes. Sic gratia habitualis, quae in ordine supernaturali prima forma est, et modum naturae diuinae participans, licet in ratione radicis, et intra conceptum naturae completa, et unica dicatur iustificationis forma, non confert tamen se sola, integram denominationem, et totalem perfectionem iustificationis, et habitudinem consummatam, ad suum ultimum finem, nisi medijs virtutibus infusis, earumque operationibus, a quibus talis natura, seu radix completur, et perficitur, licet extra conceptum, et lineam naturae, tribuitur tamen ipsi tota haec perfectio accidentalis, quia extra tandem tamquam ex radice pullulat. =

Unde consequenter ad hoc dicendum est, quod licet in ratione primae formae, seu naturae, integram, et unicam iustificationis formam homo accipiat per gratiam ut docet Concil. Trident. sess. 6. cap. 7. loquendo tamen de perfecta, et consummata iustificationis ~~forma~~ ratione, non habetur ex gratia sola, habituali, sed ex omnibus virtutibus et operationibus illi annexis: ac proinde iustificatur formaliter partialiter homo etiam per habitus, et actus fidei, et spei, et charitatis, ut satis constat ex eodem Concilio, in illis verbis: in iustificatione, haec tria simul infusa accipit homo; fidem, spem, et charitatem, Et addit rationem: Nam fides, nisi ad eam spes accedat, et charitas, neque unit perfecte cum christo

Neque

neque Corporis eius viuum membrum facit. Supponit ergo fidem partialiter ex se mire, et ius tificare. =

Ex his probatur facile Minor illa: Nam actus Charitatis, et Contritionis Complent iustificationem in Adultis. (de his loquimur) ergo procedunt ab ipsa gratia tamquam a radice, et ab eius virtutibus, tamquam a principijs proximis, vt declaratum est. =

Dices, hoc esse verum de actibus, qui iustificationem consequuntur, quia sunt effectus secundarij illius, Non vero de dispositionibus antecedentibus illam, quia potius habent rationem causæ, quam effectus. quod confirmat Concilium tridentinum, sess. 6. cap. 6. et 7. vbi detestationem peccati, et dilectionem Dei inter dispositiones iustificationem antecedentes, enumerat. Et sess. 14. cap. 4. idem ait de Contritione perfecta, quæ omni tempore fuit necessaria etiam extra sacramentum, ad impetrandam veniam peccatorum: ergo. =

Sed idem Argumentum opponit Contra se S. Thom. art. illo 8. obijciens secundo: dispositio præcedit Naturaliter formam ad quam disponit, sed motus liberi arbitrij est quædam dispositio ad susceptionem gratiæ: ergo naturaliter præcedit illam. =

Cui respondet in Corpore, et ad secundum, esse in re omnino simul cum iustificatione hanc dispositionem; ac proinde esse magis Concomitantem, quam antecedentem, Compati autem cum hac omnimoda simultate, in eodem instanti mutuam prioritatem seu dependentiam originis, seu naturæ, quæ dicitur prioritas a quo, vt statim exponam. =

Quomodo Contritio perfecta ad iustificationem se habeat

Gaspar Hurtado, Citans Balquez, et alios respondet, negando Contritionem perfectam, quæ charitate formatur, esse dispositionem ad gratiam, sed illam potius supponere, aut accidentaliter complere, et consequenter ad hoc exponit illud Lucæ: remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. De remissione quantum ad pœnam peccatis debitam, quæ subsequuta est ad exercitium dilectionis Magdalenæ iam iustificatæ. vel a posteriori ostendere eximiam dilectionem Magdalenæ esse indicium, remissa esse illi multa peccata. = Et ad tridentinum respondet loqui de Contritione imperfecta, non charitate formata. =

Sed hæc doctrina est Contra D. Th. multis in locis, præsertim 1a. 2æ. q. 112. art. 2. ad 1um. 3. et q. 113. art. 7. et 8. et Contra Communem sententiam, paucis exceptis: Et licet verba Lucæ torqui versari possint Concilio magna violentia infertur, in quo aperte est sermo de Contritione etiam, quæ extra sacramentum necessaria est ad iustificationem, vt probat argumentum. Potest autem doctrina hæc, cum nostra Conciliari, negando quod sit dispositio in rigore phisico, dum tamen talis dicatur in genere moris. =

Ad quod intelligendum obseruare oportet, Contritionem, et charitatis actus et si aliquam proportionem phisicam habeant cum veris dispositionibus, magis esse dispositiones morales, quam phisicas. Nam forma permanens, qualis est gratia, non potest pendere, tamquam a dispositione phisica ab actu cito transeunte, eo enim ipso quod actus transit, et forma permanet, est indicium certum, non esse rigorosam dispositionem: Nam vt generali inductione constat, forma pendet in fieri, et conseruari, a suis dispositionibus, adeo, vt his expulsis a subiecto, statim pereat illa. Id circo non experimur alium modum introducendi vnam formam, et expellendi aliam, quam per dispositiones vnius

alterius

alterius dispositiones removendo; sed variato motu liberi arbitrij, remanet gratia adhuc in adultis, et in infantibus etiam si talis motus non praecesserit: ergo cum phisica natura gratiae sit eiusdem rationis, in utrisque, manifestum est, dependentiam phisicam ex tali motu non habere, sed aliam generis valde diversi. =

Haec autem est moralis, quatenus primo inducit consensum, et acceptationem divinae amicitiae, et spiritualis connubij; quod per iustificationem contrahitur, et principaliter intenditur, et secundo quatenus a subiecto removet moralem indispositionem, quam relinquit peccatum, quod perfecte per contritionem retractatur. quia sicut peccatum fuerat aversio a Deo, et conversio inordinata ad creaturam, et propter hoc tamquam per dispositionem contrariam gratia a subiecto expulsa: sic contritio illi directe opposita est conversio ad Deum, et aversio a creatura illa inordinate concupita, ratione cuius removetur indispositio subiecti, et ad formam iustificationis disponitur. =

Sed hinc constat secundo dicendum, hanc dispositionem esse magis concomitantem iustificationem ipsam, quam praevenientem, ac proinde ab ipsa iustificationis forma, ut a radice procedere: quod sic declaro: quia huiusmodi dispositio (ut dixi) essentialiter pertinet ad perfectum iustificationis conceptum in adultis, nec sine illa intelligere possumus multa, quae gratiae iustificanti, in primo instanti suae infusionis tribuimus: ergo ipsi tamquam formae, et radici, talis dispositio tribui debet, sicut et completa iustificatio. Consequentia patet, et probatur antecedens: nam effectus, qui principaliter gratiae tribuuntur, tamquam iustificationem ~~tribuentes~~ constituentes, aut complentes, sunt animam reddere Deo amicam, reconciliare, unire, et desponsare cum Deo, eius peccatum expellere, et aversionem ad Deumque convertere, quae omnia verificare nequeunt formaliter, et proprie loquendo per solam infusionem phisicae entitatis gratiae. Nam amicitia est formaliter mutuus utriusque consensus, similiter et desponsatio, ac reconciliatio, ac proinde eatenus tribui potest gratiae, quatenus est radix, et fundamentum talis amicitiae, connotans simul cum consensu liberi arbitrij nostri redamationem ex parte Dei ipsi per se annexam, et debitam. =

Eadem proportione habet vim expellendi peccatum; prout ex parte Dei condonationem, ex qua procedit, connotat, et ex parte hominis contritionem, seu peccati detestationem: per hanc enim malitia, et per illam iniuria procul pellitur. Conversio item ad Deum et aversio a peccato actus nostros proprie, et formaliter significant, et habitui gratiae solum ut virtuti, aut radici possunt attribui: ergo haec dispositio proxime ad iustificationem disponens, est, simul eam constituens, et complens, ac proinde est magis comitans, quam antecedens dispositio; magis effectus, quam causa infusionis gratiae, licet etiam mutua ~~dispositio~~ sit dependentia, ut cum D. Th. statim exponam. =

Propter hoc dixi ex materia de iustificatione, gratiam esse formam partim phisicam, et partim moralem, cum enim sit participatio divinae naturae, et haec plene imitari non possit, nisi in gradu satis diminuto, supplet Deus per se ipsum, quod non potest communicare per ipsam gratiam: ideoque constituit filium Dei per ipsam, quatenus est quaedam natura Dei participata; et quia talis natura adhuc est insufficiens, constituere filium Dei naturalem, supplet id per adoptionem voluntatis suae, et facit filium adoptivum. Similiter, quia non est sufficiens se sola expellere peccatum (quis enim potest dimittere peccata nisi solus Deus) praestat id per suam condonationem connaturaliter illi debitam. Eadem

ratione

ratione, quia sola entitas phisica gratiæ, non potest amicam, et sponsam animam constituere, connotat, et inuoluit secum moralem consensum Dei, et creaturæ. In omnibus tamen sibi euentibus, ipsa est radix cui omnes isti effectus tribuuntur, vel quia efficiuntur ab ipsa, vel quia intuitu illius a Deo supplentur, tamquam ipsi annexi, et connaturaliter debiti. qui enim ipsam diuinitatem, vt causam necessario petunt, a Deo fiunt vt dixi: cæteri autem quibus viribus creata satis est formæ iustificanti, negari non possunt. Docet iterum, atque iterum S. thomas vt patet ex art. 7. citato, quæstionis 113. vbi ait tota iustificatio impij, originaliter consistit in gratiæ infusione: per eam enim liberum arbitrium, mouetur, et culpa remittitur. Neque potest exponi gratiæ infusio, de auxilio speciali, vt ex contextu articuli 7. et 8. euidenter constat. =

Sectio quinta. Exponitur locus difficilis sancti Thomæ, soluunturque alia.

Non obstantibus locis tam manifeste adductis, pro sententia nostra, opposita adhuc illum contendit, in sui patrocinium adducere. Nam 1a. 2æ. q. 109 art. 6. distinguit ipse duos modos influendi in actus supernaturales, et primum tribuit gratiæ habituali respectu operum quibus condigne meremur vitam æternam; et secundum auxilio gratuito respectu dispositionum ad gratiam, sicque vitat processum in infinitum, recurrendo ad auxilium gratuitum, a quo procedit præparatio ad gratiam, non ad mutuam causalitatem, seu dependentiam dictam. verba eius sunt. Vtrum homo possit se ipsum ad gratiam præparare, absque exteriori auxilio gratiæ? Et respondet. quod duplex est præparatio voluntatis humanæ ad bonum. Vna qua præparatur ad bene operandum, et ad Deo fruendum; et talis præparatio non potest fieri, sine habituali gratiæ dono, quod sit principium operis meritorij: Alio modo potest intelligi præparatio voluntatis, ad consequendum ipsum gratiæ habitualis donum. Ad hoc autem quod se præparet homo, ad susceptionem huius doni, non oportet præsupponere, aliquod aliud habituale donum in anima; quia sic procederetur in infinitum: sed oportet præsupponi aliquod auxilium gratuitum Dei, interius animam mouentis, siue inspirantis bonum propositum. Ecce quomodo processum infinitum vitat, per auxilium, et non per mutuam causalitatem, quod est signum eam negasse. =

Sed quod S. Doctor mutuam causalitatem docuerit, negari non potest ex q. 113. adductis, et quod infusionem gratiæ præcedat motum liberi arbitrij in Deum, et in peccatum: hoc enim tantum indigent lectione litteræ, vt probetur, vnde si argumentum ex q. 109. conuinceret, probaret, ibi oppositum dixisse, et postea sectionibus sequentibus, retractasse. Sed neque hoc demonstratur, sed tantum obscure loquutum obnimiam vrebitatem. Hæc enim est consuetudo doctoris sancti, paulatim res exponere per diuersas quæstiones et articulos, quia sub breuitate vnius articuli, non potest tota rei difficultas exhauriri. Et ideo q. 109. art. 6. citato, tantum satisfacit, titulo articuli, quod sine gratia non possit homo, se præparare ad gratiam, et quod inde non sequatur processus infinitus, abstrahendo a tunc a modo quod id fiat. Et id circo, vt optime notat Balencia citatus

dit S. th.

ait S. Thomas in verbis relatis. Ad susceptionem huius doni, (scilicet habitualis) non oportet præsupponere aliquod aliud habituale donum in Anima; quia sic procederetur in infinitum. Ut non excludat, quod postea in q. præsertim 113. declarandus erat, quod scilicet ab eodem habituali præparatio fiat. Nec obstant verba immediate sequentia: sed oportet præsupponi aliquod auxilium gratuitum Dei interius Animam mouentis, siue inspirantis bonum propositum. Non enim adducit illa, ut vitet processum infinitum (ergo opposita opinio decipitur) sed postquam sufficienter demonstrauit, quod ad susceptionem habitualis doni, non prærequiritur aliud habituale donum, quia sic procederetur in infinitum, ait semper tamen debet præsupponi auxilium gratuitæ illustrationis, seu inspirationis; nam huius modi auxilia moraliter excitantia, tam ex parte intellectus, quam ex parte voluntatis, numquam excusantur, et si adsit habitus, et sufficiens virtus phisice operatiua. Unde sensus D. Thomæ non requiritur alius habitus, nec procedatur in infinitum, requiritur tamen semper aliud auxilium excitans, seu inspirans, siue talis præparatio ab habitu procedat, siue aqualitate inhærente per modum principij cito transeuntis, siue a virtute increata Dei inmediate cum Creatura concurrente, ab omnibus his dicendi modis tunc abstrahit, ut dixi.

Reuera in hoc negotio allucinari videntur Authores oppositi, non distinguentes, inter auxilia phisice, et immediate operantia, et inter moraliter excitantia, quæ virtutem etiam supernaturalem phisice operatiuam, supponunt, et de his posterioribus, loqui S. Th. indicant illius verba. Auxilium gratuitum interius mouentis, seu inspirantis bonum propositum. Cum ergo hæc posteriora non excludant priora sed potius supponant, et ad operandum excitent, non potuit vitare S. Th. processum infinitum supplendo vicem habitus per auxilium excitans, aut inspirans; nam hæc etiam simul cum habitu necessaria sunt, et sine illo, aut eius vicem supplente, satis non sunt.

Non derogat libertati Contritionis, quod gratia habitualis causet illam.

Arguit insuper sententia opposita: quod tollatur libertas Contritionis si a gratia, ut causa procedat. Ratio est: quia gratia non est natura sua indifferens ut componatur cum peccato mortali, et eius carentia: ergo nec est indifferens, ut componatur cum Contritione, et eius carentia: nam omissio Contritionis est, simul cum permanentia peccati; et Contritio arguit infallibiliter carentiam peccati: ergo necessario, et non libere Contritio elicitur, posita gratia, ut causa illius, sicut eadem necessitate ponitur carentia peccati illam comitans. Patet hæc ultima consequentia: quia actus liber est ille qui positis omnibus requisitis ex parte causæ, potest fieri, et non fieri; sed posita gratia et charitate, non potest non esse Contritio, sicut nec potest non esse carentia peccati ab ea causata: ergo necessario, et non libere orta est, quod est absurdum.

Respondetur simile argumentum fieri de scientia, de prædefinitione absoluta actus liberi, et de auxilio efficaci; posita enim scientia, et decreto efficaci Dei de Contritione Petri, si Contritio non sequatur, frustratur diuinum decretum, et fallitur scientia: ergo

qua

qua necessitate scientia Dei falli non potest, nec frustrari eius voluntas, eadem non potest non esse contritio: ergo necessario et non libere fit. Cui respondere solet, quod potius frustraretur utraque, si contritio libere non fieret; quia respiciunt contritionem, non ut cumque, sed ut liberam, et consequenter simul cum ipsa contritione respiciunt, potestatem quam habet potentia libera exercendi oppositum. Unde hec consequentia est nulla: carentia contritionis esset frustratio divini decreti; ergo potentia faciendi oppositum contritionis, est potentia frustrandi divinum decretum: nam utrumque postulat divinum decretum, ad sui veritatem, et futuritionem contritionis, et potestatem ad oppositum. Componitur autem bene cum potestate, et libertate absoluta ad oppositum infallibilis futuritio contritionis, cuius necessitas non ledit libertatem, quia oritur ex suppositione usus liberi, hunc que supponunt divina scientia, et decretum, et id circo frustrari nequeunt. =

Idem dicimus de auxilio efficaci, quod illo posito, est infallibilis contritio, ergo propter scientiam, et decretum Dei illi annexum (omittamus nunc in quo eius efficatia consistat, in omni opinione probabili debet debet componi cum potestate ad oppositum.) quo supposito, ad argumentum dico: quod licet gratia non sit indifferens, ut componatur cum peccato, et eius carentia, quod libenter fatemur, est tamen vere indifferens, ad contritionem, et eius carentiam, quia concurrit ad illam, media charitate, et voluntate libera ad oppositum, et catenus postulat ea, ut dispositionem, quatenus libera est, liberum consensum prestans divine amicitie, culpam que liberam retractans. Cum hac tamen libertate simpliciter, et potestate ad oppositum, stat infallibilis futuritio contritionis propter auxilium efficax, quod Deus simul cum gratia habituali confert cum certa scientia, et efficaci decreto ipsius contritionis, cuius necessitas, et etiam expulsionis peccati virtute illius subsequte, est tantum ex suppositione ipsius liberi usus. Unde stat optime quod sit potestas ad oppositum absolute, et simpliciter, et quod ex suppositione quod exit, non poterit non esse. =

Dubium appendix de actibus intensioribus ipso habitu

De his enim est difficultas, quomodo ab habitu procedant, cum excedant latitudinem intensivam illius. Quod si dicas, quod sicut ad primum fidei, vel charitatis actum, infunditur in eodem instanti habitus, sic ad actus intensiores, habitum iam infusum duratione temporis supponentes, confertur in eodem instanti habitui tota intensio requisita ut connaturaliter, et proportionate, totam intensionem actus elicere possit. Contra hoc est, quod principium meriti non cadit sub merito, et propterea hoc est communis theologorum doctrina, primam gratiam non cadere sub merito, bene tamen illius augmentum sed huiusmodi actus duratione temporis supponentes habitum iam infusum, merentur illius augmentum; ergo non possunt ab eo tamquam a principio procedere: esset enim iam tale augmentum, et premium, et principium sui meriti. = Confirmatur, quia Deus non potest decernere, et videre premium in eternitate, nisi precidente nostro modo concipiendi meritum, et omnes illius causas: ergo si augmentum habitus est iam prerequisitum ut principium actus meritorii, non potest decerni, et videri, ut premium eiusdem actus; quia

meritum

meritum est de eo quod non habetur, quod enim iam donatum absolute, aut iustitiæ titulo possidetur, quomodo in præmium iterum conferri potest.

Sed imprimis respondere potest, negando suppositum, quod scilicet actus intensior habitu duratione temporis præsupposito elliciatur aliquando. quod dupliciter probatur. Primo. quia verisimilius est, minorem intensionem in habitu satis esse, ad plures gradus intensionis in actibus, propter maiorem perfectionem habitus infusi, quis habet ut potentia: ergo intra certam spheram habitus vg. ut quatuor Deo soli cognitam, poterit voluntas actus intensiores, et intensiores ellicere, antequam perveniat ad actus petentes maiorem habitus intensionem.

Secundo. Cum qualibet multiplicatione etiam actuum remissorum augeatur habitus (ut infra late probabimus) numquam intensio actus excedet sui habitus proportionem: nec Deus cuius auxilio voluntas efficaciter excitanda est, ad intensiores actus tam promovebit, donec per minus intensos habitum suum augeat. quod saltem regulariter, ac lege ordinaria est omnino certum; quia cum habitus, quolibet actu valde remisso augeatur meritorie, breviter potest accipere tantum quantitatis virtutis augmentum, ut difficillimum sit creaturæ, operari secundum totam latitudinem sui habitus, ac proinde multo magis excedendo illam. Solum de Beatissima Virgine creditur, quod operabatur semper secundum totam latitudinem suæ sanctitatis, aut charitatis, non tamen ultra illam, et hoc satis fuit, ut immensum tam cumularet augmentis: ergo in nullo alio iusto necessarium est, ultra proportionem, et mensuram virtutis operationem admittere.

Sed demus (quod alij dicent) latitudinem habitus, et actus, esse omnino eandem, et quod latitudini habitus, ut quatuor, tantum actus ut quatuor, adequate respondeat, et ponamus hominem recenter conversum S. Augustinum vg. vel S. Magdalenam, qui antequam actibus remissis, gratiam primam augere possent, valde intense Deum diligere inceperunt, ut de illis et allijs permultis miraculose conversis legimus, in his casibus, hac doctrina supposita, secundus, et tertius actus post primam gratiam, credi potest intensior illa, et meritorius augmenti illius. quid tunc dicemus. Respondetur etiam in hac doctrina, verisimilius est, secundum actum non excedere latitudinem primæ gratiæ, satis est quod adequet illam, et sic duplicatam recipiat, et quod per tertium actum, totam hanc quantitatem reduplicet, sicut de charitate Virginis sanctissimæ dixi: hoc tamen discrimine, quod Virgo Beatissima, semper sic operabatur, cæteri vero iusti, quantumvis insignes, non nisi raro.

Qui tamen adhuc voluerit, hoc actus intensiores habitu aliquando admittere, nam altera lege extraordinaria potest id contingere. Respondere poterit cum Gaspare Hurtado. disp. 2. de Charitate, diff. 6. quod habitui vg. ut quatuor, detur occasionaliter in eodem instanti, quo ellicitur actus phisice intensior ut sex, intensio usque ad sextum gradum. Reliqua vero intensio, quæ actui inest, tam phisice, quam moraliter addatur habitui, ut præmium meriti actus.

Quod si obijciatur, actum illum habere, sex gradus meriti, ac proinde, deberi illi præmium ut sex, de facto que illi conferri, si idem numero actus ellicitatur ab habitu intensiori: ergo irracionabiliter dicitur, quod tantum quatuor illius gradus remunerentur

rentur, et quod alij duo omnino gratis conferantur, cum omnes æquales sint in ratione meriti. — Respondetur, quod sicut de primo actu charitatis, ait S. Thomas 1a. 2æ. q. 112. art. 2. ad 1m. 3. quod est meritorius, sed non gratiæ, quæ iam habetur, sed gloriæ, quæ nondum habetur. Sic quando Deus, ne desit sua gratia, facienti quod in se est, anticipate, et gratis tribuit, et quasi sub mutuo aliquos gradus gratiæ, ut creatura per illos ad augmentum sanctitatis conetur, actus tunc elicitus, non erit meritorius charitatis augmenti, quod iam habetur, sed tantum illius quod nondum habetur. Nam et si ex parte actus, sint omnia requisita ad merendum; ex parte præmij quod gratis collatum est (quia gratia præuenit meritum) potest impediri, quod non conferatur titulo iustitiæ, quod titulo gratiæ iam donatum est. Hoc enim valde commendat Dei gratiam quæ semper parata est petenti illam; nec expectat creaturæ meritum, sed tantum quod illa indigeat, et ut velit, ut statim illi conferatur. —

Disputatio 39. quænam sit virtus actiua, quam supponit, et præstat ex se potentia vitalis.

Sectio prima.

Tota resolutio præcedentis sectionis, fundatur in illo principio; quod potentia vitalis intrinsecam virtutem ex suis proprijs visceribus præstat, qua simul cum diuina gratia ad supernaturalia concurrat, sed difficile habet contra se argumentum, quod soluere necessarium est (alias tota ruet doctrina in qua laborauimus) nimirum, quod virtus elicitiua actus supernaturalis debet esse similiter supernaturalis, ut debita seruetur proportio: Nam etiam vitalitas ipsa quam tribuit potentia, intrinsece supernaturalis est, sed potentia vitalis naturalis est; ergo omnino improporcionata, et insufficiens, ut ad eum propria actiuitate concurrat. Ad hoc Suarez tom. 1. in 3am. p. disp. 31. sect. 6. et multi alij iuniores dicunt, hanc virtutem quam ex se confert potentia vitalis, non esse principalis causæ, sed tantum instrumentalis, instrumentum autem non debere effectui proporcionari, imo potius deffinitur, instrumentum illud esse quod producit effectum improporcionatum sibi, proporcionatum vero causæ principali, a qua eleuatur ad illum attingendum, et ideo optime posse supernaturalem esse et a virtute instrumentali naturali procedere, sicut substantia hoc modo ab accidente prouenit et animal a semine non vitali. —

Diuisi sunt autem in modo defendendi authores illius. Nam Suarez et alij docent, potentiam vitalem, ut instrumentum obedientiale, et non naturale concurrere. Cuius fundamentum est; quia natura ut natura est, non habet vim actiuam connaturalem, etiam partialem ad actus supernaturales quoad substantiam, quia alias etiam haberet naturalem inclinationem ad videndum et amandum Deum, atque adeo visio, et dilectio illi connaturaliter deberentur, maxime cum sint perfectiones illius insequentes. Alij vero etiam ut instrumentum connaturale intrepide concurrere dicunt, et non per potentiam obedientialem. Quorum ratio principalis est. Quia potentia

tia vitalis est instrumentum proprium, et connaturale, quo anima se ab intrinseco movet; sed potentia obedientialis activa, non est proprium instrumentum animae, sed ipsius Dei quatenus per eam potest facere, quidquid contradictionem non implicat. Unde communis est rebus inanimatis: ergo si anima vitaliter concurrit, medio instrumento connaturali id facit. Maior patet ex his quae supra diximus de potentia vitali, quod sit proprietas connaturalis viventis, illi ad suos effectus connaturaliter serviens; et quia etiam est nota: nam concurrere vitaliter, est per instrumentum proprium, ac connaturale vitae operari: ergo. Addit tamen haec sententia, quod cum haec causalitas, limites instrumenti non transeat, non petit proportionem cum suo effectu habere, cum illum sibi non assimilet, sed principali causae, ac proinde quod sit a naturali instrumento non inconvenire.

Excluditur virtus instrumentaria potentiarum vitalium, ad actus supernaturales.

Quomodocumque autem virtus haec instrumentaria explicetur, vera non est communiter quae impugnatur a Thomistis, praesertim eam reijcit Reverendissimus noster Lumel 1a 2ae q. 112. et merito; quia talis virtus esset sine dubio supernaturalis, nam licet instrumentum non debeat commensurari, cum effectu in eodem gradu perfectionis, ad minus debet esse in eodem ordine gratiae, vel naturae. Quod sic declaro: quia talis virtus quantumvis instrumentaria, dicit essentialiter ordinem ad actum supernaturalem: ergo intrinsece, et essentialiter pertinet, ad ordinem gratiae, ac proinde exit supra ordinem naturae. Antecedens patet, quia si tale instrumentum intrinsece est virtus productiva actus, ut super naturalis est, necessario dicit ordinem transcendentalem ad illum. Et consequentia probatur. Quia ad hoc quod res aliqua ad aliquem ordinem pertineat, satis est quod ad illum per se determinate concurrat, ut pars, vel ut causa, vel ut terminus, aut instrumentum, vel quovis alio modo, determinate inquam, quia subiectum quod est materia phisica, vel genus quod est materia methaphisica, non determinate concurrunt, sed indifferenter, quia de se abstrahunt a naturalibus, et supernaturalibus formis, ideoque possunt extra ordinem supernaturalem esse, et nihilominus ipsum materialiter constituere.

Secundo. Causa vitalis essentialiter est causa principalis, repugnat ergo illi esse instrumentum. Antecedens probatur. Quia de ratione causae vitalis, est quod concurrat ut se movens per intrinsecum, et proprium principium sui motus, et specialiter de causa libera docet S. Thomas 1a 2ae q. 1. art. 1. et alibi saepe, quod sit primum movens in viribus animae, cui omnes aliae potentiae subordinantur, sed instrumentum agit semper ut ab alio motum, vel ut alteri subordinatum, causae scilicet principali, a qua movetur; ergo implicat quod voluntas concurrat ut vitalis, et libera, et simul ut instrumentum. — Confirmatur ex Scoto. in 1o distinct. 13. q. 2. quia voluntas, quando concurrit cum supernaturali habitu, vel se habet ut praecipuum, et superius movens virtutem charitatis, ad agendum, vel e converso, charitas est quae ipsam voluntatem movet, secundum dici non potest, quia charitas non est in se libera, sed omnino ad unum determinata, unde consequenter voluntatis tolleret libertatem. Tum etiam, quia com

muniter

Communiter dicitur ab omnibus nos habitibus uti cum volumus, et non econtra, quod habitibus utuntur voluntate. Si vero primum dicatur, nulla ratione voluntas erit instrumentum, quia instrumentum non mouet causam principalem ad operandum, sed potius ab ea mouetur, et illi subordinatur. =

Tertio. quia necessarium est, causam vitalem denominari principaliter ab actione propria, quinimo praeter ipsam, et substantiam a qua profluit nullum aliud comprincipium, nec auxilium, nec virtus infusa denominationem accipit actionis vitalis, solus enim intellectus intelligit, non lumen gloriae aut fidei. Et voluntas vult, non charitas, vel spes, sed nullum instrumentum, denominatur ab actione propriae; serra enim non operatur arte sed artifex, semen non generat sed animal: ergo potentia vitalis, non concurrit ut instrumentum, sed ut causa principalis. =

Neque valet excipere instrumenta animata. Nam ut ait Arist. politic. cap. 3. instrumentum etiam animatum motioni subditur causae principalis, et in virtute operatur illius, quia non solum clauus in naui, quem instrumentum vocat inanime, sed ille etiam qui proram regit, quem instrumentum animatum appellat, imperio mouetur gubernatoris. Similiter ministri, et serui, quos etiam nominat animata instrumenta, iussu mouentur suorum dominorum, his que tribuuntur actiones quas illi exercent, dominus enim denominatur dans eleemosinam, prouidens necessaria domus licet per seruos hoc exequatur. Et si aliquando serui tribuuntur huiusmodi actiones, impropriae, et analogice fit, quod nec in praesenti contingit, nam virtus diuinae gratiae, nec analogice intelligens, aut volens denominari consueuit, sed potentia vitalis dumtaxat. =

Quarto. et haec sit ratio a priori. quia causa principalis, est illa quae operatur per formam sibi propriam, in qua formaliter, vel eminenter perfectionem continet, quam tribuit effectui, ideo que illum dicitur assimilari sibi, et ab eius productione principaliter denominatur. quod si causa est totalis, totum effectum in se hoc modo continet. et si partialis, satis est, quod partem illius, sed potentia vitalis hoc modo influit, in actus supernaturales; ergo est causa principalis in ordine ad illos. Maior, est deffinitio causae principalis, quam omnes admittunt. Et minor probatur, in qua solum est difficultas. Quia si consideretur potentia vitalis quoad virtutem partialem quam ipse praestat distinctam a virtute, per quam eleuatur, continet in se intrinsece vitalitatem actus, vel formaliter, vel eminenter, et in ea praecise ipsum assimilat sibi ratione suae virtutis, et non ratione gratiae eleuantis; ac proinde quantum ad hanc rationem, non instrumentum, sed causa principalis, partialis est. Si vero consideretur prout eleuata per habitus infusos, tamquam per formam iam sibi propriam, mediante inhesione reali, sic operatur ut causa principalis totalis, quia assimilat sibi totum effectum in vitalitate, et supernaturalitate, cum talis forma supernaturalis, illi sit vere, ac realiter unita, ac proinde sufficiens fundamentum similitudinis realis cum effectu. Si tandem consideretur, prout est subiectum recipiens, tam virtutem per quam eleuatur in actu primo, quam actus per quos constituitur in actu 2°. non instrumentum, sed potentia passiua virtutis supernaturalis receptiua dicenda est. Unde nec supernaturalitate reduplicata ratio instrumenti, sed causae materialis, vel materiae causae

principalis

principalis, ~~tribuenda est~~ totalis illi tribuenda est.

Denique potentia vitalis non solum est causa efficiens, sed etiam formalis specificans actionem, ratione cuius etiam de potentia absoluta, suppleri nequit; ergo minime est instrumentum concurrit. Probatur antecedens: quia nulla actio specificatur ab instrumento, neque est nullum instrumentum, quod a Deo suppleri non possit: ergo etc.

Ex dictis iam patet ad utriusque sententiae fundamentum, ostendi enim, quod potentia vitalis esse, licet improporcionata sit respectu supernaturalitatis actus, concurrit saltem ad eius vitalitatem per virtutem proporcionatam, quod satis est ut sit causa principalis partialis, et non instrumentum; et ad supernaturalitatem concurrit elevata, non ut instrumentum, a causa extrinseca principali, sed ut materia a forma, seu ratione agendi illi intrinseca, sicut aqua elevatur a calore ad calefaciendum, non ut instrumentum, sed ut suppositum constitutum formaliter per virtutem intrinsecam principalem. Quod intellige quando elevatio fit modo connaturali, et consueto: nam quando elevatur potentia per auxilium a Deo immediate provenient, tunc solum habet rationem causae principalis partialis ut dixi, cum improportio quam habet, non sit ad modum instrumenti respectu totius effectus, sed tantum respectu unius partis illius.

Solum contra authores ponentes instrumentum connaturale, specialiter obijci potest, quod duplicitur intelligi potest: vel dicitur connaturale respectu causae, quia illi connaturaliter debetur ad suos effectus, et sic non potest dari instrumentum connaturale ad res supernaturales, quia non potest esse connaturaliter debitum causae instrumentum ad illum effectum ad quem non habet virtutem principalem, nec inclinationem, nec illi est debitus aliquis concursus. Solum enim debetur causae naturaliter omnia requisita ad suum effectum, et finem naturalem, et eo ipso quod admittatur aliquod naturale debitum, iam non erit pura gratia et mere supra naturam, id quod tale debitum illius supponit. Vel ergo dicitur instrumentum connaturale solum respectu effectus, ex eo quod habet virtutem innatam intrinsece productivam illius, licet improporcionatam, et sic non differt sententia haec a modo dicendi Patris Suarez, quem impugnare contendit, nam ille, eo ipso quod admittit virtutem intrinsecam asserit naturaliter productivam effectus supernaturalis, licet improporcionatam. Haec tamen virtus si intrinseca, et determinate productiva actus supernaturalis est, ipsum ut finem respiciet intrinsece: erit ergo supernaturalis ordinis, quemadmodum naturale instrumentum et si sit improporcionatum in ordine ad totum effectum, non propter hoc desinit esse naturalis ordinis, quia est aliquod in suo genere concurrens ad illud.

Exponitur multiplex modus, quo potentia vitalis, causa principalis dicitur respectu actuum supernaturalium.

Propter dicta, maior, et sanior pars theologorum utriusque scholae, Sancti Thomae videlicet, et Scoti in 4. dist. 10. q. 6. ad 3. et in reportatis in 4. dist. 10. q. 9. per totam et alibi saepe. Farinaceus, Basolius q. 8. Mayro q. 5. Ochamus ibidem art. 3. Egidius, Gabr.

et alij

et alij asserit potentiam vitalem vt causam principalem concurrere. Diuisi sunt tamen in modo illam explicandi, nam Scotus et eius discipuli absolute asserunt Angelos cognoscere naturaliter omnia misteria gratiæ, per virtutem naturalem intellectus, et sic pariter per voluntatem actus circa Deum auctorem, et finem supernaturalem ellicere, quos naturales quoad substantiam consequenter dicunt. quæ doctrina materia de Angelis, et de gratia satis impugnatur. Nunc autem supponimus actus huiusmodi quoad substantiam supernaturales esse, obidque a nulla virtute naturali, sed obedientiali per gratiam eleuata, producibiles esse. quærimus ergo quomodo si potentia vitalis sua propria actiuitate, vt proxima, et principalis, ad hos actus concurrit, non dicatur naturali virtute operari, et qua ratione sic possit actus simpliciter supernaturales attingere? =

Ad hoc grauissimi, et insignes thomistæ, præcipue Reuerendissimus noster Gumel 1a 2æ. q. 112. citata, et Curiel ibidem dubio super art. 4. q. 4. § 1. et sequentibus et alij quam plures iuniores, distingunt in intellectu v.g. essentiam potentiæ, quæ consistit in commensuratione, seu completione essentiali ad obiectum adequatum, et specificatiuum, quod est intelligibile in communi, sub quo continentur omnia entia tam naturalia, quam supernaturalia, et quantitatem virtutis, secundum quam est potens attingere solum obiectum aliquod proportionatum, et non potest se extendere ad totum obiectum adequatum. Sicut in calore v.g. est considerare essentiam illius, quæ consistit in indiuisibili, et est considerare quantitatem virtutis illius, seu latitudinem gradualem quæ diuisibilis est. Hoc igitur supposito aiunt, potentiam vitalem solum conferre ad actus supernaturales essentiam, seu completionem essentialem, qua dicit ordinem ad obiectum adequatum, et quia hæc naturalis est, vt suppleatur eius improportio, totam quantitatem virtutis conferre habitum infusum, vel auxilium, per quod essentia illa naturalis eleuatur ad supernaturalia. =

Quæ sententia potest bene et male intelligi. A multis enim iunioribus, sic explicatur. quod essentia hæc seu commensuratio essentialis potentiæ concurrat ad supernaturales actus vt virtus actiua, non tamen immediata, et proxima (quia sanctotaliter præstat habitus supernaturalis, vel auxilium) sed mediata, et quasi radicalis quia non aliter concurrit, quam mediante habitu, vel auxilio a quo eleuatur, et proxime potens constituitur. =

Excluditur secundus modus explicandi potentiam obedientialem actiuam.

Hic enim modus dicendi displicet primo. quia quamuis essentia potentiæ vitalis abstrahi possit ab hac, vel illa quantitate virtutis, non potest ita præscindi, quin includat in suo conceptu, rationem virtutis proxime actiuæ, simul et passiuæ, qua mediante anima, quæ sola est virtus radicalis, influit in suas operationes: ergo non potest rationabiliter dici, quod concurrat actiue essentia potentiæ, et quod non per virtutem proximam, cum nulla alia virtus illi conueniat, præter proximam. Antecedens probatur. quia intellectus essentialiter est vltima, et formalissima ratio intelligendi, et volunta

tas ratio ultima volendi, sunt ergo essentialiter potentiæ proximæ. = 2º Falsum omnino est quod intellectus vere concurrat ut radix, nam virtus infusa habitus vel auxilii, cum sit supernaturalis, non potest esse a potentia vitali naturali, sed a solo Deo: ergo si talis potentia non concurrit proxime, et inmediate; nec radicaliter et remote causa activa dici potest; sed ad summum materialis causa substentans virtutem supernaturalem, qua mediante concurrere dicitur. =

Respondet quod non est proprie radix, sed quasi radix. Sit ita, sed dic consequenter, quod non est proprie virtus activa, sed quasi activa, quia nec vere proxima, et inmediata, ut supponis, nec vere radicalis, ut nunc fateri compellaris propter rationem factam, incidis ergo in primam sententiam supra impugnatam, quod solum passive potentia vitalis se habeat, quod est aperte falsum. =

Dices iterum, quod sicut essentia potentiæ virtute naturali concurrit ad naturales actus, et respectu talis virtutis se habeat ut radix, non ratione alicuius emanationis, sed quia est fundamentum talis virtutis, et agens per illam, sic utitur virtute supernaturali, ad actus supernaturales, et comparatur ut fundamentum, et quasi radix respectu illius. =

Sed contra est primo. Quod respectu virtutis naturalis, si intellectus non habet influxum, habet identitatem, qua non solum realiter, sed etiam essentialiter, est ipsamet virtus activa naturalis, ac proinde dicitur active, et vitaliter concurrere, potiori titulo, quam si esset vere radix, ex qua emanaret talis virtus, at respectu virtutis supernaturalis, nec habet identitatem ut patet, nec habet influxum ut concessum est: ergo solum passive erit fundamentum illius, ac proinde si virtus supernaturalis, est tota ratio agendi potentia vitalis erit solum materiale quid substentans talem virtutem. =

Rursus 3º Semper laboravi cum his authoribus, ut explicent quid faciat hæc essentia potentiæ, præter hoc quod est passive substentare virtutem infusam, si simul cum ea active non concurrit, et numquam respondent, nisi vel terminis genericis vel impropriis, dicentes quod concurrit per modum commensurationis, vel captationis essentialis, vel ordinis transcendentalis ad obiectum, vel quod est quasi radix, aut fundamentum, quo nihil in particulari declarant, nam statim illis evidenter impugnatur quælibet ratio particularis: ergo est, nec ipsos intelligere quod dicat. =

Quarto principaliter sic argumentor. Quia impossibile est, quod actus supernaturalis sit vitalis, et quod tota ratio proxima agendi sit sola virtus supernaturalis illi infusa, quæ vitalis non est: ergo præter ipsam, admittere necessum est efficaciam activam, qua potentia vitaliter ad illum concurrat. Probatur antecedens; quia vitalitas actus debet provenire a principio vitali formali, et proximo; non enim satis est, quod principium radicale, vel materiale vitale sit, si formale, et proximum vitale non est, productio enim vermis vitalis non est, et si a substantia viuente profluat, quia non media potentia vitali procedit. Addo ergo quod viuens, non tantum specificative, et concomitanter, sed reduplicative et formaliter, ut viuens est operetur, non satis est, quod sit viuens ratione materiæ, sed ratione formæ, qua mediante operetur, vel (ut alii terminis dici solet) quod operetur modo vitali, ita ut modus respiciendi, qui non competit ei nisi ratione formæ, quæ est ratio agendi sit vitalis: ergo virtus supernaturalis, quæ

vitalis

vitalis non est, non potest esse ratio vitaliter operandi. =

Quinto a posteriori probatur. Non solum potentias vitales, verum etiam substantiam animae immediate active simul cum virtute supernaturali concurrere: nam ut dicitur in libris de Anima experimur ipsam diverti ab operationibus supernaturalibus, per hoc quod nimis attendat ad naturales, quod certe non fieret, si habitus infusus esset adequata ratio agendi: concurrit ergo proxime simul naturalis virtus. Probatur minor. Nam ratio distractionis, et impediens exercitium naturalis actus super in eo casu, non est alia, nisi quod anima quae operatur per attentionem, et attractionem suae virtutis, habet virtutem naturalem hanc occupatam in actu naturali eliciendo, ratione cuius attendere, et concurrere nequit ad supernaturalem actum, signum ergo evidens est, quod etiam naturalis activitas ad illum concurrit, et non sola virtus supernaturalis, vel habitus infusus, non distrahitur, vel minuitur, ex hoc quod virtus naturalis divertatur ad alia, si talis virtus minime necessaria est, imo impertinens ad supernaturalem actum. = Neque valet dicere, quod licet non concurrat active proxime, concurrit fundamentaliter, quia quantumvis anima distrahatur ad alia, non desinit intellectus fundamentum esse virtutis infusae. Dum non expellantur peccatis mortalibus oppositis semper remanet in anima, et eius potentijs virtutes infusae: ergo virtus quae distrahitur, et circa alia occupatur, est activa non passiva. =

Denique. De ratione habitus est, quod non sit sola virtus agendi, sed quod supponat naturalem potentiam, et sit affectio illius in quantum activa proxime est; sed virtutes infusae sunt veri habitus: ergo non sunt tota ratio agendi, sed simul cum virtute illius concurrunt. Minor, et consequentia patent, et maior probatur: quia in hoc differt habitus tam acquisitus, quam infusus a naturali potentia, quod haec potest advenire potentiae passivae, ut calor aquae, et gravitas lapidi, potestque etiam advenire virtuti radicali, ut intellectus vel voluntas animae; at habitus afficit potentiam proximam activam formaliter ut talis est, intra lineam potentiae. Quae ultima particula advertenda est ad excludendas species intentionales, quae adveniunt etiam potentiae activae proximae, caeterum extra modum suum, ut comprincipia scilicet alterius rationis longe diversae. =

His omnibus adversarij respondent, hanc compleationem essentialem potentiae esse virtutem vere proximam, et activam, caeterum quoad essentiam, non quoad quantitatem virtutis, sed hoc non est aliud quam terminis ludere, et valde difficultatem fugere. Nam si essentia potentiae, est intrinsice, et immediate activa, iam tota quantitas virtutis, non erit ab habitu supernaturali, sed etiam a potentia, si vero haec essentia non est intrinsece, et immediate activa, praeter quam falsum est, erit solum passiva, quod vitalitati repugnat, nec poterit esse activa mediata, ut iam satis impugnatum est. =

Sectio 4.a Supponuntur aliqua valde notanda ad resolutionem huius questionis.

Alius est ergo modus rationabilior, et magis philosophicus, quo explicari potest dicta sententia. Ad cuius intelligentiam suppono quod in potentia vitali v.g. in intellectu sunt maxime advertendae tres formalitates diversae, quae in eius virtute, realiter identificantur. Prima quae est essentialis, et principalior eius ratio, et vis virtualiter apprehensiva

hensiua obiecti sub ratione intelligibilis, secunda est efficatia productiua verbi, quod est imago intentionalis, in qua intellectus intuetur obiectum: Et tertio est virtus illuminatiua, hoc est lux quaedam ~~intellectualis~~ spiritualis, sine qua potentia, etiam si productiua verbi sit, et apprehensiua obiecti, illud adhuc intueri non poterit.

Quod enim tres istae rationes formaliter differant, patet ex eo quod in aliis potest vna sine alia in re inueniri, quo indicio dicernimus in homine rationalitatem, et animalitatem, vt formalitates distinctas, quia vnam sine alia experimur in Bruto. Sic ergo in potentia visiua corporea, quae maxime intellectui assimilatur, datur vis apprehensiua coloris sine lumine, cuius deffectu in tenebris posita, et si omnia alia adsint requisita, videri non potest; quia vero ea quae in inferioribus sunt dispersa, in superioribus sunt vnita, hinc est quod in intellectu virtus perceptiua obiecti, sit etiam illuminatiua potentiae, et speciei, in qua obiectum relucet, et apparet medio rationis lumine, quo nomine appellari solet intellectus propter hanc rationem, et non visiui, cui lumen ab extrinseco prouenit.

Similiter in supernaturalibus datur lumen distinctum a virtute intellectiua seu apprehensiua habitibus v.g. luminis gloriae, et fidei qui tantum lumen appellantur, et minime intellectus dicuntur, cuius non est alia ratio, nisi quia concurrunt per modum luminis, et non per modum facultatis intellectricis, alioquin daretur iam intellectus supernaturalis, et naturalis superflueret ad supernaturales actus, quinimo multo maiori iure habitus isti intellectus dicerentur, quia apprehensiui obiecti, et proportionati etc. Quemadmodum enim species impressa vel expressa simul cum potentia concurrit, non vt apprehendens obiectum, etiam partialiter, sed modo alio longe diuerso, scilicet determinando eam ad productionem talis actus, vel ad intellectionem talis obiecti, sic lumen illustrando concurrit non cognoscendo.

Praeterea quod virtus productiua verbi, vel amoris, sit formaliter distincta ab efficacia respectiua obiecti, ex vtriusque actionibus manifestius apparet. Alia est enim formaliter productio verbi, vel amoris, et alia est intellectio, vel dilectio obiecti (vt ex libris de Anima, et a 1a p.te materia de trinitate suppono) priores respiciunt terminum vt productum, et posteriores, illum vt obiectum attingunt.

Docet expresse S. Th. 1a p.te q.34 Art. 1o ad 3. dicens: intelligere, et dicere differre inter se: Nam intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur etc. sed dicere importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum: Nihil enim est aliud dicere, quam proferre, vel producere verbum etc. Hinc colligimus materia de trinitate, verbum diuinum procedere formaliter per dictionem intellectus Paterni, non autem per intellectionem. Dictionem quae esse in solo Patre, intellectionem vero communem esse toti trinitati.

Est item meo iudicio expressa sententia Arist. 2. Ethic. Cap. 7. et S.ti Thomae ibidem. Et 1o contra gentes cap. 100. quod, actiones immanentes formaliter vt tales sunt, non sunt productiuae, sed tantum respectiuae. Inquit enim S. Doctor cap. illo 100. Dico autem actionem immanentem, per quam non fit aliud praeter ipsam operationem, quia ipsa est vltima perfectio etc. idemque ait 1a p.te q. a art. 3. et alibi saepe.

Rursus est mutua separabilitas, inter vtramque actionem, saltem in aliquibus casibus. Nam in materia de visione beata docet clare S. Th. intellectum creatum, videre Deum absque vlla productione verbi, et opusc. de Beatitudine, idem de dilectione docet.

Et iam

vt iam vidimus. Contra etiam secundum communem doctrinam, potest Deus miraculose producere verbum, vel amorem in lapide, et tunc erit utriusque productio sine intellectione, aut dillectione, non ergo licet negare esse saltem formaliter diuersas, ac proinde correspondere illis ex parte principij actiuitates diuersas; quia cum actio sit exercitium alicuius virtutis, vbi est duplex actio subordinata, et diuersæ rationis, duplex virtus seu efficacia utrique correlatiua inferri debet.

Neque inde infferas, quod intellectus esset triplex potentia, et non vna simplex quia solum asserimus esse tres formalitates eminenter in eius virtute inclusas, vel tres virtutes inter se subordinatas, et connexas, diuersimode ad actum concurrentes, quæ in intellectu tamquam in potentia spirituali, et eminentiori identificantur, sicut et vis apprehensiua, iudicatiua, et discursiua, quæ nec potentias, nec animas multiplicant, sed tantum vnam simplicem perfectionem inferunt.

Solum in voluntate ratio luminis est auferenda, et vis etiam apprehensiua quia potentia cæca est, sicut enim non apprehendit obiectum, nisi per intellectum ugo proponitur, sic non indiget lumine ipse, sed in intellectu, et id circo habitus voluntatis, charitatis v.g. vel spei non dicitur vmquam lumen, sicut habitus fidei, vel luminis gloriæ. Datur tamen in voluntate pro virtute apprehensiua obiecti, inclinatio quædam potentialis, et confussa ad bonum in communi. Et quia indifferens est ad omnia bona, conferuntur illi habitus, et amores eam impellentes, et determinantes ad hæc, vel illa bona particularia.

Rursus aduerto, quod ex tribus illis virtutibus, vel formalitatibus enumeratis, prima quæ est efficatia apprehensiua, vel respectiua obiecti dicitur essentialiter vitalis, et propter hoc principalior, et primaria ratio respectu intellectus, aut voluntatis, quia aliæ duæ scilicet lumen, et virtus productiua verbi, et amoris possunt suppleri a Deo, et sine intellectu et voluntate reperiri; at efficatia respectiua obiecti sunt ipsamet ratio explicita intelligendi, et volendi, ac proinde proprietates substantiæ rationalis, vt viuens est per rationem; atque ideo illis essentialiter competit vitalitas per modum virtutis proximæ, duæ autem virtutes, tatenus vitales sunt, quatenus identificantur cum hac tertia essentiali, quando autem extra illam sunt, vel de foris adueniunt, vt cernitur in virtutibus infusis, vitalitatem minime participant, licet sint affectiones potentiæ vitalis, sicut species non vitalis cum potentia vitali ad eius actus concurrit. Sic proporcionabiliter in actibus dixi disputat. 2.a essentialiter competere vitalitatem per modum actus secundi actionibus immanentibus, scilicet intellectioni, et dilectioni, productioni autem verbi, et amoris (quæ emanationes quædam sunt) tantum denominatiue, vel identice.

Ex dictis facile erit iam cognoscere, quid intelligant citati authores per commensurationem essentialem, vel essentiam potentiæ, nimirum efficatiam, quæ vitaliter est apprehensiua, seu respectiua obiecti, competitque essentialiter his potentijs, quatenus proprietates sunt substantiæ viuentis, ac proinde a nulla alia virtute extrinseca, siue naturali, siue supernaturali suppleri possunt. Rursus per quantitatem virtutis intelligunt vim productiuam verbi, vel amoris, et insuper lumen, quo intellectus illustratur et illi obiectum manifestatur in verbo, quamuis in hoc sit diuersus explicandi modus vt in sequentibus dicam. Quod commensuratio essentialis potentiæ, sit propriæ vis actiua probatur.

Quod Commensuratio ~~sit propria~~ essentialis potentiæ vitalis sit propriè vis actiua probatur.

Restat nunc esse difficultas. An vitalis illa efficacia, pro ut distincta alumine et productiua virtute, sit etiam vis actiua, verè et propriè, vel quid.? Nam aniores quos supra ultimo loco, sine nomine citaui, refugiunt tali Commensurationi essentiali potentiæ, vt præcise respectiuæ obiecti aliquam propriam actiuitatem tribuere, nisi solum Quatenus inuoluit Quantitatem virtutis, et operatur mediante illa: Consequenter enim ad hoc dicunt Actiones immanentes, vt sunt pure respectiuæ, intellectionem vg prout adictione distinguitur, non esse veras, et proprias actiones, sed tantum grammaticaliter sic dici. =

Ex hac tamen sententia, inprimis colligitur, quod vitalitas vt essentia potentiæ ad actus supernaturales passiue tantum vt substentans virtutem infusam concurrat, quod satis iam impugnaui. Secundo negari non potest, potentias vitales formaliter vt tales sunt, primario, et principalius actiuas esse quam passiuas, quia de ratione viuentis vt dixi, est quod operetur vt se mouens per proprium, et intrinsecum exercitium suæ naturalis virtutis, et non vt ab alio motum, nisi tamquam a comprincipio sed intellectus, et voluntas sunt potentiæ vitales formaliter vt respiciunt obiectum, et vt distinguuntur a virtute productiua, et illuminatiua, ergo vt sic conuenit illis, vera, et propria actiuitas. Probatur minor. quia principales earum actiones, et fines aquibus specificantur intellectus vg. et voluntas, sunt intelligere et velle, quibus exprimitur ordo vitalis, et essentialis ad obiectum, productio autem verbi, et amoris, et illustratio luminis, nec tribuunt denominationem potentiæ, nec intrinsece vitalitatem dicunt, siquidem illam in supernaturalibus non habent, ergo formalissima vitalitas, et vis actiua conuenit his potentijs per ordinem ad obiectum, etiam si secludatur quodcumque aliud. Patet consequentia, nam quæuis ratio illuminatiua, aut productiua termini potest sine vitalitate intelligi, et inueniri. Vis autem respectiua obiecti numquam: ergo quia in hac est intrinsece, et primario subdita vitalitatis ratio. =

Confirmatur: quia quando intellectus respicit obiectum absque productione verbi, vt patet in essentiali, et communi intellectione trinitatis, qua filius, et spiritus sanctus se inuicem, et patrem vident, et in visione beata in schola sancti Thomæ, idemque assero de dillectione absque productione amoris in vtroque casu, tunc exercetur sine dubio vitalitas vtriusque potentiæ, quis neget.? ergo et actiuitas illius. =

Præterea talis vis præcise respectiua obiecti est in creatura in genere qualitatis sed non est alia species ad quam possit reduci, nisi ad naturalem potentiam, vt patebit discurrendo per cæteras: ergo conuenit illa vera, et propria potentialitas vt talis sit, tunc sic, sed talis est plusquam passiua, cum sit essentialiter respectiua obiecti, et dicat præter ordinem transcendentalem ad formam inse receptam alium ordinem ad obiectum extrinsecum: ergo est sine dubio vt sic, potentia vere actiua. =

Denique actiones immanentes per ordinem ad obiectum præcise, esse veras, et proprias actiones, quia sunt propria exercitia, et actus secundi potentiæ vitalis, latius alibi demonstro. Nec

est de

est de ratione actionis, ut sic, quod sit productio alicuius termini; hoc enim est petere principium, et supponere, quod numquam probari potest. Ratio namque actionis, seu operationis universaliter sic que deffinitur: est exercitium seu via alicuius agentis ad terminum. Terminus autem potest multipliciter attingi, vel sub ratione producibilis, et sic dicitur effectus, vel sub ratione intelligibilis, aut appetibilis, et sic terminat ut obiectum: abstrahit ergo tam actio, quam terminus ab utraque ratione. Praeterea, actio vitalis, ut talis est, cum sit exercitium vitae, est ultima perfectio, et finis in quo ultimo quiescit appetitus substantiae viventis, ut saepe docent Arist. et S. Thomas; at productio quaecumque sit, non est ultima perfectio, aut finis, sed medium solum propter rem productam volitam: ergo actio vitalis, ut talis est, non est productio, sed non licet in hoc loco plurima de hac re multiplicare. =

Sectio 3a. statuitur huius difficultatis resolutio.

Iam ergo ut difficultati huic gravissimae satisfaciam. Dico primo, hanc commensurationem, vel coaptationem essentialem potentiae supra explicatam esse active concurrere ad supernaturales actus, efficatiam que proximam totalem, et immediatam ad illos conferre in suo genere, scilicet vitalitatis per modum actus primi pure respicientis obiectum modo dicto, in hoc sensu loquuntur sine dubio, Reverendissimus Noster Cumel, et Curiel citati, quoniam expresse asserunt hanc vitalem commensurationem active concurrere, impugnantque doctores tribuentes potentiis nostris solum causalitatem passivam. =

Neque exponi possunt de concursu activo media virtute supernaturali eis infusa; quia hunc concursum, et activitatem non negant authores asserentes huiusmodi potentialitatem passivam, quinimo ad hoc illam tribuunt vitalibus potentiis in ordine ad supernaturalia, ut possint recipere virtutem activam supernaturalem, qua mediante active operentur. Ita etiam docet S. Thomas, ut magis constabit postea. Haec conclusio iam satis probata est supra rationibus quibus demonstratum est concursum vitalem, formaliter ut talis est, debere esse activum, et praesertim de vitalitate perfecta, qualis est intellectualis, et libera, id minime negari potest. =

Quod autem totalis vitalis in suo genere concurrat ad actus supernaturales, probatur. quia in hoc genere, nec a lumine gloriae, nec a lumine fidei completur vis activa nostri intellectus, nec ab habitu charitatis voluntas, quia huiusmodi habitus vitales non sunt, nec apprehendunt etiam partialiter obiectum, ut constat, quod evidentius apparet, quando Deus mediis auxiliis extrinsecis, aut per modum actionis supplet totam vicem habitus absentis, in quo casu ad minus negari non potest, tunc potentias nostras absque consortio alterius virtutis intrinsecae vitaliter apprehendere, aut diligere, ac proinde ut totales in hoc genere. Nihilominus, quia vis productiva, et illuminativa solent annecti, immo identificari in naturalibus potentiis vitali, ideo dici poterunt etiam rationes partiales unius integrae potentiae; sed in rigore, et proprie sunt rationes totales diversi generis, et rationis formalis, ut constat ex eorum distinctione reali in potentia visiva, et ex diversis muneribus, et exercitiis. =

Dico 2. Sicut sola, et tota vitalitas per modum actus primi, tribuitur potentiis, ita sola, et tota quantitas luminis gloriae, vel fidei confertur ab habitu supernaturali, et per se infuso. Docent authores citati, estque valde rationi, et veritati consentaneum. = Declaratur primo a simili de potentia visiva, quae propter suam imperfectionem lumine caret, ipsumque

que de foris accipit ad videndum; sed intellectus licet respectu obiecti naturalis, et proporcionati, lumine intrinseco praeditus sit, tamen in ordine ad supernaturalia, est ita imperfectus, et indigens lumine extrinseco, sicut visus: accipit ergo totam luminis quantitatem ab habitu infuso.=

Secundo. quia respectu illius splendidissimi solis, et luminis inaccessibilis, quo est Deus quod vis naturale lumen tenebra est, ac proinde tam improporcionatum, et impotens ad illustrandam summam Dei veritatem, ac est impotens materiale lumen respectu obiectorum spiritualium, sicut ergo lumen materiale solum obiecta corporea apparere facit potentiae visivae, non spiritualia intellectui; sic lumen naturale solum ad veritates naturales se extendit, non ad supernaturales. Antecedens patet, quia sicut lumen corporeum solum cum potentia, et obiectis corporalibus convenit in eodem gradu essendi, et ratione huius, illis proporcionatur, cum ipsis que concurrit ad actiones immanentes corporeas, et non ad spirituales quia sunt in altiori immaterialitatis, et intelligibilitatis gradu, sic lumen naturale solum cum potentia et obiectis naturalibus convenit in eodem gradu essendi, et intelligendi, supernaturalia vero, quia sunt altioris ordinis, attingere nequit.=

Dices; sicut potentia vitalitate, et efficatia naturali, potest respicere obiectum supernaturale, et divinum, sine hoc quod requiratur proportio in eodem gradu essendi, quare idem non poterit lumen naturale eiusdem saltim partialiter?=

Respondetur. Esse discrimen, quod lumen institutum est ex natura sua ut ultimo perficiat, et proportionet potentiam, tollat que eius obscuritatem, atque adeo est implicatio quod sit lumen, et quod sit essentialiter improporcionatum, quemadmodum quia habitus est natura sua facilis tributa potentiae, repugnat illi quod det ipse difficultatem, et improportionem conferat ad actus. Potentia autem si precise quoad suam essentiam consideretur compatitur secum obscuritatem, et improportionem, est que valde indifferens, ad modum quo potentia passiva. ob id que est perfectibilis, per habitus, et species, concurrit que ratione quadam communi, et confusa, de qua postea sectione sequenti, ubi euidentius hoc constabit.=

Tertio probatur. quia in corporalibus lumen exiguum in presentia solis, aut corporis valde luminosi, minime lucet, etiam si eiusdem ordinis cum illo sit: ergo multo minus lumen naturale, respectu divini luminis, et in altiori ordine constituti, poterit splendescere.=

Confirmatur: quia lumen naturale, potius impedit quam iuvat: ergo nec partialiter concurrere dicendum est. Antecedens probo. Quia respectu fidei, quae est essentialiter obscura, et in infimo gradu intellectualitatis supernaturalis, lumen naturale potius negari debet, et in captivitatem redigi ad presentiam illius iuxta illud 2 ad Chorinth 10. omnem intellectum in captivitatem redigentes, in obsequium Christi. Et ratio est, quia lumen naturale ostendit veritatem rei in se, lumen autem fidei velamen opponit veritati in se, solum que in attestante eam ostendit: ergo impertinens est tale lumen ad actus fidei. Unde multo maiori iure operari non poterit in presentia luminis gloriae, quod supremum est in gradu supernaturali, superfluus que esset concursus, et consortium illius, quia lumen gloriae potest se solo efficere, quid quid lumen naturale, et alias vitalitas confertur a potentia ut vidimus: ergo sine ulla necessitate, et fundamento, concursus talis luminis affirmaretur.=

Quid dicendum, de efficatia productiva verbi, et amoris.

Maior autem difficultas est, loquendo de altera efficatia, productiva verbi, et

amoris

amoris, quæ licet non detur in patria respectu visionis, et dilectionis beatificæ, ut præcedenti disputatione monstraui, in via tamen negari non potest respectu omnium actuum supernaturalium vitalium. Quia igitur contribuendi restat, tribuatur ne tota habitui infuso, vel supernaturali auxilio, an vero partim etiam potentiæ? In voluntate etiam beata, ubi non concurrit lumen, nec vis productiua amoris creati, quæri etiam potest, quid tribuatur potentiæ, quid habitui infuso?

Sed ad primum fateor probabile esse virtutem productiuam verbi, vel amoris supernaturalis, totam se tenere ex parte auxilij, vel habitus infusi, et solam commensurationem essentialem vitaliter apprehensiuam, aut respectiuam obiecti ex parte potentiæ, modo dicto in prima conclusione. Sic enim placet multis iunioribus thomistis, quam poterit quis sine magno ullo inconuenienti deffendere, dum tamen concedat potentiam veram, et propriam actiuitatem ex se conferre in genere principij vitaliter respicientis obiectum, distinctamque a virtute productiua verbi, et illuminatiua, ut sectione quarta monstratum est.

Probabilius tamen existimo dicendum. Etiam quantitatem virtutis productiuæ partim adscribi potentiæ, et partim habitui, vel auxilio, modo explicando sectione sequenti. Idemque assero de virtute respectiua obiecti in voluntate beata. Ita videtur docere S. Th. citatus q. illa 12. 1 partis art. 5. quatenus asserit, habitum esse adiutorium, et augmentum, quod super accrescit virtuti intellectiuæ, quo confortatur, et redditur potentior &c. quæ verba supponunt aperte habitum, vel auxilium, non esse totam rationem agendi, sed supponere actiuitatem aliquam, et virtutem in ipsa potentia. Mouet me præterea ad hoc regula illa communis, quam omnes theologi recipiunt, scilicet ordinem supernaturalem, semper naturali accommodari, ipsumque imitari in quantum est possibile, et cum oppositum ex sacra scriptura non constat, sed modus connaturalis productionis verbi, et amoris, est quod utrumque procedat a principio omnino intrinseco, ita ut, quod verbum procedat ab intellectu ut loquente per ipsum ex intimis suis visceribus genitum, et amor a voluntate, ut se ex intimo corde inclinante, et non ex impulsu, aut virtute ab extrinseco impressa: ideo enim voluntarium deffinitur quod sit a principio intrinseco, quia intimam, et innatam potentiæ virtutem naturaliter postulat: ergo dum non obstat impossibilitas, sic in super naturalibus philosophandum est.

Dices: obstare impossibilitatem, scilicet quod virtus naturalis potentiæ, actus efficiat supernaturales, alioquin auxilium, vel habitus, necessarius non esset. Ad hoc iam respondeo sectione sequenti.

Sectio 4.a quomodo virtus naturalis potentiæ vitalis actus possit attingere supernaturales.

Ut iam propositam difficultatem diluam, in qua totius huius disputationis nodus consistit. Respondeo dicendum. quod potentia vitalis, et eius actiuitas innata, ratione sui solum rationem communem vitalitatis, vel intellectionis, aut dilectionis præbet, habitus vero vel auxilium particularem attingat supernaturalitatis rationem. Unde cum ratio communis actus abstrahat a supernaturalitate, et naturalitate, non est inconueniens quod cadat sub naturali virtute. Supernaturalitas ~~enim~~ enim illi identificata attingitur ratione habitus infusi, et sic euanescit tota difficultas proposita.

Huius

Huius asserti non est sensus, quod potentia solum concurrat ad rationem communem actus; et auxilium, seu habitus infusus ad rationem particularem supernaturalem dumtaxat, hoc enim est impossibile; quia ratio communis, et particularis cum sint eadem indivisibilis entitas, non potest per partes produci, quas non habet: solum ergo intendo quod licet potentia vitalis indivisibiliter totam entitatem actus efficiat, vitalitatem causat ratione sui, et supernaturalitatem ratione auxilii: Et econverso, auxilium, vel habitus supernaturalitatem attingit ratione sui, vitalitatem autem ratione potentiae; ita ut ambae sint causae partiales partialitate solius causae, et totalitate effectus.

Hanc sententiam docent theologi gravissimi, scilicet Caietan. 3. p. q. 10. art. 4. circa solutionem ad 23. Capreolo in 4. d. 49. q. 4. art. 3. ad argumenta Durandi. Ferrara 3° contra gentes. cap. 54. §. ad 13. qui duo posteriores expresse declarant quomodo intellectus ergo ad vitalitatem ratione sui concurrat, et ad supernaturalitatem ratione habitus. Nec possunt ab hac doctrina dissentire Reverendissimus Lumel, et Curiel citati ut postea declarabo.

Nunc autem eam primo ostendo, manifesta instantia, de intellectu, et specie intelligibili. qua utuntur Capreol. et Ferrara citati. Omnes enim fatentur utrumque concurrere ad totam entitatem actus, alterum intellectum ratione sui, ad vitalitatem, et intellectionem ut sic, et ad specialem tendentiam, sumptam per ordinem ad tale obiectum, ratione speciei: idem ergo poterit de potentia vitali, et virtute supernaturali dici.

Ex qua doctrina obiter colligitur alia valde notanda: ratio scilicet, quare licet actus intellectus, sint specie, et genere diversi, potentia intellectiva sit una, secundum speciem infimam, nimirum, quia haec diversitas, non attingitur a potentia ratione sui, sed directe est ab speciebus, et ideo sola ratio vitalitatis intellectualis ut sic, specificat potentiam. Neque obstat quod haec ratio sit alias generica in genere rei, et divisibilis, nam in ratione obiecti, vel actus specificantis potentiam est una, et ultima, et specifica: quia in ea sistit ultimo activitas per se potentiae, et solum ratione specierum intelligibilium, cum quibus coniungitur, et non ratione sui progreditur ulterius ad varias illas actuum, et obiectorum differentias. Ut disp. 1. num. 205. et alibi latius adverto.

Secundo probatur a simili de causa prima, et secunda. Utraque enim ad quamcumque indivisibilem entitatem simul concurrit, et nihilominus causa prima ratione sui solum rationem communissimam entis attingit, ut docet S. Th. 1. p. Et causa 2ª speciales, et determinatas differentias illius, ratione cuius determinare dicitur concursum indifferentem causae primae, ad hunc specialem effectum, quia ratione causae secundae illum attingit causa prima. In concursu quo Deus cum creatura ad peccatum concurrit, magis clare cernitur vis huius rationis: nam in sententia thomistica quam semper defendimus, monstrositas peccati, eo ipso quod positiva est, non potest subterfugere divinam causalitatem, attingitur tamen a Deo ratione sui, non nisi praecise, ut entitas est; et ut monstrositas, non nisi ratione creaturae.

Tertio patet hunc modum esse possibilem, ex communi, et antiqua philosophorum doctrina, asserentium dupliciter, duas causas posse concurrere ad eundem effectum, vel partialitate effectus, ita ut una, unam tantum effectus partem producat, et alia alteram. Vel partialitate solius causae, et totalitate effectus, ita ut quaelibet totum causet effectum, quamvis non quaelibet se sola, sed simul cum alia, illum in re ponere valeat, eo quod non quaelibet omnes perfectiones in virtute sua contineat, quas effectus in se identificatas habet: ergo eadem ratione, potentia naturalis, totam actus supernaturalis substantiam attingere possunt, ut causae partiales, partialitate solum in causando.

Confirmatur

Confirmatur. Nam ideo una Causa, diversi rationis alteri Coniungitur, ut simul cum perfectione propria, et alterius, totum effectum adequet, possitque illum totaliter in sua virtute continere, assimilare, et producere: ergo signum evidens est, quando duplex Causa Concurrit, quod ratione sui, neutra potest totum effectum producere, sed aliquid ratione sui, et aliquid ratione alterius, quamvis verum sit quod identitas inter utramque rationem, non sinat unam sine alia produci, et Consequenter nec unam Causam sine alia influere permittat. =

Quarto. Tam improporcionata est virtus activa non vitalis, respectu actus vitalis, ac est naturalis virtus, respectu actus supernaturalis. Utraque enim ratio diversa est valde, et adhuc hoc non obstante, forma non vitalis, qualis est virtus infusa ponitur Causa per se actionis vitalis propter unionem quam habet cum potentia vitali, ut patet etiam in speciebus intencionalibus: ergo etiam potentia non supernaturalis, poterit ex coniunctione cum forma supernaturali, esse Causam per se actionis supernaturalis. quam rationem, bene nota; nam quo pacto Authores oppositi defendunt, et explicant in eodem actu vitalitatem procedere a forma non vitali, poterit illis Convinci supernaturalitatem attingi a naturali virtute. =

Denique hunc modum dicendi tenuisse Reverendissimum Rumel, et gravissimos alios thomistas ex eorum verbis, et doctrina facile Constat: nam Commensurationem essentialem explicant per ordinem ad obiectum intelligibile, et appetibile ut sic, in quo Conveniunt omnes naturae intellectuales Creatae, et quantitatem virtutis, per ordinem ad tale obiectum proporcionatum, et specificum, in quo differunt specifice intellectualitates Creatae: sentiunt ergo potentias vitales, Concurrere ad rationem Communem actus, et obiecti, rationes autem particulares, et specificas accipi per ordinem ad habitus infusos. =

Et quia per has quantitates specificat virtutis, species se extendunt sicut numeri, cum sola quantitas faciat equales, vel inequales, hinc est quod quantitatem virtutis, seu perfectionis attribuant solis habitibus supernaturalibus, ex quibus desumitur tota perfectio specifica actus; non excludunt tamen activitatem potentie, ex qua etiam pendeat actus, sed solum quantitatem perfectionis, quia nullam Confert ex se potentia, Cum omnes actus supernaturales sunt eiusdem speciei in Angelis, et hominibus, solumque diversificantur, penes quantitatem virtutis infuse, non naturali, ut magis declarabitur postea. =

Neque obstat, quod obiectum adequatum potentie, vocant specificativum, in quo videtur sentire esse de ratione specifica, et non generica; nam loquuntur de specificativo, ut quod, quod est ens intelligibile, et appetibile ut sic, quod tantum est formale in genere rei, non vero de specificativo ut quo, quod est formale in genere obiecti, alias omnes intellectualitates Create essent eiusdem speciei; Cum omnes universe respiciant idem obiectum adequatum. =

Insuper quando asserunt has potentias mediate Concurrere, loquuntur in alio sensu, minime Contrario nostre doctrine, in eo videlicet, quo intellectus dicitur Concurrere media specie vel habitu acquisito, et Causa prima mediis secundis, et Causa principalis media instrumentali, etiam in sententia que asserit utramque simul Concurrere. Quotiescumque enim plures Cause ut subordinate agunt, illa cui cetera subordinantur, dicitur prior, et mediatior effectui, et subordinate, dicuntur posteriores, et immediatiores, quia secundum similitudinem effectui propinquiores sunt: presertim quando una Causa Concurrit ut universalior altera, universalior dicitur prior, cetere que dicuntur subordinate, vel subalterne, quia medie, et tandem Intellectus ad minus universalem, ut ad infimam. =

Sectio Quinta. proponi~~tur~~ntur, et resolvuntur aliqua argumenta contradicta.

Obijcies primo: sola virtus ad rationem communem non satis est in potentia ut elevari possit ad efficiendum actum sub ratione particulari, etiam si ratione auxilij, aut virtutis infusæ, dicatur illum attingere, nam potentia visiva ut omnes docent non potest elevari ad claram, et immaterialem Dei visionem, nec appetitus sensitivus ad dilectionem Dei, quamvis ille ratione sui possit attingere rationem communem appetitionis vitalis, et illa rationem notitiæ vitalis: ergo non satis est virtus ad attingendam rationem communem actus, ut potentia elevari possit ad rationem particularem illius per habitus infusos: ergo hic modus explicandi concursum, quod scilicet ratio communis tribuatur potentiæ, et ratio particularis tribuatur auxilio impossibilis est. =

Respondetur distinctione antecedentis: fateor enim, quod non quælibet virtus ad rationem communem sit satis, ut potentia possit elevari, poterit tamen aliqua virtus sufficere, ea scilicet quæ quæ attingeret totam vitalitatem actus, cuius ratio est: quia deffectus vitalitatis suppleri non potest ab alio, quam ab ipsa potentia vitali: quia concurrit ad suos actus, non solum efficienter, sed etiam formaliter, ut specificans illos; ideoque tantum repugnat intellectio, sine intellectu, et appetitio sine appetitu, ac relatio sine suo termino, et species, sine suo specificativo. Unde ad instantiam de visu, et appetitu patet iam discrimen, nam potentiæ illæ, quantumvis elevantur, attingere non possunt totam vitalitatem actus intellectualis: nam intellectualitas est exercitium vitæ intellectivæ essentialiter connotans intellectum, quod potentiæ dictæ præstare non possunt, quia corporeæ: nec virtus aliqua divinitus infusa, quia non vitalis. At supernaturalitas non addit actui novum modum vitalitatis per ordinem ad aliquam potentiam vitalem supernaturalem, (quæ possibilis non est, sicut nec viuens, ut suppono): tantum ergo consistit in ordine ad obiectum supernaturale, quod virtute non vitali præstari potest. =

Dices: actus visionis beatæ, et amoris, non solum quoad ordinem ad obiectum, sed etiam quoad vitalitatem, sunt intrinsece supernaturales: ergo sola vitali+ potentiæ non est sufficiens præstare +tas illam. = Respondetur. Propter hoc potentias vitales, dupliciter elevari, et ex parte obiecti, a verbo scilicet, et amore supernaturali, vel ab essentia Divina, vices utriusque gerente. Et etiam ex parte potentiæ, a lumine gloriæ, et habitu charitatis, per quos ipsa vitalitas potentiæ elevatur, et proportionatur vitalitati actus supernaturalis. =

Sed ad maiorem explicationem addo secundo: quod si sermo sit de commensuratione essentiali potentiæ ad obiectum, qua illud vitaliter apprehendit, vel respicit, tota convenit potentiæ, ut dixi conclusione prima, sectionis præcedentis, quia habitus infusus, vel auxilium, non advenit, ut facultas intelligens, aut volens etiam partialiter, ac proinde totum obiectum quod, seu terminativum, tam quoad rationem communem, quam quoad particularem, respicitur per hanc efficaciam vitalem, et innatam potentiæ. Patet hoc præterea ex communi doctrina qua asseritur ens intelligibile in communi esse specificativum adequatum ut quod respectu intellectus, et bonum ut sic, specificativum voluntatis, quæ rationes transcendentes sunt, et essentialiter imbibitæ in ultimis conceptibus obiectorum supernaturalium: ergo ratione ipsarum possunt attingi ab his potentijs etiam secundum suas particulares rationes. Non autem a visu, vel appetitu: quia obiecta specificativa harum potentiarum, sunt intrinsece sensibilia, quæ ratio longe infra, et distans est a supernaturali. =

Dices: si commensuratio vitalis potentiæ, respicit se sola totum obiectum, etiam quo

ad

ad supernaturalitatem, sequitur quod supernaturalis sit, vel quod viribus naturalis partialiter possit ipsam supernaturalitatem attingere, quod semper vitare intendimus. = Respondetur. Negando sequelam, quoad utramque partem; quia sola habitudo ad obiectum materiale, seu terminativum ut quod non tribuit speciem actui, ac proinde, nec quantitatem perfectionis, ideoque actibus naturalibus, tam intellectus quam voluntatis, attingimus Deum ipsum, quia ipse supernaturalissimus est, et quia modus respiciendi illum, est improporcionatus, et inferioris ordinis, actus euadit naturalis, sic in presenti commensuratio haec essentialis, licet totum materiale illud obiectum in re supernaturale respiciat, quantum ad modum respiciendi, a quo sumitur ratio specificans, tam actum, quam obiectum, correspondet illi tantum ratio quedam materialis, et indiferens, et ad summum generica, quia attingit supernaturalitatem sub ratione intelligibilitatis vitalis ut sic, secundum quam rationem abstrahit a supernaturalitate, ut dixi. =

Secunda obiectio principalis dissoluitur.

Secundo obiicies: vitalitas, et supernaturalitas sunt eadem omnino entitas a parte rei: ergo implicat, quod potentia ratione sui vitalitatem et non supernaturalitatem producat. Patet consequentia, quia attingit illas prout sunt in re, et non prout in intellectu differunt, sed prout in re sunt omnino idem: ergo eo ipso, quod attingitur unum, ita et aliud. =

Sed ad hoc, et similia respondetur in primis, ab omnibus solui debere, quia aeque militant, contra communem doctrinam, de concursu intellectus, et speciei, et causae primae, ac secundae, ut dixi. =

Dico 2.º quod sicut non est inconueniens, quod eadem indiuisibilis essentia v.g.ª hominis eminenter contineat plures virtutes, et licet tota entitas concurrat a parte rei ad actus sentiendi, et eadem tota actus exerceat raciocinandi, nihilominus priores dicitur attingere, non ut racionalitas, sed ut animalitas, et posteriores, non prout animalitas, sed ut racionalitas, quia secundum diuersas perfectiones, diuersos assimilat sibi effectus. Ita similiter ex parte effectus, non est mirum quod entitas aliqua indiuisibilis plures perfectiones eminenter continens, ratione quarum ab una causa minus perfecta non possit produci, a pluribus pendeat, in quibus dispersae sint perfectiones, quae in effectu sunt unitae, et secundum unam, vel ratione unius pendeat a causa illam perfectionem habente, et secundum aliam, ab altera. =

Neque enim est maior difficultas, in hoc quod una entitas indiuisa secundum diuersas rationes pendeat a duplici causa, quam una entitas simplex plures operetur effectus, sicut enim quando causa operatur varios effectus secundum perfectiones ratione diuersas, quas in se habet, non dicitur illos producere secundum rationem, vel aliquo genere dependentiae ab intellectu, sed explicamus variis conceptibus, et vocibus, id quod realiter in re contingit, v.g.ª quod adequata ratio sentiendi in homine sit animalitas, quidquid de racionalitate illi identificata: sic tota ratio procedendi actus supernaturalis a potentia, est vitalitas; et tota ratio procedendi ab auxilio, est supernaturalitas; quia neque auxilium potest illi praestare vitalitatem quam non habet, nec potentia, supernaturalitatem qua caret. Et generaliter loquendo eo ipso quod idem effectus indiuisibiliter procedit a duplici causa diuersi generis, necessario affirmari debet, quod neutra tribuit effectui totam perfectionem ratione sui, alias superflueret alia causa, si ergo consortium alterius exigitur, non alia de causa est nisi quia supplet aliquem defectum, quem habet altera

causas

causa, eo quod totum effectum non in sua virtute contineat.—

Ex quo iam in forma ad Argumentum, negatur Consequentia. Et ad illius Probationem respondeo. Ex identitate vitalitatis cum supernaturalitate solum inferri, quod vna formalitas sine altera in re non possit produci, et consequenter quod nec potentia sine auxilio operari possit, nec auxilium sine potentia. Cum hoc tamen stat, quod licet inseparabiliter vtraque causa concurrat, et indiuisibiliter tota entitas effectus ab vtraque causa fiat, quod vitalitatem accipiat ratione potentiæ, quæ ista illam habet, et supernaturalitatem ratione auxilij. Et licet propter identitatem vtriusque rationis supernaturalitas fiat a potentia, eam præstet potentiæ non ratione suæ virtutis, sed ratione auxilij a quo eleuatur, et econtra auxilium vitalitatem causat ratione potentiæ &c.—

Duplex tandem alia obiectio soluitur

Tertio item obijcies: si propria efficatia et ratione sui intellectus, actui vitalitatem conferat, sequitur quod intellectus perfectior Angelicus v.g. perfectius Deum videat, quam intellectus humanus, hoc autem alienum est valde a schola Sancti Thomæ, in qua pro constanti habetur, solum ex quantitate luminis gloriæ, mensurari perfectionem visionis beatæ; ergo lumen tantummodo, et non intellectus, est adequata virtus actiua ad visionem concurrens.—

Quarto sequitur quod actus simul sit naturalis, et supernaturalis, quia virtus naturalis ratione sui non potest nisi suam naturalem perfectionem conferre, vitalitatem scilicet, quæ cum sit a potentia naturali accepta, non potest naturalis non esse, sicut est perfectio ab habitu, vel auxilio communicata necessario supernaturalis est, sed hoc est implicatorium, quia eadem indiuisibilis entitas, non valet tam oppositas inducere rationes, nimirum, quod sit debita naturæ, et quod non sit debita, inter quæ extrema cum sit contradictio, nullum est medium: ergo.—

Sed ad 3.m Negatur sequela: quia intellectus humanus, quando concurrit ad visionem beatam, non confert illi modum vitalem specificum, secundum quem differt ab intellectu Angelico, alias attingeret Deum modo discursiuo, et dependenter a sensibus, sed solum tribuit vitalitatem genericam, secundum quam concurrit cum quolibet Angelo quantumuis perfecto ac supremo. quæ ratio cum sit eadem in omnibus creaturis intellectualibus, omnes æqualiter se habent per illam ad videndum Deum, solum que ex parte luminis, et gratiæ Dei attenditur inequalitas gradualis, non specifica quæ possibilis non est.—

Nec fuit conueniens quod visio beata, quæ competit nobis, vt maximum Dei beneficium, et vt præmium, ac meritorum corona, in aliquo commensuraretur naturæ viribus, quibus nec meremur, nec demeremur.—

Dices: quomodo potest causa quæ non nisi in singulari existens operatur, et non nisi ad singulare existens terminatur, operari secundum virtutem genericam, et tribuere vitalitatem quæ indiuidua non sit.?— Respondeo, quod entitatiue, et in genere rei, tam causa, quam terminus illius singularis est, reduplicatiue tamen in ratione causæ consideratæ secundum præcisam rationem per quam agit esse, potest vna ratio generica, et similiter effectus, quantum quantum ad rationem quæ illi præcise correspondet, ex quo nullum sequitur inconueniens; quia non intendimus propter hoc dicere quod producatur in re ratio generica, sine specifica, aut indiuiduali, sed potius propter hoc asserimus, quod potentia operari non potest sine auxilio, nec attingere vitalitatem sine supernaturalitate, cæterum attingit primam ratione sui, et secundam ratione causæ superna-

turalis

naturali aqua elevatur. =

Hoc item exemplis, quando homo hominem generat, ratio generica effectus dicitur correspondens rationi genericæ causæ, et ratio specifica, seu differentialis rationi specificanti causam: quando scilicet equus, et asina simul congrediuntur, mulum generant, rationem genericam utraque communicat, sine specifica, et ex commixtione utriusque seminis, tertia illa speciei efficitur, aliquid utriusque participans. =

Ex quo ad 4.um 3 negatur etiam sequela. quia sicut intellectus, non confert vitalitatem specificam, sed genericam, ita nec vitalitatem naturalem, sed eam quæ abstrahit a naturali, et supernaturali, quemadmodum, nec concurrit efficatia specifica, sed generica, ut dixi, correspondens rationi, quæ attingitur in actu, quia inter agens, et actum, debet esse omnimoda proportio. =

Sed dices: a re naturali, et supernaturali, non est abstrahibilis ratio generica, nec communis: nam talis ratio eo ipso quod non sit supernaturalis, idest supra omne ens creatum, et creabile, erit naturalis, ut patet ex definitionibus utriusque, quæ contradictionem important, atque adeo sicut a duobus contradictoriis, non est abstrahibilis ratio, quæ medius ut genus, ita nec a re naturali et supernaturali. =

Rursus 2.º omnis ratio quæ attingitur a creatura naturali ratione sui est naturalis, sed vitalitas quæ in præsenti assignatur ut genus ad actus supernaturales, solum provenit a potentia naturali ratione sui ut dictum est. ergo talis ratio determinate naturalis est et non abstrahens ab utroque modo. =

Respondetur, negando antecedens. quia negari non potest convenientia quam habent esse supernaturale, et naturale in ratione entis, accidentis, qualitatis, actionis &c.^{a} ut tales rationes communes ab illis abstrahi possint. Ad primam probationem contra hoc dico, quod quando deffinitur naturale est id quod non est supra ens creatum, intelligendum est negative non præcisive, hoc est, quod in re talis negatio conveniat rei naturali, non autem obiective tantum prout inadequate concipitur ab intellectu, similiter quando supernaturale deffinitur, quod nulli enti creato connaturaliter debetur, de negatione reali, et non obiectiva intelligi debet. Ex quo fit quod licet vitalitas in statu præcisionis, non habeat esse supra ens creatum, et creabile, adhuc dici non possit naturalis, quia in re, ei non competit talis negatio propter contradictionem differentiæ supernaturalis, a qua simpliciter habet, quod supernaturalis sit, quia omnis denominatio sumitur a forma, et non omne quod præscinditur, removetur, vel negatur. =

Huius rei innumera sunt exempla. Naturæ quæ in re sunt simpliciter corruptibiles, prout universales, per abstractionem fiunt, dicuntur incorruptibiles, et ingenerabiles, quod intelligitur, obiective tantum, non realiter, et simpliciter, nemo enim illas dicit simul corruptibiles, et incorruptibiles, generabiles, et ingenerabiles. Etiam in actu peccati ratio generica, per se mala non est, nec indebita rationali creaturæ, et non dicitur per hoc actus bonus, et malus, contrarius simul, et non contrarius rationi, sed in isto casu intelligimus rationem genericam actus creaturæ rationalis, dut non malam: contrahi per differentiam monstruosam, et sibi contrariam, ut suo loco dixi: ergo ita in præsenti intelligere possumus rationem genericam vitalitatis contrahi per differentiam supernaturalem, et non debitam. Patet consequentia, quia sicut ibi peccatum est contra naturam, et illam inficit subiiciendo deteriori conditioni, sic supernaturalitas, est supra naturam, et illam perficit, extollendo ad altiorem ordinem. =

Ad 2.^{am} probationem. Respondetur distinguendo maiorem. Est enim vera quando

creatura

creatura concurrit naturali virtute, secus vero quando sola potentia obedientiali operatur, quia non solum naturalis concursus, sed etiam obedientialis praestatur a creatura ratione sui. =

Unde infero quod potentia obedientialis, reduplicative ut talis est, nec potentia naturalis nec supernaturalis dicenda est, sed obedientialis, et indifferens ad hoc quod si ille utatur per formam supernaturalem, actus supernaturalis efficiat, et per hoc sic virtute infusa induta causa supernaturalis dicatur; vel ad hoc quod virtute naturali, solum naturalia operentur. =

Quod si iterum urgeas, quod implicat rem aliquam existere, quae nec naturalis sit, nec supernaturalis. Hoc et ego libenter fateor, et consequenter ad hoc affirmo, quod potentia obedientialis tam activa, quam passiva, entitative, et in genere rei naturalis sit, et in ratione causae, nec naturalis, nec supernaturalis, sed obedientialis. Non enim est necessarium id quod est absolute, et simpliciter ens, esse absolute, et simpliciter causam: ergo neque quod sit causa naturalis absoluta, id quod ens naturale absolute est, quia possunt deficere naturalia requisita ad causandum, nimirum continentia virtualis, cui non deficiunt naturalia requisita ad essendum. =

~ Articulus 3.us Utrum charitas sit virtus. ~

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod charitas non sit virtus. Charitas enim, amicitia est quaedam, sed amicitia a Philosophis non ponitur virtus: ut in 8. lib. Ethicor. patet. Neque enim connumeratur inter virtutes morales, neque inter intellectuales: ergo etiam, neque charitas est virtus. =

Praeterea, virtus est ultimum potentiae, ut dicitur in lib. de coelo et mundo, sed charitas non est ultimum; sed magis gaudium, et pax; ergo videtur quod charitas non sit virtus, sed magis gaudium et pax. =

3. Praeterea, omnis virtus est quidam habitus accidentalis; sed charitas non est habitus accidentalis, cum sit nobilior ipsa anima: nullum autem accidens est nobilius subiecto: ergo charitas non est virtus. =

Sed contra est quod August. dicit in lib. de moribus Eccles. charitas est virtus, quae (cum nostra affectio est rectissima) coniungit nos Deo, quia eum diligimus. =

Respondeo dicendum, quod humani actus, bonitatem habent, secundum quod regulantur debita regula, et mensura, et ideo humana virtus, quae est principium omnium bonorum actuum hominis, consistit in attingendo regulam humanorum actuum. quae quidem est duplex, ut supra dictum est, scilicet humana ratio, et ipse Deus. Unde sicut virtus moralis deffinitur per hoc, quod est secundum rectam rationem. ut patet in 2.° Ethic. Ita etiam attingere Deum constituit rationem virtutis; sicut etiam supra dictum est, de fide, et spe. unde cum charitas attingat Deum, quia coniungit nos Deo, ut patet per authoritatem Augustini inductam: consequens est charitatem esse virtutem. =

Ad 1.m ergo dicendum. quod Philosophus in 8. Ethic. non negat amicitiam esse virtutem: sed dicit quod est virtus, vel cum virtute. Posset enim dici, quod est virtus moralis circa operationes, quae sunt ad alium; sub alia tamen ratione, quam iustitia. Nam iustitia est circa operationes, quae sunt ad alium sub ratione sub ratione debiti legalis: amicitia autem sub ratione cuiusdam debiti amicabilis, et moralis; vel magis sub ratione beneficii gratuiti, ut patet per Philosophum in 8. Ethic. Potest tamen dici, quod non est virtus per se ab aliis distincta, non enim habet rationem laudabilis, et honesti, nisi ex obiecto, secundum scilicet quod fundatur super honestatem virtutum.

Quod

quod patet ex hoc, quod non qualibet amicitia, habet rationem laudabilis, et honesti, sicut patet in amicitia delectabili, et utili. Unde amicitia virtuosa, magis est aliquid consequens ad virtutem, quam sit virtus. Nec est simile de Charitate, quæ non fundatur principaliter super virtutem humanam, sed super bonitatem divinam. =

Ad 2um. dicendum. quod eiusdem virtutis est, diligere aliquem, et gaudere de illo: nam gaudium amorem consequitur, ut supra habitum est, cum de passionibus ageretur. Et ideo magis ponitur virtus amor, quam gaudium, quod est amoris effectus. Ultimum autem quod ponitur in ratione virtutis, non importat ordinem effectus, sed magis ordinem excessus cuiusdam; sicut centum libræ, excedunt quadraginta. =

Ad tertium dicendum. quod omne accidens, secundum suum esse, est inferius substantia, quia substantia est ens per se, accidens autem ab alio, sed secundum rationem speciei, accidens quidem quod causatur ex principiis subiecti, est indignius subiecto, sicut effectus causa, accidens autem quod causatur ex participatione alicuius superioris naturæ est dignius subiecto, in quantum est similitudo superioris naturæ: sicut lux, diaphano, et hoc modo charitas est dignior anima, in quantum est participatio quædam spiritus sancti. =

Disputatio 36. de Charitatis habitu.

Sectio 1a. Utrum charitas sit virtus, etiam in quovis gradu remisso

Præmisso iam ex Concilio tridentino, quod sit habitus, simul cum gratia iustificante infusus non est difficile probare esse virtutem ex illis deffinitionibus. scilicet, est habitus principaliter operativus, qui bonum facit habentem, et opus illius bonum reddit, vel est bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur, quam deus in nobis operatur sine nobis. Rectitudinem autem operationis probat optime S. Doctor. ex eo quod Charitas coniungit nos Deo ultimo fini, et est conformis rectæ regulæ, et mensuræ, non solum naturali, aut creatæ, quæ est recta ratio, sed increatæ, et supernaturali, quæ est ipse Deus, ratione cuius convenit illi et altera alia virtutis deffinitio, scilicet, dispositio perfecti ad optimum: ergo non est unde ratio virtutis illi denegari possit. =

Sed contra obiicies primo. Dona, et fructus spiritus sancti distinguuntur a virtutibus, sed charitas numeratur ab Apostolo inter fructus spiritus sancti, et a Chrisostomo, homil. de spiritu sancto. tom. 3. inter eius dona: ergo non est virtus. = 2o. quia si charitas esset virtus, cum sit ad alterum, deberet esse pars potentialis iustitiæ. quod est plane falsum. 3o. Nulla daretur virtus in nobis, quæ versetur circa Deum, ut in se ipso est infinitus, omnipotens aut sapiens: ergo neque est constituenda virtus, quæ respiciat illum, prout in se ipso est bonus, ac proinde charitas non propter hoc virtus erit. =

Respondetur ad primum quod solum de actu Charitatis, intelligitur quod sit fructus spiritus sancti. Et quatenus habitus dicitur spiritus sancti donum, sermo est de dono in latiori acceptione, qua dicitur de quolibet actu, vel habitu supernaturali, non stricte prout reducitur ad aliquod ex septem. =

Ad 2um. Respondetur. quod solum virtus moralis, quæ est ad alterum, et respicit ius alterius

ulterius, numeratur a Philosopho inter partes potentiales iustitiae, non vero virtus theologica qualis est charitas. =

Ad 3.um Respondetur ex D. Thoma q. 1.a de virtutibus art. 2. ad 13. Rationem discriminis esse, quod Deus solum possit terminare virtutes theologicas, secundum rationem finis, non vero prout est causa, aut principium suorum operum, et id circo nec reduplicative, ut omnipotens, aut sapiens, est obiectum nostrarum virtutum, sed prout verus, aut bonus, reliqua attributa dicunt habitudinem ad suppositum divinum in quo sunt, et quod denominant, et ad actus nostros, non nisi sub ratione veri, aut boni, sui finis. =

Quarto insuper obiicies. Ad diligendum Deum finem ultimum naturalem, nulla datur virtus. Ut docet S. Th. 1.a 2.ae q. 62. art. 1.o ad 3. et q. 109. art. 3. ad 3. et tamen dilectio haec, est arduum, et difficilis, adeo ut sine speciali gratiae auxilio multi asserunt exerceri non posse: ergo pari ratione ad diligendum Deum supernaturalem finem, nulla virtus est constituenda. Patet consequentia, quia eadem proportio servatur semper in ponendis virtutibus circa supernaturalia, et circa naturalia obiecta. =

Respondetur: (quidquid sit de maiori propositione) negandam esse consequentiam. Et ratio discriminis est, quod ideo ad dilectionem Dei finis naturalis, negant S. Thomas, et alii permulti virtutem, quia natura est ex se inclinata sufficienter, et potens ad illum, adeo ut nec libera sit illi talis finis intentio, sed necessaria saltem quoad specificationem. At ad Deum finem supernaturalem est omnino improporcionata vis naturae, ideoque indiget virtute illi superaddita, ut ad illum ferri possit. =

Praeterea, ad maiorem regrediens. Respondeo dupliciter, Deum finem ultimum intendi posse. Uno modo abstracte, prout est quoddam universale bonum, abstrahendo ab hac, vel illa, particulari materia, in qua consistat, et ab omnibus difficultatibus, a quibus perfecta, et efficax illius assecutio pendet, et sic non datur virtus ad illum. Quia licet actus bonus sit, non est difficilis, sed maxime naturalis, et saltem quoad specificationem necessarius. De quo late 1.a 2.ae. Nulla enim est difficultas ad bonum sic in communi amplectendum, in quo nulla prorsus ratio mali apparet. = Sed potest 2.o finis ultimus in particulari considerari ex praesupposita notitia quod sit verus Deus, et quod debet adorari, et coli, et nullo modo offendi, sed super omnia efficaciter diligi, et sic est actus difficilimus valde. Sicque attingitur per virtutem Religionis, ut latius suo proprio loco demonstrabimus. =

De Charitate in gradu remisso, est longe maior difficultas. Et ratio dubitandi est a simili de virtutibus moralibus, quae in gradu incipientium non sunt virtutes simpliciter. Ut docet S. Thomas 1.a 2.ae. q.a 65. art. 1. propter luctamen passionum, et acres stimulos, qui tunc patiuntur, sed idem contingit in charitate remissa incipientium, et nuper conversorum: ergo non habet statum saltem virtutis simpliciter. = Confirmatur ex Arist. 7. Ethic. qui in hoc distinguit virtuosum a continenti, quod virtuosus habet passiones moderatas, et continens acres stimulos patitur, et quasi a passionibus opprimitur: ergo charitas remissa non constituit, virtuosum simpliciter. =

Secundo. Proprium virtutis est, prompte, et delectabiliter operari, esseque permanentem ac difficile mobilem. Ut docet Arist. 2. Ethic. cap. 3. Sed charitas remissa nihil horum habet, facile enim amittitur, et vix, aut aegre implet mandata: ergo. = Denique, virtutes omnes sunt inter se connexae; sed charitas remissa compatitur secum vitia opposita in gradibus intensis, quia non statim ac iustificatur homo, amittit vitia, in quibus inveteratus erat: ergo charitas tunc non est virtus, donec ceteras virtutes sibi annectet, et vitia deprimat. =

~ Pars affirmans, prefertur, et Probatur. ~

Lorca, et alij propter hoc negant gradui charitatis remisso statum virtutis, licet essentiam admittant: Communior tamen, et vera sententia est, non solum essentiam, sed etiam statum, et denominationem virtutis simpliciter in quocumque minimo gradu obtinere, inter quae ad hoc virtutibus recensi probatur, quia habitus charitatis, quantumvis remissus, est proprietas Complens, et Consequens iustitiam, et sanctitatem nostram, supponensque statum amicitiae, cum deo, et incompatibilis cum peccato mortali: ergo est simpliciter virtus in quocumque gradu remisso. Patet Consequentia: quia formae iustificanti, et Consequenter Charitati illi anexae, et Complenti sanctificationis formam, sicut negari non potest, quod absolute Constituat iustum, et amicum Dei, et dignum vita aeterna, quae longe maiora sunt, sic quod constituat virtuosum simpliciter. =

Secundo Probatur: Nam perfectio, et status virtutis Convenit Charitati per se, et ex natura sua, caeteris vero virtutibus per accidens, ex informatione charitatis: ergo eo ipso quod charitas remissa, retineat essentiam, habebit et statum virtutis. Consequentia Probatur, quia propter quod unumquodque tale, illud magis, sed Charitas remissa Confert reliquis virtutibus existentibus in eodem subiecto rationem, et statum virtutis, ut art. 5 diximus: ergo ipsa a fortiori virtus erit a qua caeterae rationem virtutis participant. =

Tertio urgentius. Minima Charitas in ordine ad ultimum finem potentior est caeteris virtutibus quantumvis intensis: ergo si reliquae virtutes simpliciter a fortiori et ipsa. Consequentia est evidens, et Confirmatur ex illo 1. Ioann. 2. qui facit verbum eius, vere in hoc Charitas Dei perfecta est. et Ioann. 14. Siquis diligit me, sermonem meum servabit. Antecedens, docet D. Thomas et Constat ex q. sequenti art. 5. 3a p. q. 62. art. 6. ad 3. et q. 10. art. 4. ubi ait quod minima charitas, plus diligit Deum, quam Cupiditas millia auri, et argenti, et supra: quod potest resistere cuilibet Concupiscentiae, et vitare omne peccatum mortale, quod Committitur in transgressione divinae legis. =

Ratione praeterea probatur ex his quae dixi de summa appretiatione essentiali Charitatis disp. — § — quod scilicet eo ipso quod sit Amor Dei summe appretiativus super omnia, habet essentialiter excedere quoscumque alios actus circa alia bona creata, quantumvis intensione crescant et illa respuere, si Dei amori sint adversa, vel nisi sint eius voluntati conformia, minime timendum esse aliorum excessum intensivum, quia minimus gradus huius appretiationis Charitatis illa longe superat, et praecellit: ergo superat indubitanter virtutes quascumque intensas, ac proinde propter remissionem, aut debilitatem, minime excludi debet, a ratione, et statu virtutis. =

~ Satis fit argumentis oppositis. ~

Ad obiecta, prius in genere Respondeo eodem modo probare, de Charitate intensa ac remissa, Contingit enim magna aliqua dispositione aliquem primo iustificari, et Consequenter vitia et passiones in ipso non levem pugnam committere, potestque accidere, quod cito gratia illa, et fortior quaeque alia amittatur, et nemo dubitat, statum, et rationem obtinuisse perfectae virtutis; ergo nec de Charitate remissa id ambigendum est. =

Ad primum ergo iam Respondeo. Hoc esse discrimen inter virtutes adquisitas, et infusas. ut docet S. Th. 1a 2ae q. 63. art. 3. ad 3. quod virtus adquisita, cum comparetur, aut minuatur exercitio nostrorum actuum, ab eisdem ex quibus generatur habet removere contrarias dispositiones, habetque directam contrarietatem cum vitio opposito, ratione cuius ab eodem subiecto

mutuo

mutuo se expellunt, tantoque magis augetur, ac promptius operatur, quanto magis diminuitur aut debilitatur vitium contrarium, et econverso. Unde ruasus fit, quod illud quod intensius est, et magis dominatur, statum tribuat, ac denominationem subiecto. Calor vg. ut sex, concurrens cum frigiditate ut duo, denominabit subiectum, simpliciter calidum. At virtus infusa, quae nec malis actibus adquiritur, aut minuitur, sed a solo Deo, nec contrarietatem directam habet cum vitiis oppositis, ratione cuius mutuo se expellant ab eodem subiecto. Ex quo fit, quod nec minuatur, aut debilitetur a vitiis oppositis, sicut virtus adquisita minuitur; nec pendeat suus conservatio ab illorum extinctione.

Praeterea cum virtus infusa det simpliciter posse, vitium autem oppositum solum facilius, et melius posse, superat longe virtus, vitium in sua ratione formali, quae esse stabilior, et excellentior est. Rursus (quidquid sit de aliis virtutibus infusis) charitas, quantumcumque remissa ex in supintrinsecis, et summe appretiationis, excedit incomparabiliter vitia opposita, ratione cuius ipsa est, quae dominabitur in anima, tribuit que illi denominationem simpliciter, etiam pro ut complet accidentaliter sanctificationis formam, et constituit in suo genere amicum Dei, est ratio quare vitia dissimulentur opposita, quia charitas operit multitudinem peccatorum, et generaliter amicitia defectus amici.

Ad 2um Respondetur charitatem quantum est de se stabilem, ac permanentem, ac promptam esse in ordine ad suas operationes; siquidem in his omnibus ut probaui, ceteras longe excellit virtutes, aut habitus, potest tamen ex defectu subiecti deficere: nam eo ipso quod charitas directam contrarietatem cum vitiis non habet, sed illa simul compatitur in eodem subiecto, potest ab extrinsecis eorum impugnationibus infestari, et ex fragilitate liberi arbitrii, peccata gravia admittentis, tandem foras contra propriam naturam suam eiici.

Ad 3um Respondetur connexionem quam virtutes perpetunt, intelligendam esse, cuilibet in suo proprio genere, scilicet virtutes infusas, cum omnibus infusis, et adquisitas, cum adquisitis petere connecti debere, non autem adquisitas cum infusis, neque econuerso. Sic s. Th. 1a 2ae q. 69. art. 3. probat charitatem simul infundi cum ceteris virtutibus, quia in ordine ad finem ultimum supernaturalem, quem ipsa intendit, reliqua ei subserviunt, ut media ad ipsum ordinata, quod solum de virtutibus infusis, et eiusdem generis est verum. Virtutes adquisitae solum per accidens deseruire possunt fini charitatis, quatenus obstacula, et offendicula remouent suius itineris, et contrarias dispositiones auferunt ex parte subiecti, sed hoc est tantum probare, quod subiectum in hac vita, non sit ita perfecte, et connaturaliter dispositum ac petunt status charitatis, et gratiae, quod libenter fatemur: nam solum in beatitudine perfectio haec omnimoda obtinebimus.

Sectio 2a An amicitia humana sit virtus specialiter.

Potest obiici contra conclusionem articuli. Quia amicitia humana non est virtus: ergo nec diuina quae est charitas. Antecedens probatur 1o quia sic videtur sentire s. Th. in solutionem ad 1um qui cum referat duas oppositas oppiniones, hanc refert 2o loco: ut probabiliorem. Clarius quae docet illa quaestione 114. art. 1. ad 1um. Etiam Caiet. Capreol. Banes Valentia, et alii.

Secundo probatur. Quia virtus vnius ex propria, et non alterius voluntate pendet; nemo enim inuitus sine propria culpa, aut libertate virtute priuari potest, sed potest aliquis

amicitia

amititia priuari, et quod ab altero non reddametur: ergo.=

3º. Virtus est quæ bonum facit habentem, iuxta Communem Philosophorum. Amicitia autem honesta, supponit habentem, iam esse bonum; nam fundamentum illius est Communicatio in bono honesto virtutis: ergo &c.= Denique, virtutes sunt connexæ, amicitia autem non est connexa alijs virtutibus: nam solitarius potest esse egregie virtute præditus absque amicitia: ergo.=

Mihi vero magis probatur amicitiam humanam esse virtutem specialem, ut defendunt multi alij. Et est communior sententia, præsertim recentium theologorum, quamuis necessarium non erat hanc sententiam tenere ad deffendendum charitatem esse virtutem, quia hinc utriusque eadem est ratio, quamuis in charitate euidentior, de utraque eodem modo loquendum nobis erit. Ad cuius explicandam suppono. Cum quæritur utrum amicitia humana sit virtus, non disputari de amicitia proprie, et rigorose sumpta, prout includit reddamationem, et alias conditiones; sic enim certum est, non esse virtutem, nec habitum operatiuum, sed est status quidam habitualis, vel reciprocus ille amor utriusque amici relictus in illis moraliter per modum habitus sicut dici solet de inimicitia, et macula peccati. Hoc probatur præcipue 2[a] argumentum oppositæ sententiæ. Est igitur solum controuersia de amore beneuolentiæ, in quo fundatur hæc amicitia: an scilicet virtus sit specialis. Nam esse actum honestum, virtuosum, et laudabilem, dubitari non debet, est enim valde rationi consentaneum proximos diligere ex complacentia ipsorum intra limites rationis, imo, et necessarium maxime ad societatem humanam, et politicum, ciuilem hominum consortium.=

Quod autem huiusmodi beneuolencia, non sit specialis virtus ac cæteris distincta aliqui docent, et multipliciter probant. Primo Valencia sic: quia affectus amicitiæ fertur in proximum quatenus est unum nobiscum: sic autem affectus non est difficilis: quia omnis homo naturali inclinatione fertur in seipsum, et in bonum proprium, et ex consequenti in proximum, quatenus est obiectum huius amoris. Sed hæc ratio valde friuola est; nam affectus ille fertur in proximum quatenus est idem similitudine, non identitate, ideoque amicus, est altera ego, quia secundum inclinationem affectus, afficior ad bonum amici, sicut ad bonum proprium. Unde potius ex hac parte colligitur magna difficultas huius amoris, nam diligere alium, sicut seipsum, nullo proprio commodo ex spectato, tam dificile est, quod propter hoc communiter dicatur ab Arist. et Philosophis, amicitia honesta rarissima, et amicitia utilis, vel delectabilis vulgaris, et usitata inter homines.=

Secundo probatur Bañez quia affectus ille, non habet dificultatem specialem, sed generalem, in materia omnium virtutum, quia sicut amor quo aliquis prosequitur seipsum, non pertinet ad unam, sed ad plures virtutes, amor in quo volumus nobis bonum temperantiæ, pertinet ad virtutem temperantiæ, et actus quo bonum castitatis, vel fortitudinis desideramus, ad castitatem, et fortitudinem pertinet, sic amor quo eadem bona alteri consupiscimus ad easdem virtutes reducetur, quia non est maior ratio quare beneuolentia ad alterum sit una virtus, et non beneuolentia ad nos, vel econtra.=)

Sed ratio hæc etiam facile impugnatur: quia falsum omnino est, esse actum temperantiæ, aut religionis, velle proximo esse temperatum, et religiosum. Alias in Deo constituenda est, temperantia, atque religio, quia desiderat nobis affectu harum virtutum, et complacet in illis, quando illas habemus.=

Ratio autem apriori est quia difficultas, quæ superatur a virtute temperantiæ,

vel

vel castitatis, non est in carne aliena, sed in appetitu, et carne propria, quæ passionibus propriis quassatur, nemini enim est molesta fames aliena, sed propria: ergo complacere de temperantia alterius, non est actus temperantiæ. =

Sed contra objicies. Cum Petrus inducit Joannem ad intemperantiam, peccat peccato intemperantiæ ad quod inducit ex communi sententia: ergo si inducat ad temperantiam, et illam vellit alteri efficaciter, exit actus temperantiæ, quia patet a simili. = Respondetur. quod in peccatis, quæ consumantur ex alterius, sufficit ad malitiam illorum, quod advertenter, et voluntarie aliquis sit causa actus, vel per consilium, vel per exequtionem, quia sic operatur contra virtutem oppositam: ut late t. 2l. dixi. q. 16. de bonitate, et malitia: ad bonitatem vero contrariam in eadem materia, non satis est ut cumque causam esse actus in illa materia, sed requiritur operantem operari, propter honestatem illius virtutis, nam bonum, quod est obiectum virtutis, debet esse ex integra causa, et propter se intendi. Ad malum autem quod est in quocumque quod defficit, sufficit quod adversetur esse contra regulam charitatis, ut late ibi declaravi: Ex hoc patet iam &c. sed talis virtus solum moderatur passiones proprias. Ex quo patet quare ad volendum nobis bona, requirantur plures virtutes, et non ad appetendas illas alteri, quia scilicet in appetitu proprio sunt plures difficultates, pro diversitate passionum, gustus, tactus &c. quæ postulant diversas facilitates, seu virtutes, at vero ad appetendum hæc bona amico, unica tantum apparitur difficultas, in hoc scilicet, quod illa vellit ipsi, ex mera illius benevolentia, et gratia, ut iam dixi sectione 1. et 2. ac proinde unica tantum sufficit specialis virtus. =

Declaratur hoc amplius ex differentia, quæ est inter benevolentiam ad nos, vel ad alios. benevolentia enim ad nos totam difficultatem habet in bono concupito, ut dictum est, non vero in complacentia nostri, quæ naturalissima est: nihil enim facilius, ac naturalius quam amare se, contra vero difficultas in benevolentia ad alios, non oritur ex bono concupito, sed ex complacentia personæ alienæ, et si quando contingit difficultas in bono concupito solum consistit in hoc, quod privemur illo propter conferendum amico, quæ superatur ex complacentia illius, sicut ex voluntate finis vincitur difficultas mediorum, ideoque una virtus sufficit, ad amandum proximum, et ad diligendum nos plures requiruntur. =

Ex quo facile impugnatur tertia ratio quorumdam iuniorum Salmanticensium asserentium complacentiam pro sententia alterius, non habere specialem difficultatem, sed generalem superandam a singulis virtutibus in propriis materiis, nimirum; quia persona proximi non potest esse nobis materia displicentiæ, nisi quatenus lædit aliquid bonorum nostrorum; omnis enim creatura, maxime rationalis bona est, et ad complacentiam provocat, quod si contingat displicere, ideo est quia est nobis impedimentum, ad obtinendum bonum aliquod. cuius privatio est nobis difficilis

Hæc inquam ratio innanis est. Nam nostra amicitia, habet specialem difficultatem, et honestatem distinctam ab aliis aliarum virtutum: ergo est specialis virtus ac cæteris distincta (et hæc sit ratio fundamentalis conclusionis nostræ.) Probatur antecedens. quia amicitia non est quælibet simplex benevolentia, ut dixi sectione 1. et 2. sed ea quæ respicit bonum alterius ex pura gratia, et complacentia ipsius, amore perpetuo, et stabili, quæ ratio, et valde difficilis, et valde diversa est ab aliis. Nam si ex motivo solvendi debitum, vel gratificandi obsequium

obsequium aliquod, privetur quis divitijs, quas amat, non erit actus amicitiæ, sed iustitiæ aut gratitudinis, quia potest exercere has virtutes, circa eumquem non amat, imo, et quem odio habet. Item potest quis ex motivo humilitatis submittere se inimicis, et ex motivo misericordiæ illis elargire liberaliter eleemosynas, vel ex motivo abstinentiæ amicorum; valde dispar est. Est etiam inea specialis et maior difficultas: Nam quando ex motivo aliarum virtutum caremus aliquo bono, est propter aliam maiorem virtutem, scilicet, quam nobis desideramus: At quando solum ex gratia, et complacentia proximi aliquo privamur, maiorem difficultatem experimur, quia nulla hinc nobis accrescit utilitas, sicut illius. =

Præterea. Rationcinium solum probat beneficentiam, quæ est actus imperatus ab amicitia, et ab illa distinctus, ut docet s. th. q. 31. art. 1. non esse virtutem specialem, quia tunc solum privamur nostris bonis, quando propter ea volumus amicis benefacere, quod non est huius loci examinare; quidquid enim de hoc sit essentialis ratio amicitiæ, præintelligitur ad beneficentiam. Et quamvis ad retentionem, et conservationem amoris requirantur beneficia præsertim si occasiones necessarias, aut indigentiæ sese offerant, potest tamen exerceri amicitia pro aliquo tempore, sola communicatione, et convictu utriusque, ita ut propter verba, actiones, et obsequia, reverentiæ signa, sufficienter manifestetur mutua complacentia virtutis, et bonitatis utriusque, absque eo quod beneficia interveniant: quia necessaria semper non sunt, ut unus sit certus de benevolentia alterius: ergo principalis difficultas amicitiæ, non consistit in hoc, quod privemur nostris bonis, aut ea largiamur amicis. =

Denique. Aliud est quod amicitia honesta ad suam conservationem, et firmitatem supponat alias virtutes, et in illis fundetur, quatenus removent impedimenta quæ illam dissolvere possunt, et in quantum sunt motivum, quod unus complaceat de virtutibus alterius, propter similitudinem quæ est causa amoris. Aliud vero est, quod in talibus amicitia formaliter consistat. Primum est verum. secundum, falsum sæpe enim contingit unam virtutem, petere alias, non solum ex generali connexione quam omnes inter se habent, sed etiam ex speciali quam quam reliquæ habent inter se. Castitas v.g. mulieris impugnari solet ab appetitu inordinato divitiarum, ideo que postulat moderationem illius, et avaritia est radix iniustitiæ &c. =

Quarta, et urgentior aliorum ratio expenditur. ~

Difficilior est longe ratio, qua utuntur quidam doctissimi iuniores pro parte opposita, nimirum, quia amicitia virtuosa semper fundatur in bono honesto alicuius, vel aliquarum virtutum, quas in altero animadvertat, et in quibus ipsi assimilatur, ipsique amabilis apparet. Hæc autem ratio est generica, et varia, vagans per omnia genera virtutum, ergo non constituit specialem aliquam virtutis honestatem. =

Confirmatur. Quia sola honestas huius, vel illius, vel plurium virtutum in altero elucens, est sufficiens amabilitatis, et amicitiæ fundamentum, absque eo quod alia honestatis ratio superaddatur. Persona enim alterius, eatenus amatur, quatenus bona: ergo sub quacumque bonitate honesta consideretur, amari potest; ac proinde vera, et propria amicitia prosequi. =

Hi tamen propriam amicitiæ vocem ignorant, eo ipso quod illam involvunt cum affectibus illarum virtutum. Dixi enim disp. 1. non satis esse ad amicitiam quamlibet bonitatis complacentiam in altero animadversam: Nam sicut naturaliter placet nobis pulchritudo aut

alia

alia similis bonitas in rebus inanimatis; sic et in viuentibus, absque eo quod cum illis amicitia contrahatur, et sicut ex naturali propensione bona in alijs inuenta, possumus delectatione prosequi: sic ex affectu quem habemus ad honestatem virtutum, possunt illae nobis placere, etiamsi in inimicis aduertantur. Cernitur que hoc euidenti experientia, qualiter legimus in historijs antiquis, aut modernis, aliquos eximios, et illustres viros, litteris, aut armis, seu belligeris alijs ve virtutibus qui affectum nostrum rapiunt, non tamen sunt amici; nec solum defectu redamationis, sed etiam quia nulla est nobis unio affectiua cum ipsis, in quo principaliter, et intrinsece amicitia consistit. Neque placet nobis bonitas propter personam alterius, quod requiritur ad amicitiam, sed econtra, persona propter bonitatem illam particularem in illa animaduersam. =

Praeterea, amicitia prudens, et honesta (de hac enim solum est sermo, quaevis namque alia, nec amicitiae nomen meretur) et si complaceat de hoc, vel illis bonis alterius, non iudicat illum simpliciter in omnibus amore dignum, nec audet illum amicum absolute admittere, nec illum cor, et affectum in illum vult expendere, et vera exigit amicitia, et unio affectiua donec ipsum probet, simpliciter, et undequaque honestum, et in ordine ad ultimum finem, et si non perfectum saltem recte dispositum. Haec autem dignitas, et conuersio ad ultimum finem in qua fundatur, est ratio specialis, et non generalis: ergo virtus illa respiciens specialis erit. =

Confirmatur ex dictis disp. 1ª §. 19. et 20. quod aliud est loqui de dispositionibus antecedentibus, aut excitantibus ad amicitiam, et hae possunt esse variae, et per omnia genera vagari, aliud vero esse loqui de motiuo intrinseco, et hoc est dignitas, et unio affectiua, seu acceptatio personae ad conuiuendum cum illa, ipsique placendi in omnibus, et haec est ratio specialis, quae maxime virtuti iustitiae assimilatur. Sicut enim iustitia concupiscit alteri bona, propter ius, seu dominium quod in eo ad illa animaduertit; sic amicitia alteri bona appetit propter dignitatem, quam in tali persona considerat, ratione cuius illi congrua, et maxime conuenientia, iudicat. Sicut ergo iustitia non variatur propter diuersitatem bonorum, quae alteri appetuntur ut debita, sed ex iuris debito unitatem retinet; sic amicitia varietatem non accipit ex bonis amico concupitis, quae tantum materialiter se habent, sed unitatem obtinet ex indiuisibili modo illa respiciendi qui est dignitas seu amabilitas personae. Haec enim est quae affectum trahit, et amicitiam deuincit, non autem haec vel illa bonitas particularis quae satis non est, ut dixi. Et per hoc ruit fundamentum oppositum. Tum etiam, quia non bonitas absolute, et secundum se considerata, quae in alio aduertitur, amicitiam formaliter terminat, sed reduplicatiue prout est alterius bonitas, seu alteri conueniens, ut significat deffinitionis particula. Propter ipsum. quae ratio distincta est a ratione obiectiua ceterarum virtutum. =

Confirmatur ex S.to Th. q. 31. art. 4. ad 2m. ubi arguit a simili de vitijs quae tendunt in malum proximi, quae possunt et illa respicere, sub specialibus, et diuersis rationibus, homicidium scilicet rapina, detractio &c. et sic sunt habitus specie diuersi iniustitiae, scilicet, homicidij detractionis, vel possunt solum ex unico motiuo odij in proximum respicere, et sic ad inimicitiam pertinent: sic ergo proportionabiliter in amicitia est philosophandum: quod si bona amici solum propter speciales ipsorum honestates affectum rapiant, non ad amicitiam, sed ad alias virtutes pertineant; si vero solum amici gratia, et solum propter ipsum sint volita ad specialem virtutem amicitiae reducuntur. =

Confirmatur amplius. quia potest quis alteri desiderare virtutes, quas ipse non habet, aut de illis complacere; angelus verbi gratia, de temperantia, virginitate, et ieiunijs ac poe-

nitentijs

penitentiæ nostræ; et beatus de fide, et spe, Dominus vraboris: ergo amicitia bonum (seclusa Charitate loquor) non vagatur per alias virtutes, quas ipsi non habent, sed specialis quædam virtus est. =

Præterea, ex ipsa virtutis definitione, ratio apriori desumenda est, est, scilicet habitus electivus in mediocritate consistens. Supposita enim iam speciali obiecto amicitiæ ratione hactenus declarata, evidenter constat, quod sit honestas media inter duo extrema vitiosa per excessum, et per deffectum, cum scilicet amicum quasi Deo, aut rectæ rationi præfert, aut per oppositum extremum amicitiæ rara, ipsumque amicum sine causa contemnit. =

Denique negari non potest, quod sicut in ordine gratiæ amicitia supernaturalis detur, qua invicem diligimur, ut concives curiæ cælestis, et ut fratres, ac filij Patris nostri qui in cælis est; sic in ordine naturæ virtus amicitiæ detur qua omnes ut concives huius Mundi et ad imaginem Dei creati, et sub eisdem rationis legibus ac regulis obstricti conviuant, sub illoque communi principio, quod tibi vis ut faciant homines hoc et tu illis fac. Et quod tibi non vis, alteri ne feceris. Sed hæc communis amicitia non differt essentialiter a quavis alia particulari, nisi tantum, secundum magis et minus perfectum intra eamdem speciem, quia vtraque amicum respicit, prout dicit honestatem, et habitudinem ad vltimum finem. Sed quia non omnes, sed pauci et rari leges et conditiones huius amicitiæ servant, ideo frigescit nunc apud omnes, et apud raros viuit, et calescit, in hominibus autem in cunctis existentibus inquibus integra conservabitur naturalis ratio, perfecta erit tantum hæc amicitia =

Argumentis initio sermonis positis Respondetur.

Ex dictis constat manifeste, quid ibi voluerit Arist. in illis verbis quæ affert 18. et luc. cap. 1. amicitiam, vel esse virtutem, vel cum virtute, quia enim amicitia rigorose, et proprie est status quidam habitualis, resultans moraliter ex benevolentia reciproca vtriusque includens, vel connotans reddamationem, dixit esse cum virtute, idest quid consequens virtutem, et in ea fundatum, quia non est verus habitus, vel operationis principium, sed mutua illa benevolentia, relicta per modum habitus: quia vero potissimus actus quo amicitia innititur, et conservatur, est amor honestus, et rationi consentiens, ideo dixit esse virtutem. Vnde sensus illius disiunctiuæ, est amicitiam vel esse virtutem si consideretur quantum ad amorem benevolentiæ, et ad illius principium, vel esse cum virtute, si sumatur pro statu illo morali, et habituali. =

Argumenta vero in principio adducta iam facile solui poterunt. Ad authoritatem S. Th. Respondetur. Ipsum liberam nobis reliquisse hanc oppinionem, et iudicium; nam in hoc art.o vtramque oppinionem tradit, et nullam refutat. in 1. et hic cap. 6. affirmat esse veram, et specialem virtutem, et in alijs locis in partem oppositam inclinare videtur: non quia se contradicat, sed quia problematice illam defendit. =

Melius tamen Respondetur. Ipsum loqui de amicitia ut rigorose, prout est status quidam habitualis, et moraliter resultans ex complacentia mutua, ac reddamationem connotans, et sic negat optime virtutem esse, sicque exponi possunt antiqui Doctores, qui pro parte negatiua citantur. =

Ad 2.um 3 Respondetur. quod virtus amicitiæ, quantum ad id quod importat ex parte subiecti, scilicet inclinationem ad amandum quemcumque amore dignum

numquam

numquam deperditur sine sua voluntate, solum ex parte alterius, ex quod illi defficiat ratio formalis obiectiua, potest deficere, quod non inconuenit, ut constat in multis alijs virtutibus, obedientia deficit, deficiente Prelato, qui tantum pro tempore determinato erat, et obseruantia, cessante dignitate Principis, et Iustitia, iure et actione ablata ad aliqua bona que antea ut debita persoluebantur. =

Ad 3.um Respondetur. quod virtus dicitur facere bonum habentem, non in omni genere boni, sed solum in ea speciali ratione in qua talis virtus consistit, virtus scilicet iustitie in ratione iusti, et virtus temperantie in ratione temperati, et sic licet amicitia supponat habentem bonum circa alias virtutes, non circa rationem amicitie, sed in ea illum bonum constituit. =

Ad 4.um Respondetur. Amicitiam eamdem connexionem habere cum alijs virtutibus, ac reliquę interse habent, sed non in quolibet statu imperfecto ita connectuntur, ut non possint una, et plures, sine omnibus, et sine multis esse, ut late dictum in 1.a 2.e =

Articulus 4.us Utrum charitas sit virtus specialis. ~

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod charitas non sit virtus specialis. Dicit enim Hieron. ut breviter omnem virtutis deffinitionem complectar. Virtus est charitas, qua diligitur Deus, et proximus. Et August. dicit in libro de moribus Ecclesię, quod virtus est ordo amoris, sed nulla virtus specialis ponitur in deffinitione virtutis communis: ergo charitas non est specialis virtus. =

Preterea. Id quod se extendit ad opera omnium virtutum, secundum illud 1.ª ad Chorinth. 13. Charitas patiens est, benigna est &c.ª extendit etiam se ad omnia opera humana; secundum illud 1.ª ad chorinth. ultimo, omnia vestra in charitate fiant. Ergo charitas non est specialis virtus. =

Preterea. Precepta legis respondent actibus virtutum. sed August. in libro de perfectione humanę iustitię, dicit, quod generalis iussio est, diliges, et generalis prohibitio, non concupisces: ergo charitas est generalis virtus. =

Sed contra. Nullum generale, connumeratur speciale, sed charitas connumeratur specialibus virtutibus, scilicet spei, et fidei, secundum illud 1.ª ad chorinth. 13. Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hec; ergo charitas est specialis virtus. =

Respondeo dicendum. quod actus, et habitus specificantur per obiecta, ut ex supra dictis patet. Proprium autem obiectum amoris, est bonum, ut supra habitum est: et ideo ubi est specialis ratio boni, ibi est specialis ratio amoris. Bonum autem Diuinum in quantum est beatitudinis obiectum, habet specialem rationem boni, et ideo amor charitatis qui est amor huius boni, est specialis amor. Unde et charitas est specialis virtus. =

Ad 1.um ergo dicendum. quod charitas ponitur in definitione amoris virtutis, non quia sit essentialiter omnis virtus, sed quia dependent ab ea aliqualiter omnes virtutes, ut infra dicetur; sicut etiam prudentia ponitur in deffinitione virtutum moralium, ut patet in 2. et 6. Ethicor. eo quod virtutes morales dependent a prudentia. =

Ad 2.um Dicendum. quod virtus, vel ars, ad quam pertinet finis ultimus, impe-

xat

imperat virtutibus, vel artibus ad quas pertinent alij fines secundarij: sicut militaris imperat equestri; vt dicitur in primo Ethic. Et ideo, quia charitas habet pro obiecto vltimum finem humanæ vitæ scilicet beatitudinem æternam; ideo extendit se ad actus totius humanæ vitæ per modum imperij, non quasi immediate eliciens omnes actus virtutum.

Ad 3um Dicendum. quod præceptum de diligendo, dicitur esse unum generale, quia ad hoc reducuntur omnia alia præcepta sicut ad finem, secundum illud 1a. ad Thimotheum 1o. finis præcepti, charitas est.

Conclusio est efficax, et eius ratio clara ex dictis, quia respicit speciale obiectum, quod est bonum Diuinum. De quo satis disputatione 2a.

Articulus quintus. Vtrum charitas sit vna virtus.

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod charitas ~~[illegible]~~ non sit vna virtus. Habitus enim distinguuntur secundum obiecta, sed duo sunt obiecta charitatis, scilicet, Deus, et proximus, quæ in infinitum ab inuicem distant: ergo charitas non est vna virtus.

Secundo. Præterea, diuersæ rationes obiecti, diuersificant habitum, etiam si obiectum sit realiter idem, vt ex supra dictis patet. Sed multæ sunt rationes diligendi Deum, quia ex singulis beneficijs eius perceptis debitores sumus dilectionis ipsius: ergo charitas non est vna virtus.

Tertio. Præterea, sub charitate includitur amicitia ad proximum, sed Philosophus in 8. Ethicor. ponit diuersas species amicitiæ: ergo charitas non est vna virtus, sed multiplicatur in diuersas species.

Sed contra est. Sicut obiectum fidei est Deus, ita et charitatis, sed fides est vna virtus propter vnitatem Diuinæ veritatis, secundum illud ad Ephesios 4o. vna fides. ergo etiam charitas est vna virtus, propter vnitatem Diuinæ bonitatis.

Respondeo Dicendum. quod charitas sicut dictum est, est quædam amicitia hominis ad Deum. Diuersæ autem amicitiarum species accipiuntur vno quidem modo, secundum diuersitatem finis, et secundum hoc dicuntur tres species amicitiæ, scilicet amicitia vtilis, delectabilis, et honesti: alio modo, secundum diuersitatem communicationum, in quibus amicitiæ fundantur; sicut alia species amicitiæ est consanguineorum, et alia conciuium, aut peregrinantium, quarum vna fundatur super communicatione naturali, alia super communicatione ciuili, vel peregrinationis; vt patet per Philosophum in 8. Ethicor. Nullo autem modorum istorum, charitas potest diuidi in plura. Nam charitatis finis est vnus, scilicet, Diuina bonitas: Est etiam vna communicatio beatitudinis æternæ, super quam hæc amicitia fundatur. vnde relinquitur, quod charitas est simpliciter vna virtus, non distincta in plures species.

Ad 1um ergo dicendum. quod ratio illa recte procederet si Deus, et proximus æque essent charitatis obiecta. Hoc autem non est verum, sed Deus est principale obiectum charitatis; proximus autem ex charitate diligitur propter Deum.

Ad 2um dicendum. quod charitate diligitur Deus propter se ipsum. vnde vna sola ratio diligendi attenditur principaliter a charitate, scilicet, diuina bonitas, quæ est eius substantia: secundum illud Psal 105. Confitemini Domino quoniam bonus. Aliæ autem rationes ad diligendum inducentes, vel debitum dilectionis facientes sunt secundariæ, et consequentes

quenter ex prima.=

Ad 3.^m Dicendum quod amicitia humana, de qua Philosophus loquitur est diversus finis, et diversa communicatio, quod in charitate locum non habet, ut dictum est. Et ideo non est similis ratio.=

Conclusio affirmat. Probatque S. Th. quia neque ex parte obiecti specificativi, quod est Deus, neque ex parte modi recipiendi illud est aliqua diversitas, sicut neque est in fide, et spe: ergo est una, unitate speciei infimæ. Pro cuius declaratione sit.=

Sectio 3.a Utrum charitas viæ, et Patriæ sit eiusdem speciei.

Duplicem principalem dificultatem movet scilicet Doctor contra conclusionem articuli. Prima est quod charitas se extendit ad proximum, quem etiam diligit ut amicum: ergo est distincta specialiter considerata in ordine ad Deum, et in ordine ad proximum. Patet consequentia quia sunt obiecta valde diversa, ac proinde non possunt eamdem specificare virtutem. Sed de hac dicam sectione sequenti.=

Secunda dificultas est quod etiam in ipso Deo possumus considerare diversas rationes diligendi ipsum; diversa enim specialiter charitas est, quæ respicit Deo bona creata, ut honorem, et obsequium, ab illa quæ bona increata illi vult, diversa que specie charitas, complacentia omnipotentiæ, ac sapientiæ, æternitatis, et aliorum atributorum; ergo.=

3.º Arguit quidam Neothericus. Dona infusa ut sunt gratia, visio beata, charitas ipsa propter se amari posse, ac proinde habitu diverso, cum sint obiecta formaliter diversa. Probat quia sicut propter se amantur per spem, sic per charitatem, quia non solum visio beata, aut gratia, est bona alicui, sed etiam in se est bona bonitate absoluta et independenti a quovis alio cum sint qualitates absolutæ, et in se ipsis nobilissimæ.=

Denique quia charitas viæ, et Patriæ respiciunt Deum, modo essentialiter diverso ergo sunt diversæ species. Probatur quia Deus respicitur in patria, ut clare visus est, in via, ut obscure propositus, in via, ut absens, et in Patria ut præsens, quæ rationes inferunt in actibus voluntatis diversum modum sentiendi, ac proinde distant specifice.=

Vera tamen, et communis sententia docet charitatem esse unam specie infima. tradit illam hic S. Th. et specialiter charitatem viæ, et Patriæ eamdem esse. Docet 1.a 2.æ q. 6. art. 6. ubi ex professo deffendit eamdem numero viæ perseverare in Patria; et licet perficiatur manere eamdem, et non mutatam in in aliam speciem. Solvit que 3.^m argumentum contra hoc factum, ut dicam.=

Ratio etiam illius in præsenti articulo efficax est: quia neque ex parte obiecti terminativi, potest esse aliqua varietas, cum solus Deus ut est in se, sit obiectum primarium illius, ratione cuius meritò, virtus Theologica nuncupatur, proximus vero, et alia obiecta, secundario, et materialiter, et cum habitudine ad Deum, summe dilectum, à charitate attinguntur.=

Rursus: neque ex parte modi respiciendi Deum, quia est summe appretiativus, imo et participatio formalis ipsius quo Deus se diligit, ut dixi disputatione 2.a Præterea, quamtumvis respiciat charitas attributa diversa, bona creata, et increata, naturalia, et moralia, non attingit illa quatenus talia, vel tales bonitates sunt in se ipsis, sed præcise ut sicut bona Dei, vel ex complacentia

centia Dei amici, in qua ratione, prout intenditur a charitate, non nisi materialiter, vel accidentaliter differunt, ex parte scilicet boni, quod concupiscitur, non vero ex parte complacentiæ bonitatis ipsius amici ex qua sola sicut sumitur denominatio amicitiæ, ita et specificatio. quod satis superius declaravi. Patet a simili de amicitia humana, quæ respicit bonitatem amici, quatenus illi bona est, in quacumque materia sit, sicut temperantia respicit mediocritatem cibi, et potus in quocumque genere.

Confirmatur etiam. quia propter hanc rationem vera amicitia non est nisi illa quæ intendit in omnibus placere amico, præsertim amicitia ad Deum cum sit summum bonum et ultimus finis postulat indivisibiliter quod omnia diligantur propter ipsum, et ideo quodlibet cum in aliquibus amet quis Deum, et non in omnibus, æquali affectu, manifeste probatur imperfectus in charitate a Magistris spiritualibus, quia plane indicat se non velle aliqua bona particularia præcise præcise propter Deum, sed propter specialem bonitatem, quam ipsis sibi quærit, aut in qua sibi complacet.

Sed contra obicies. Si alicui proponatur attributum omnipotentiæ præcise, et eius infinitas, potest rapi in admirationem, et complacentiam illius propter se, ut contingere solet contemplativis, et sic similiter attributum sapientiæ &c. Sed tunc tales complacentiæ distinguuntur specie, quia respiciunt diversa illa attributa propter se, et non ut sicut bona Dei, et tamen sunt charitatis actus; ergo charitas per ordinem ad illos est divisibilis in varias species. Minor probatur. quia complacentiæ illæ sunt actus theologici, cum respiciant immediate perfectionem increatam Dei, et non sunt actus spei, quia non respiciunt illam, ut bonum nostrorum, sed ut sicut bona in se ipsis: ergo sunt charitatis actus.

Respondetur. quod cum amare, ut iam suppono suo loco, essentialiter sit idem, quod velle bonum alicui, non potest intelligi saltem perfectus amor circa aliquam bonitatem, nisi per ordinem ad me, vel ad alterum; idest quatenus mihi, vel alteri conveniens est, ac proinde eo ipso, quod complaceam de omnipotentia verbi gratia, et non pure, et præcise prout est bonum Dei, complacet me, quatenus est bonum me delectans, et admirans; ac proinde est amor concupiscentiæ naturalis, et non charitatis, nec spei; sicut quando aliquem placet hortus floridus, et amenus, eo ipso, quod non complaceat prout est bonum possessoris sui, complacet ut delectationem causat in illo, ac proinde ut bonum ipsi delectabile. Dixi, pure, ac præcise ut bonum Dei. quia potest aliquis simul complacere de pulchritudine alicuius attributi, et simul de Deo cuius est, et in utroque simul delectari propter identitatem, et connexionem, et talis amor, non erit amicitiæ, sed complacentiæ dictæ.

Addo præterea. Etiam est possibilis amor complacentiæ de aliqua bonitate, prout abstrahens explicite ~~prout~~ ab eo quod mihi vel alteri conveniens sit, hic tamen affectus est valde imperfectus, et initium, seu dispositio, quo primo movetur voluntas, ut talem bonitatem sibi, vel alteri velit. Et ad illum non est necessarius habitus acquisitus, vel infusus, sed sufficit vis nativa ipsius voluntatis, quia in tali bonitate sic præcise præcisa, et imperfecte volita, nulla apparet ratio mali, vel difficultatis, quæ retardare possit voluntatem.

quarum, indiget habitibus. Neque obstat quod obiectum in casu proposito supernaturale sit, quia solum in genere rei, supernaturalitatem participat, secus vero in ratione obiecti.

cum

cum respiciatur imperfecto, et naturali modo.=

Ex hoc patet iam soluta 2.a difficultas.=

Ad 33. Argumentum nescio quid sibi voluerit Author illius. Cum enim charitas sit essentialiter amicitia, non potest nisi per ordinem ad amicum intelligi ad Deum, scilicet, et proximum. Dona autem gratiæ, aut visionis, aut charitatis, eo ipso quod qualitates sunt, et non personæ, poterunt solum ex concupiscentia appeti, quatenus alicui sunt convenientis. Amare enim, ut ex eius constat definitione, est velle bonum alicui. Et id circo omnis amor in benevolentiam, et concupiscentiam distribuitur: repugnat ergo actus amoris perfecti, et multo magis habitus circa bonitatem abstracte consideratam, sine ordine ad aliquem cui conveniens apprehendatur.=

Declaratur hoc amplius. quia non solum essentia, sed bonitas, et pulchritudo harum qualitatum consistit in hoc, quod qualificent subiectum, vel respiciant obiectum: ergo non potest talis bonitas appeti, nisi cum habitudine ad aliquod istorum. Et si non talis bonitas sit absoluta a respectu prædicamentali, non a respectu transcendentali, et essentialiter in ipsa imbibito ut fatetur Author oppositus: ergo saltem sine hoc secundo respectu appeti non potest amore perfecto, et efficaci, sine ordine ad aliquam personam quam referat, vel essentialiter connotet, et sine qua bonitas non est. Visio namque beata, quo pacto intelligi potest bona, aut affectum excitare, nisi quatenus animam facit videre Deum vel quatenus Dei gloriam animæ colendam, et admirandam manifestat. Gratia similiter voluntatem rationis efficaciter movet, quatenus animam participem efficit Divinæ Naturæ. Ipsa enim cum sit accidens, et entis ens, non nisi sub hac ratione concipitur bona sicut est revera, et non aliter acest. Sed demus, conceptu aliquo confuso intelligi pulchritudinem, aut bonitatem alicuius qualitatis abstracte ab omni subiecto, et sic affectum excitare. Hic affectus est valde inefficax, et imperfectus, ad quem satis est vis nativa voluntatis, minime que habitus necessarius est, nisi quoties bonitas efficaciter, et firmiter, ac mediis difficultatibus prosequenda est; ratione cuius, bonitas in communi, vel abstracta a difficultatibus, sola potentia omni habitu destituta semper attingitur.=

Charitas viæ eadem species est cum charitate Patriæ

Ad primum. quidquid dicant Caiet. et alij. Respondetur negando charitatem viæ, et Patriæ essentialiter differre. Nam cognitio clara, vel obscura non variat rationem obiecti, quia non variat bonitatem rei diligibilis, sed apprehensionem, apprehensio autem ut docet S. Th. art. citato ad 23. non est ratio formalis quæ movet voluntatem, sed conditio tantum afferens, et præsentans obiectum.=

Similiter. quod obiectum proponatur ut absens, et ut præsens, non variat rationem amicitiæ eadem bonitate; sicut amicitia inter homines abstrahit ab absentia, et præsentia amici, et semper manet eadem. Præterea. Etiam propter charitatem viæ diligitur Deus ut nobis præsens, non solum per essentiam, præsentiam, et potentiam, sed etiam per gratiam, quæ præsentia in Patria perficitur, et consumatur propter possessionem

nem

nem Dei perfectam, Cæterum talis possessio, non intenditur per charitatem, sed solum per virtutem spei, et quando charitas illam principaliter respiceret nihil derogaret eius unitati. Nam ad eamdem unitatem spectat prosequi per modum desiderij suum obiectum ut absens, et complacere, ac gaudere de illo ut presenti. Vt patet in quauis alia virtute =

Denique. Hæc est clara sententia Apostoli 1ª ad Chorinth. 13. dicentis charitas numquam excidit. quem adducit S. Th. art. illo, in argumento sed contra. Neque valet dicere. Ideo charitatem non excidere, quia tam in via, quam in Patria, inuenitur charitas, et in diuersa specie. quia si hoc satis esset ad verificandum dictum Apostoli, etiam sententia misteriorum non excideret: quia noticia misteriorum fidei, mutatur in Patria in visionem apertam. Sentit ergo Apostol. eamdem charitatem viæ, manere in Patria, quod non est de alijs virtutibus. Nihilominus, charitatem viæ, et Patriæ, accidentaliter differre, in statu, et modo operandi; in statu quidem, quia fruitur amico, communicat cum ipso facie ad faciem, et sine enigmate, quod est connaturale amicitiæ. Vnde Exodi 33. dicitur. loquebatur Dominus Moisi, os, ad os. sicut solet homo loqui, ad amicum suum. Et in modo etiam operandi: quia charitas in Patria non est libera, etiam quoad exercitium et consequenter nec moralis, nec meritoria sicut charitas viæ =

Solet charitas viæ, comparari crepusculo matutino, siue auroræ, dicitur enim. Cant. 6. de Eclesia militante. quæ est ista quæ progreditur, sicut aurora consurgens? Et charitas Patriæ luci meridianæ, iuxta illud Cant. 1º. Indica mihi ubi cubes in meridie. quem locum S. August. lib. de unitate Eclesiæ. cap. 19. et 18. lib. de ciuitate cap. 32. inquit, intelligi de charitate Patriæ.

in quo assimilatur luci meridianæ

Comparantur etiam charitas viæ, et Patriæ, statui pueritiæ, et statui virilitatis. Vt loquitur Paulus 1ª. ad Chor. 13. quia propter sicut eadem lux auroræ reiecta obscuritate, et frigiditate, fit meridiana: et sicut idem homo reiecta pueritia, fit vir; ita eadem charitas, reiecta imperfectione viæ fiet charitas Patriæ. Iuxta illud Prouerb. 4. iustorum semita quasi lux splendescens, crescit, et augetur usque ad perfectum diem. Et cap. 13. 1ª ad Chor. Postquam autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli. Exprimitur etiam in istis exemplis, et locis, diuersitas, et inæqualitas accidentalis statusque. Sicque, intelligendus est Doctor Angelicus quando asserit charitatem Patriæ habere quantum diuersæ rationis. qª 24. art 6. ad 3ᵐ. Et quando in 3ª p̄te. qª 7. art. 11. ad 3ᵐ docet. Gratiam Christi, et puræ creaturæ esse diuersæ rationis. loquitur quantum ad status, accidentales, et modos operandi, non vero quantum ad rationem essentialem, alias esset sibi manifeste contrarius. =

Sectio 4ª. Vtrum, eadem species charitatis quantum ad actum, extendatur ad dilectionem Dei, et proximi

Proximum. Vtrum dilectio Dei, et proximi sint eiusdem speciei: Hinc enim facilius ascendemus ad habitus, et tamen controuersia est dificilis, et quantum ad rem, et quantum ad mentem S. Thomæ. =

Pro cuius intelligentia suppono. Proximum tripliciter amari posse. 1º ex mera complacentia

Complacentia Dei, quatenus est bonum Concupitum Deo Amico, in quantum scilicet ab eo diligitur et honoratur Deus. 2º diligi potest, ex complacentia ipsius simul et Dei, quando scilicet amatur sanctitas supernaturalis proximi, et propter se tamquam finem proximum, et propter Deum ut finem ultimum: sicut quando quis largitur eleemosynam propter subveniendum pauperi, et propter Deum, intendit duos fines subordinatos. 3º amari potest ex sola complacentia ipsius absque ulla actuali subordinatione, vel relatione ad Dei bonitatem, sed sola virtuali, communi ceteris virtutibus.

De hac posteriori dilectione, certum est, specie distingui a dilectione Dei, quia sunt actus respicientes obiecta, valde diversa, et disparata, qualia sunt sanctitas Dei, et creaturae. Neque potest summi argumentum illum ex relatione virtuali ad Deum, alioquin actus aliarum virtutum, non differrent essentialiter a charitate.

De dilectione proximi 2º modo, scilicet, ex complacentia ipsius cum actuali subordinatione ad Deum, est non nulla maior difficultas. Videntur enim eiusdem speciei, immo idem numero actus, ex communi illa regula. Ubi est unum propter aliud, ibi est unum tantum. Propter hoc enim, eamdem naturam concedimus, posse respicere proportiones specie diversas, dummodo sint inter se subordinatae, et una sit primaria, et alia secundaria. Et similiter sub eadem conditione, eamdem potentiam, vel habitum, diversos actus, et eundem actum obiecta essentialiter differentia; ergo bene potest, eadem specie, dilectio respicere Deum primario, et secundario proximum, vel e contra.

Communis tamen sententia S. Thomae, et Discipulorum eius, quam late explicui materia de bonitate, et malitia. Est, huiusmodi actus specie differre, et quotiescumque voluntas respicit duos fines, etiam subordinatos, actus circa illos, esse specie diversos, quidquid sit de identitate reali eorum inter se.

Probatur nunc breviter. quia finis est obiectum motivum, et specificativum voluntatis: ergo ubi est duplex finis, est duplex ratio motiva, et specificativa, ac proinde duplex actus specificativus. Hac enim de causa. Docent fere omnes, voluntatem per actus unius virtutis posse imperare actus alterius, et actum imperantem attingere finem ultimum, et imperatum, finem proximum.

Ad argumentum oppositum respondetur. quod quando obiecta subordinata, habent diversas rationes formales motivas, specificant actus subordinatos; sicut rationes formales disparatae, actus disparatos, quia eadem est utrobique ratio. Solum est vera doctrina illa; quando obiecta subordinata, non habent, vel inferunt diversas rationes formales diligendi, vel intelligendi, sed unum est tota ratio terminationis alterius, quia tunc unum se habet ut formale, et alterum, ut materiale, ac proinde utrumque eodem actu, attingi potest. Alias enim si quaevis subordinatio, et connexio, sufficeret, actus principiorum, et conclusionum, essent eiusdem speciei, assensus similiter, et dissensus, intentio, et electio, et alii huiusmodi, quod falsum est.

Loquendo de dilectione primo modo qua proximus pure diligitur propter Deum, aliqui existimarunt etiam differre specie, essentiali ab ea qua Deus in se diligitur, sine habitudine ad proximum, probantque, quia licet sit eadem bonitas motiva respectu utriusque actus, modus tendendi est diversus, sicut contingit in intentione, et electione, et in assensu, et dissensu de eodem obiecto.

Opposita tamen sententia est vera, et S. Th. qª 29. art. 1º. cuius verba sunt. Cum

autem

autem species actus ex obiecto sumatur secundum formalem rationem ipsius, necessarium est quod idem specie sit actus qui fertur in rationem obiecti, et in obiectum sub tali ratione. Et infra. Ratio autem diligendi proximum, Deus est: unde manifestum est, quod idem specie actus est, quo diligitur Deus, et quo diligitur proximus: nihil enim clarius dici potuit.

Respondent aliqui. S. Th. loqui, non de dilectione Dei iure, sed de dilectione qua diligitur in proximo, vel proximus propter Deum, qui est idem numero actus. Sed facile constat, Angelicum Doctorem supponere distinctionem numericam actuum, et inquirere in communi de distinctione specifica. Ratio enim illius de diuersis actibus probat. Et quidem de eodem numero actu inquirere, et probare, quod sit eiusdem speciei. De homine aliquo cordato praesumi nequit.

Ratione item probat. Quia sola diuersitas materialis obiectorum, non infert diuersum modum tendendi, alias, omnes actus respicientes diuersa obiecta materialia, essent specie diuersi, quia licet obiectum formale idem sit modus tendendi esset diuersus, hoc autem nemo concedet: ergo neque illud ex quo plane sequitur dicendum est.

Confirmatur. Quia alias omnes actus charitatis, et fidei, essent specie diuersi, quia licet ~~[illegible]~~ in omnibus sit eadem bonitas Dei, et eadem veracitas, applicatur diuersis materiali. Oppositum autem docent omnes Theologi: ergo instantia adducta, de intentione finis, et electione mediorum, nihil valet. Quia, praeterquam quod aliqui respondent ad illam solum materialiter differre, vel accidentaliter, et essentialiter conuenire, et alij asserunt media habere propriam bonitatem utilem, et respectiuam ad finem, ratione cuius specie differt electio ab intentione, potest nihilominus dispositio assignari, quam electio importat, saltem modum tendendi diuersum ab intentione, qui colligitur, non ex sola diuersitate obiecti materialis, sed ex speciali modo, quo electio procedit, scilicet, ex deliberatione, respuendo unum obiectum, et amplectendo aliud, potest que etiam satis probabiliter dici huiusmodi diuersitatem, solum esse in modo libertatis, ac proinde accidentariam. Unde instantia potius est contra illos.

Dilectio amici, et inimici propter Deum, specie differunt.

Hinc oritur aliud dubium, quod mouent aliqui Recentiores. An, fide licet amor amici, et inimici propter Deum, sint eiusdem speciei affirmant. Quia ratio formalis est eadem, et diuersitas illa personarum solum materialiter diuersa: ergo, non est unde distinguantur specie. Probaturque a simili de beneuolentia infusa, qua diligitur proximus propter se, absque absque habitudine ad Deum, quae eiusdem speciei est, tam contra amicos, quam contra inimicos.

Haec tamen sententia supponit falsum, nimirum, proximum amari posse ut amicum, et ex complacentia solius Dei, ita ut tota ratio diligendi illum sit Deus. Nam eo ipso quod aliquis, amatur ut amicus, amatur propter se, et gratia sui: ut satis art. 1.o declaratum est: ergo quando non solum Deus diligitur, ut amicus, sed etiam proximus, ubique debet diligi propter se, quamuis cum subordinatione finis proximi, et ultimi ac proinde non ex complacentia solius Dei, sed etiam ipsius proximi.

Ex quo

Ex quo ulterius colligitur, dilectionem proximi ut amici, distingui specie, a dilectione inimici, si sit pure propter Deum; quia prior specificatur a bonitate creata, et posterior ab increata, et qua ratione dilectio proximi amici, est actus specie diversus a dilectione Dei, eadem erit distinctus ab omni actu, qui est eiusdem speciei, cum dilectione Dei, qualis est dilectio inimici, modo dicto. Dilectio inquam inimici, si diligatur in quantum talis, propter Deum praecise, nam si ametur etiam propter se, propter bonitatem scilicet propriam, quam ipse habeat, et si alias sit inimicus, defectu solius redamationis, tunc actus erit eiusdem speciei cum dilectione amici; nam odium ex parte alterius, vel defectus redamationis, non variat intrinsecam speciem actus, ad illum terminati. =

Sectio quinta. Utrum idem habitus theologicae charitatis, se extendat ad Deum, et proximum.

Ut certa ab incertis separemus. Dico primo. Dilectio proximi, primo modo, idest quando pure diligitur propter Deum, pertinet sine dubio ad charitatem theologicam. Est certissima propositio ab omnibus communiter, hic, et q. 103. art. 3. recepta. Docentque illam S. Th. Aug. lib. 8. de trinitate. cap. 7. et 8. ubi dicit. Ex una, et eadem charitate Deum, proximumque diligimus, sed Deum propter Deum, nos autem, et proximum propter Deum. Ita etiam expresse Gregor. Bern. et alii Patres. Patetque ex sententia, ut postea dicam. =

Ratio etiam constat ex dictis. quia tota ratio formalis diligendi proximum in hoc casu, est Deus: ergo ad eundem actum, quo diligitur Deus ex charitate, pertinet proximus; quia ratio formalis, et materialis, attinguntur eodem indivisibili actu: ergo etiam pertinent ad eundem habitum theologicum. Patet hec ultima consequentia. quia omnes actus eiusdem speciei, ad eundem specie habitum reducuntur, quandoquidem, ac actibus, habitus unitatem et distinctionem sumunt, Praeterea, etiam si dilectio Dei, et proximi, de qua loquimur, specie differrent, propter diversum modum respiciendi Deum, subordinatio naturalis utriusque actus, et unitas rationis formalis diligendi, quae datur in utroque, efficerent attingi et contineri sub eodem habitu, ut patet in aliis habitibus, respicientibus actus specie diversos, hoc modo subordinatos. ergo. =

Dico 2. quando proximus amatur solum ex complacentia sui ipsius, absque ulla actuali ordinatione ad Deum, non potest pertinere ad charitatem theologicam, sed ad amicitiam humanam, specie differentem, quae saltem est possibilis. Probabile tamen est de facto non dari (de supernaturali, et infusa loquor) quia supposita elevatione hominis ad finem charitatis, et quod charitas ipsa, est potens, et inclinans, ad proximi dilectionem, et quod Deus in Evangelio, et in Epistolis Ioannis hortatur, et praecipit, quod ex charitate invicem diligamus. Videtur impertinens alius habitus specie diversus, sed ab intentione naturalis providentiae devians, aut diverterens, docet S. Th. q. 103. art. 3. ad 2um 3. ubi postquam dixerat, quod ratio diligendi proximum per charitatem est Deus, et eadem charitate diligi proximum, et Deum. Addit statim, esse tamen aliquas amicitias differentes a charitate, secundum alias rationes quibus homines amantur etc. In quibus verbis expresse utramque conclusionem docet. =

Ratio etiam constat ex dictis. quia bonitas Dei, et proximi, quamtumvis supernaturalis sit, et participatio divinae bonitatis, sunt obiecta plusquam genere diversa, et alias intrinsece

non

non subordinatiua, ut supponimus: ergo specificant virtutes omnino diuersas, ac proinde non possunt ad eamdem charitatem pertinere.

Confirmatur a simili de latria, qua adoratur sanctitas diuina, et dulia, qua colitur sanctitas creata, quę sunt virtutes diuersę, quamuis sanctitas creata, sit formalis participatio diuinę. Neque satis est relatio virtualis ad Deum, nam hęc est transcendens omnes virtutes, ac proinde non impediens omnimodam earum distinctionem.

Loquendo de dilectione proximi secundo modo, scilicet, ex complacentia ipsius, et cum actuali subordinatione ad Deum, ut finem vltimum, est non parua difficultas. An possit pertinere ad charitatem theologicam. Multi Doctores, presertim huius temporis negant, et non leui fundamento. Nam actus quo Deus diligitur, et proximus ex complacentia sui, sunt species differentes, ut iam probaui ex communi sententia asserente, quod omnis actus respiciens finem proximum, et vltimum, est in duplici specie, vna essentiali, et altera accidentali, pertinere que ad duplicem virtutem, ad vnam elicitiue, et imperatiue ad alteram, quia multiplicato fine, actus, et habitus, qui ab illo specificantur, eadem proportione multiplicari necessum est.

Confirmatur que a simili, de adoratione, qua Deus, et sancti venerantur, quę pertinent ad diuersas virtutes, etiam si sanctitas creata simul adoretur propter se, et propter Deum: ergo eadem ratione in presenti philosophandum est.

Idem charitatis habitus Deum, et proximum propter se respicit.

Nihilominus magis iuxta veritatem, et S. thomę doctrinam, opposita sententia affirmans videtur. Illam docent Alensis. Scotus. Bonauent. Albert. Magn. Ricard. Gabriel. Argent. et alij quos referunt, et sequuntur Suar. de Religione. lib. 3. cap. 5. a num. 6. et Lorc. 2a. 2e. disp. 24.

Quod sit expressa doctrina S. Th. patet. quia ipse q. 25. art. 1. ad 2. et q. 81. art. 4. ad 3. adducit contrarie finem oppositum, sicut quod diuersa virtute adorantur Deus, et sancti: ergo et diuersa charitate amantur. Ad quod facile respondere[n]t. concedi totum argumentum si existimaret proximum diligi amicitia, a charitate diuersa, ut contendit prima sententia, sed conatur in duplici loco assignare disparitatem, qua nos vtemur etiam ad soluendum finem oppositum: ergo tenuit sine dubio nostram sententiam. Patet etiam alijs testimonijs eiusdem asserentis, per charitatem amari proximum, ut amicum, scilicet, q. 25. art. 1o. 2. 3. 4. et 6. quę ut dicam, intelligi non possunt, nisi de dilectione proximi ex complacentia sui, et cum actuali habitudine ad Deum.

Secundo docuit hanc sententiam August. multis in locis, presertim tom. 1o. Contra finem sermone in Dominica post ascensionem, qui est ordine 6. post medium. Ubi inquit. Duo sunt precepta, et vna est charitas. Diliges Dominum Deum tuum &c. et diliges proximum sicut te ipsum. vna charitas, et duo precepta. Et paulo infra. Non alia charitate diligit proximum, quam illa quę diligit Deum, qua charitate proximum, ipsa diligimus, et Deum.

Neque valet exponere illum de dilectione proximi, primo modo. Nam dilectio proximi, prout cadit sub precepto illo, ut dicam, et prout distinguitur a dilectione omnium

alterum

aliarum, quę charitate diliguntur, est amor amicitię, et sic intelligit illam August. mul-
tis in locis, præsertim tomo 4. in fine lib. de amicitia, ex professo definiens illam, et dividens in carna-
lem mundanam, et spiritualem, humana, posteriorem propriam charitatis dicit. =

Ratione item probat. quia propter charitatem diligitur proximus, non solum amore concupiscentię, sed ut amicus: ergo diligitur etiam propter se, et ex complacentia sui. Consequentia patet. quia de ratione amicitię, est quod tendat in amicum propter se, et gratia sui ut sententia satis dictum est. Antecedens docent S. August. citatus. S. Gregor. lib. 7. in 6. cap. Job. cap. 11. ubi inquit. Amicum nostrum esse proximum, quatenus ex charitate diligitur. Et hom. 9 in Matheum et aliis locis. Et S. Thomas in citatis locis docet Deum, et proximum esse illos, ad quos amicitiam habemus, et in hoc differre amorem proximi ac cæteris obiectis secundariis, quę charitate diliguntur. Generaliter etiam assignari possunt omnes Patres, qui de amore proximi loquuntur, tanquam de speciali, et diverso ab amore aliarum rerum, quę charitate diliguntur. Cuius diversitatis ratio, alia non est, nisi quia ille est amicitię, hic vero concupiscentię. =

Secundo idem Antecedens probatur efficaciter ex sententia. quia Christus Dominus discipulos quos ex charitate diligebat, vocat amicos. vos amici mei estis, vos autem dixi amicos. Joann. 15. Et ipse Joann. insignis charitatis sectator ad finem Epistolę 3ę. scribit salutate amicos nominatim: extenditur ergo charitas ad proximos sub ratione amicitię. =

Deus etiam, etsi omnia propter seipsum diligat, amat nos benevolentia, et negari non potest sine errore. ut patet in numeris sacrę Scripturę locis, quibus dicitur Deus prosequens nos charitatis dilectione, et amicitia. Nimis honorati sunt amici tui Deus, dicitur psal. 138. Propter hanc enim rationem, largitur nobis gratiam, et charitatem, ut suos nos efficiat amicos, sed intelligi non potest amicitia, in uno tantum extremo, cum debeat esse mutua: ergo sicut Deus nos diligit, propter se, et nihilominus proprio amore amicitię, ita et nos per charitatem, poterimus proximos diligere propter Deum, etiam vera amicitia. Patet consequentia. Nam charitas nostra est formalis participatio charitatis Dei; sicut ergo charitas Dei se extendit ad iustos tanquam ad amicos, ita et nostra. =

Neque potest dici Deum non ex charitate, sed ex misericordia, vel alio attributo nos diligere. Propter nimiam enim charitatem inquit Paulus, qua dilexit nos Deus &c. Nihil enim frequentius in Scriptura, et Patribus. =

Item confirmatur ex illo Christi, Joann. 15. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Et ex illa oratione eiusdem ad Patrem. Oro te, ut unum sint, sicut ego, et tu, unum sumus. quę intelligitur de unione affectiva charitatis, et amicitię: ergo charitas, et amicitia, qua Pater diligit filium, est qua filius diligit nos, et qua nos invicem debemus diligere iuxta illud præceptum Domini tantopere commendatum, Sicut dilexi vos. Joann. 15. =

3o Principaliter probatur. Nam eo ipso, quod ex charitate perfecte diligitur proximus propter Deum, amari debet, quatenus est filius, et amicus Dei, alias dilectio proximi, non differret ab amore, quo irrationalia, et inanimata diliguntur propter Deum: hinc sic ergo amatur proximus, reduplicative, ut est diligens, et dilectus a Deo, cum utrumque importat, essentialiter amicus, et filius; ergo ex complacentia sui amatur, quia sic diligitur a Deo, et est amicus Dei. Rursus inquantum filius est exemplar, et imago viva Dei, quia eius rationem participat: ergo charitas quę perfecte diligit Deum, amat consequenter eius imaginem, et quia talis imago viventis est, et

apta

capax amicitiæ, amatur eodem genere amoris, quo res principaliter delectat. Patet in humanis. quid enim frequentius, quam amari exemplaria, filios, et fratres amicorum, et non quocumque, sed amicitiæ amore.

Declaratur hoc amplius. quia de ratione amicitiæ est, unio affectiua voluntatum, idest, quod habeant idem velle, et nolle, eadem bona, et mala communia, eosdem amicos, et inimicos, ut docent Arist. 9 Ethic. cap. 4. et S. August. lib. de amicitia toto. in finem S. Thom. et alij. Ratione huius amicus dicitur alter ego, transformatur que in rem amatam: ergo qui vult esse amicum Dei, debet esse amicus amicorum Dei, qui sunt proximi. Videat hoc experientia in amicitia humana, et patet a fortiori in diuina, quia non solum se extendit bonitas Dei, ut nos velit amicos, sed etiam vult, et precipit, ut omnes sint amici nostri, quia propter hoc magis conformamur, voluntati diuinæ, diligentes nos amore amicitiæ.

Confirmatur hoc etiam. In humanis magis placet amico, et unitur affectiue cum illo, is qui prosequitur filium eius, vel fratrem, vel amicum, non ex sola concupiscentia propter amicum, sed perfecta amicitia, et complacentia filij, et fratris illius, magis enim gaudet, et complacet propter quod filius suus, sit propter se dignus amore, quam quod diligatur propter bonitatem extrinsecam ipsius Patris; nam desiderat filio eamdem bonitatem, et amabilitatem quam ipse, et similiter amicus amico, supposito, quod debent habere, eamdem bona communia, saltem tantum affectiue.

Probatur 4. quia charitas, ut dicunt Sancti Patres, efficit communem omnibus beatis gloriam cuiuslibet, et de fidelibus primitiuæ Ecclesiæ dicitur, quod erant illis omnia communia et habebant animam unam, et cor unum in Deo, sicut uerera, ratio amicitiæ id postulat: sed gloria, et quodcumque aliud bonum, nulla ratione fit commune, nisi inquantum unus complacet de bonitate alterius, ac si esset propria: ergo non ex sola complacentia Dei amatur proximus, sed etiam propter se, alioquin gloria illius, non amaretur ut omnibus communis, sed ut solius Dei propria.

Confirmatur. quia solus amor concupiscentiæ, quo proximi diligerentur propter Deum, pure, non est sufficiens unire fideles inter se, ita ut sit illis cor unum, et anima una, et omnia bona sint illis communia: naturalis amor unirent omnes fideles cum Deo, non vero omnes inter se, quia non amantur, nisi ut pure materialia, unio autem affectiua proprie non est nisi inter amantem, et amatum, quod vero non amatur propter se, sed ut obiectum materiale vere non amatur, sed attinguntur propter amorem alterius. Ergo.

Denique arguitur ex tenore verborum, quibus semper intimatur nobis charitatis præceptum. Diliges Deum super omnia, et proximum sicut te ipsum. Sit que Euangelista hortatur sepius, ut nos inuicem diligamus, et quod eo ipso charitas Dei in nobis perfecta erit 1. Ioan. 4. si diligamus inuicem, charitas Dei in nobis perfecta est. Sed amor sic reciprocus, et quo quis se ipsum diligit, est amor propter se, et beneuolentiæ maximæ, ideoque assignatur ut regula diligendi proximum: ergo dilectio proximi, debet esse, ex beneuolentia, et amicitia, et non ex sola concupiscentia.

Confirmatur. quia dilectio proximi secundaria regula, commensuratur dilectioni nostræ ut docet D. Gregor. Prima est negatiua. quod tibi non vis alteri ne feceris, quæ primum principium est in Philosophia morali. Et 2a. affirmatiua, quam tradit Christus Dominus Math. 7. quæ vultis ut faciant vobis homines, facite, et vos illis. Sed in illis plane significatur beneuolentia propter se

propterea, ut patet ex illis particulis, tibi, et vobis, quae denotant obiectum cui alicui voluntas vult aliquod bonum, ac proinde obiectum benevolentiae, vel amicitiae, nam obiectum Concupiscentiae est id quod alteri volumus: ergo.

Sectio 6. satis fit argumentis oppositis. Et exponitur mens sancti Thomae.

Ad rationem dubitandi respondet S. Thomas. q. 25. art. 1. ad 2um. et q. 81. art. 4. ad 3um. esse discrimen inter adorationem, et Charitatem, quod haec respicit bonum in Communi, seu Communicabile; adoratio vero respicit honorem, et excellentiam alterius, quatenus propria illius est, et alteri non communicatur, ideoque sufficit eadem species charitatis ad attingendum bonitatem Dei, et proximi, non vero eadem species Religionis, ad venerandum illos. Quae solutio valde obscura, et inintelligibilis visa fuit multis iunioribus, et a multis impugnatur quarum summa est. quod sicut amor in communi, tendit in bonitatem in communi, ita honor in communi ad excellentiam in communi; et sicut talis honor scilicet latriae, in excellentiam increatam, sic talis amor super omnia, et theologicus in bonitatem per essentiam; et sicut communicatur bonum participatio divinae bonitatis, ita etiam participatio divinae excellentiae, et stimabilitatis: ergo sicut in participatam excellentiam, non tendit latria, sed alia virtus specie diversa, ita in bonitatem participatam, quia creata est, non potest ferri Charitas theologica, quae solum bonitatem increatam respicit.

Haec autem, et similia argumenta ex nimia subtilitate, et profunditate verborum Doctoris Angelici, non satis penetrata occasionem sumunt. Non enim vult significare per bonum in communi, communitatem logicam, quam habet natura universalis, secundum rationem, sed bonum, quod est communicabile secundum rem pluribus amicis, sive secundum affectum, sive secundum effectum, modo quo supra declaravi amicitiam respicere omnia bona communia, sicut, et idem velle, et nolle &c. Patet haec expositio ex contextu verborum utriusque loci. Illa supposita ad fundamentum oppositum respondeo, concedendo dilectionem Dei, et proximi specie differre, et nihilominus elici ab eodem habitu Charitatis non aeque primo, sed dilectionem Dei primario, tamquam id a quo adaequate specificatur talis habitus, et proximi dilectionem, secundario, et concomitanter, ratione actus primarii, et sic non derogat unitati, neque rationi habitus theologici.

Dices iterum. quando occurrunt duo obiecta, etiam si sint subordinata, et unum sit primarium, respectu alterius, specificant actus subordinatos, quorum unus magis principaliter, a voluntate intenditur, quam alter: ergo similiter quando occurrunt duo actus, specie diversos, licet subordinatos, et quam communis sententia S. Thomae, quod tunc unus actus elicitur ab una virtute, et imperatur ab alia, ut late docui materia de bonitate, et malitia: ergo solutio nulla.

Respondetur distinctione. quando enim subordinatio obiectorum, et actuum, est tantum accidentaria, est vera tota doctrina posita, nimirum, quod una virtus, potest respicere actus alterius secundario, et ut materiale extraneum, sicut per accidens: quia respicit illos ut causa extrinseca, et mediata, ad modum quo causa dirigens, et applicans, movent potentiam sequentem, et mediante

illa

illa concurrunt ad illius actum, et huius ratio est: quia habitus non habent virtutem, nisi ad id quod per se attingunt, non vero ad id quod per accidens coniungi potest suo affectui praeter intentionem.

Ad vero ex hoc colligitur, quod quando subordinatio, obiectorum, est adaequate per se, et necessaria saltem ex parte unius extremi, quod talis doctrina sit neganda. Nam omnis virtus vel habitus, eo ipso quod habeat efficaciam completam, debet per se attingere, et independenter a quocumque alio, eiusdem generis, omne id quod per se respicit, sive ut formale, sive ut materiale per se: sed in praesenti casu, dilectio Dei, et proximi, prout attinguntur a charitate subordinantur per se, nam omnis amicitia respicit essentialiter eadem bona communia, eosdem amicos et inimicos, idem velle, et nolle ut probatum est, et ut docet S. Thomas in citatis verbis, ac proinde cum proximus sit amicus Dei, ex eadem charitate, qua Deum diligimus, tenemur, et proximum amare, propter ipsum, quia Deus sic illum diligit, et vult diligi. Ex quo patet iam ad confirmationem.

Obijcies autem secundo, contra hanc doctrinam. S. Thom. Materia de Bonitate et Malitia, q. 18. art. 7. asserentem quod quando finis proximus per se ordinatur ad finem ultimum, actus sumit speciem subalternam, seu genericam, a fine ultimo, et a fine proximo, speciem infimam ieiunium v.g. quia respicit ut finem proximum, abstinentiam cibi, et potus, et finem temperantiae ut finem ultimum, continetur sub temperantia, tamquam species sub genere, atque quando non per se sed accidentaliter connectuntur, actus est in duplici specie, infima completa, pertinente ad duplicem virtutem. Sed sic est quod actus charitatis, non potest sumere rationem specificam, et differentialem, a bonitate proximi, et rationem genericam a Deo, cum potius ultimum specificativum illius sit divina bonitas: ergo dilectio Dei, et proximi, sunt actus per accidens subordinati, ac per consequens pertinentes ad duplicem virtutem.

Respondetur. Amorem proximi, qui est finis intermedius, quantum est ex parte sua, non ordinari per se ad amorem Dei, qui est finis ultimus, sed e contra, amor Dei super omnia dilecti per se petit amorem proximi, et inclinat ad benevolentiam illius propter rationem dictam. S. Thomas autem solum profert doctrinam illam, quando finis intermedius, per se ordinatur ad ultimum non e contra. Ex quo nihil contra nos. Huius autem optima ratio est. quod quando finis ultimus, petit per se finem proximum, et non e contra, inferuntur evidenter haec duo. Primum, quod idem habitus, qui attingit finem ultimum, respiciat etiam proximum, quia illum per se petit, ac necessario. Et secundum, quod talis connexio per se obiectorum, non tollat diversitatem in actibus, sicut aufert in habitibus, quia satis est, quod e contra, finis proximus, non per se petat ultimum, ut distincta specie actus respiciatur.

Obijcies 3º. Si dilectio proximi, ordinatur per accidens ad bonitatem Dei: ergo secundum illam respicit, ergo habitus eliciens huiusmodi dilectionem, secundario terminabitur ad Deum, quia habitus, et actus, eodem modo respiciunt obiectum, cum habitus non respiciat illud, nisi per actus; sed tunc sic, habitus respiciens secundario Deum, et primario proximum non potest esse charitas, potius enim e contrario modo se habet, ergo est alius habitus diversus.

Respondetur. Doctrinam hanc, esse veram de actu primario, et immediato potentiae, vel habitus, at vero quando mediante alio actu primario, charitas v.g. attingit secundario dilectionem proximi, et illam ordinat ad gloriam Dei, obiectum primarium respectu habitus absolute est Dei gloria, et secundarium bonitas proximi, quamvis respectu actus dilectionis proximi res e contra se habeat, quinimo propter hoc dilectio proximi est actus per se secundarius, respectu

habitus

habitus ~~[struck]~~ charitatis, quia non respicit primario bonitatem Dei, sed proximi, alioquin enim actus primarius esset, quapropter ex materia de bonitate, et malitia, haec doctrina est maxime notanda, quando unus actus imperat alium obiectum primarium unius, est secundarium respectu alterius, et econverso, quod autem magis principaliter a voluntate intenditur, est obiectum actus imperantis, quia est primum in intentione, et ultimus finis, gratia cuius intenditur obiectum actus imperati, seu finis intermedius.—

Add. 2. Nos non negare dilectionem proximi, in casu de possibili habere proprium habitum amicitiae supernaturalis infusae ad quem primario pertinere possit, potius enim hoc supra docui, loquendo de dilectione proximi, contendimus tamen etiam posse elici hunc actum a charitate per se secundario, et non tantum per accidens; sicut actus aliarum virtutum, possunt etiam pertinere per se ad charitatem, non solum quatenus ab ipsa imperantur, sed etiam elicitive tamquam a principio immediato, et possunt etiam elici a suis propriis virtutibus. Nam qua ratione ad amicitiam pertinet, respicere eosdem amicos, pertinet respicere idem velle, et nolle amici, ac proinde virtutes omnes quas Deus maxime vult, et in nobis expetit, et praecipit, nec est novum actum primarium unius virtutis, esse per se secundarium alterius, ita ut comparetur ad illam ut proprius actus, et non ut extraneus; sic creaturae quae alias sunt obiecta primaria scientiae infusae animae Christi, vel Angeli, quatenus directe repraesentantur in suis propriis generibus, sunt nihilominus obiecta per se secundaria, respectu visionis beatae, quatenus repraesentantur in verbo: ergo ita similiter dilectio proximi primario pertinens ad amicitiam humanam, potest secundario elici a virtute charitatis, tamquam ab eminentiori causa, quemadmodum etiam idem actus potest procedere, ab habitu, vel auxilio, et idem calor a sole, et ab igne.—

Dices. Ad quid sunt necessariae virtutes reliquae, si sola charitas sufficit, ad eorum actus eliciendos.— Respondetur, non omnes habent habitum. Possunt ita frequenter eam exercere sicut exerceri petunt reliquae virtutes. Nec quaevis charitas imperfecta vincet difficultates, quae afferuntur in materia aliarum virtutum, cum det tantum simpliciter posse, et non facilius posse, ideoque quam potius econtra, ut charitas non tepescat, aut retrocedat, sunt necessariae aliae virtutes quae impedimenta, et difficultates imperfectas tollant.—

Obiicies 4. qui proximum diligit praecise propter Deum, et illi solum ideo omnibus omnia bona desiderat, sine dubio implet charitatis praeceptum, et perfectissimo modo possibili qualis est bonitas Dei summe dilecta: ergo charitas non petit per se dilectionem proximi ex complacentia sua.— Confirmatur quia charitas odio habet inimicos, non propter ipsos, sed praecise ut sunt contra Deum: ergo eadem proportione diligit amicos Dei, solum ut sunt bona ipsius Dei, et non ex complacentia ipsorum.—

Respondetur ad 4. Negari non potest, quod ille in casu argumenti relati, impleret praeceptum, quantum ad substantiam, et eliceret verum charitatis actum, non tamen perfectissimo modo possibili, quia multo perfectius diligitur, non solum proximus, sed etiam Deus, si diligatur proximus eo modo quo diligitur a Deo, scilicet ut amicus; magis enim unitur affective, et conformatur cum illo, si habeat eosdem amicos, quos habet Deus. Patetque ex exemplo adducto ex amicitia, magis perfecte amat, et complacet amico, qui filium suum eodem genere amicitiae prosequitur quam si sola concupiscentia propter patrem illum diligeret.—

Ad confirmationem respondetur. quod si ly, propter se naturam, seu personam significet, ut argumentum supponere videtur, non ideo habentur proximi propter se, quia natura est

a Deo

a Deo, et consequenter bona; et maxime rationalis natura, quae ad Dei imaginem fuit creata, atque adeo solum possunt odio haberi quoad culpam, ratione cuius sunt contra Deum, quia sic etiam odio habentur a Deo, et idem enim est et eadem ratio. Potest tamen dici, quod odio habentur propterea, quatenus peccati macula est forma illis intrinseca in suo esse morali, sicut gratia in suo esse phisico, et sic servari proportionem in odio, ac in dilectione.

Obijcies quinto S. Thomam. art. 1º. §72 qu. 25. asserentem eodem omnino actu amari Deum, et proximum; quia Deus est tota ratio diligendi proximum: ergo non loquitur de dilectione proximi, et amici, sed solum prout Deo concupiti amore concupiscentiae, quando asseruit attingi a charitate. Praeterea. q. 103. art. 3. ad 2um 3. sic scribit: Ratio diligendi proximum, Deus est, sicut enim non diligimus per charitatem in proximo nisi Deum, ideo eadem est charitas, qua diligitur Deus, et proximus: sunt tamen aliquae amicitiae differentes a charitate secundum alias rationes, quibus homines amantur &c. In quibus verbis plane videtur loqui solum de dilectione proximi, primo modo, et excludere quamcumque aliam proximi propterea, a charitate quandoquidem inquit, pertinere ad aliam amicitiam differentem.

Propter hoc aliqui iuniores asserunt varium fuisse S. Thom. in sacre, ac proinde liberum esse discipulis eius, amplecti partem, quam maluerint. Incredibile tamen est, et minime praesumi potest de Angelico Doctore in tam paucis interpositis quaestionibus, quinimo, et in duobus articulis immediatis varium, et contrarium sibi extitisse.

Quare ad primum §13. Respondeo: Ipsum in articulo illo primo solum in communi quaerere. Utrum charitas extendatur ad proximos. Et probat partem affirmativam, de ea dilectione qua proximus amatur solum concupiscentia propter Deum: quia sic evidentius ostendit veritatem conclusionis, cum proximus in illo casu, eodem actu diligatur quo Deus. Quibus autem alijs modis, proximus possit ex charitate diligi, non exquisivit ibi, sed in sequenti articulo. Ibi dicit, diligi per charitatem amore amicitiae, et in hoc distingui ab alijs obiectis, qui per ipsam diliguntur.

Ad 2um 3. Respondetur. Potius esse adductum illud testimonium pro nobis. Nam ibi loquitur solum de charitate habituali, et asserit esse unam, quia ratio adequata primaria diligendi proximum, non est nisi Deus, et per illa verba. Non enim diligimus in proximo nisi Deum, tamen excludit rationem aliquam motivam, seu specificativam charitatis, praeter bonitatem Divinam. Quando autem asserit esse alias amicitias differentes, quibus proximus amari potest, verissime loquitur. Sed iam dixi per illas diligi primario, et per charitatem pro secundario.

Articulus 6. Utrum charitas sit excellentissima virtutum.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod charitas, non sit excellentissima virtutum. Altioris enim potentiae, altior est virtus, sicut et altior operatio: sed intellectus est altior voluntate, quia dirigit ipsam: ergo fides quae est in intellectu, est excellentior charitate quae est in voluntate.

2º. Praeterea, illud per quod aliud operatur, videtur esse inferius, sicut minister

ta per quem Dominus aliquid operatur, est inferior Domino: sed fides per charitatem operatur ut habetur ad Galatas 5. ergo fides est excellentior charitate.=

3°. Praeterea, illud quod se habet ex additione ad aliud, videtur esse perfectius, sed spes videtur se habere ex additione ad charitatem. Nam charitatis obiectum est bonum, spei autem obiectum est bonum arduum: ergo spes est excellentior charitate.=

Sed contra est quod dicitur 1. ad Cor. 13. Maior horum est charitas.=

Respondeo dicendum. quod cum bonum in humanis actibus attendatur secundum quod regulantur debita regula, necesse est quod virtus humana, quae est principium bonorum actuum, consistat in attingendo humanorum actuum regulam: est autem duplex regula humanorum actuum, ut supra dictum est. scilicet ratio humana, et Deus, sed Deus est prima regula, a qua etiam humana ratio regulanda est. Et ideo virtutes theologicae, quae consistunt in attingendo illam regulam primam, eo quod earum obiectum est Deus, excellentiores sunt virtutibus moralibus, vel intellectualibus, quae consistunt in attingendo rationem humanam. Propter quod oportet, quod etiam inter ipsas virtutes theologicas, illa sit potior, quae magis Deum attingit. Semper autem id quod est per se, maius est, eo quod est per aliud. fides autem et spes attingunt quidem Deum, secundum quod ex ipso provenit nobis, vel cognitio veri, vel adeptio boni. Sed charitas attingit ipsum Deum, ut in ipso sistat, non ut ex eo aliquid nobis proveniat. Et ideo charitas est excellentior fide, et spe, et per consequens omnibus aliis virtutibus. Sicut etiam prudentia, quae attingit rationem secundum se, est excellentior, quam aliae virtutes morales, quae attingunt rationem secundum quod ex ea medium constituitur in operationibus, vel passionibus humanis.=

Ad primum ergo dicendum. quod operatio intellectus completur, secundum quod intellectum est in intelligente, et ideo nobilitas operationis intellectualis, attenditur secundum mensuram intellectus. operatio autem voluntatis, et cuiuslibet virtutis appetitivae, perficitur in inclinatione appetentis ad rem, sicut ad terminum: ideo dignitas operationis appetitivae attenditur secundum rem, quae est obiectum operationis, ea autem quae sunt infra animam, nobiliori modo sunt in anima, quam in se ipsis, quia unumquodque est in aliquo per modum eius in quo est, ut habetur in lib. de causis. quae vero sunt supra animam, nobiliori modo sunt in se ipsis, quam sint in anima. Et ideo eorum quae sunt infra nos, nobilior est cognitio, quam dilectio. Propter quod Philosophus in 7. Ethic. praetulit virtutes intellectuales, moralibus, sed eorum quae sunt supra nos, et praecipue dilectio Dei, cognitioni praefertur, et ideo charitas est excellentior fide.=

Ad 2m dicendum. quod fides non operatur per dilectionem, sicut per instrumentum ut dominus per servum, sed sicut per formam propriam, et ideo ratio non sequitur.=

Ad 3m dicendum. quod idem bonum est obiectum charitatis, et spei. sed charitas importat unionem ad illud bonum: spes autem distantiam quamdam ab eo. Et inde est quod charitas non respicit illud bonum, ut arduum, sicut spes. quod enim iam unitum est, non habet rationem ardui. Et ex hoc apparet, quod charitas est perfectior spe.=

Duobus modis potest praeferri charitas, caeteris virtutibus, et in genere naturae, et in genere moris, et in hoc posteriori sensu, conclusio est affirmativa, et certa ex sacra scriptura, et Patribus: 1. ad Cor. 13. si charitatem non habuero, nihil sum, nihil mihi prodest, et maior autem horum est charitas. Et ad Colos. 3. super omnia charitatem habete. Probat etiam S. Thomas efficaci ratione. quia vel charitas comparatur cum rationibus moralibus, vel cum theologicis. si cum moralibus, ipsa sine dubio praestantior illis est, quia nobilissimum omnium obiectorum morali

um respicit, Deum scilicet, qui est prima Regula humanorum actuum: si vero cum virtutibus Theologicis conferatur, illas excedit in hoc quod attingit Deum perfectiori modo, ipsum anteponendo omnibus creaturis estimatione, et amicitia summi appretiativa absque intuitu proprie commoditatis. At vero fides respicit ut doctorem, a quo dicimus veritatem, et spes, ut benefactorem, excedit preterea charitas ceteras virtutes, quia est omnium earum forma, illis tribuens dignitatem, et valorem meritorum, et statum perfectum virtutis, ut dicemus. Atque inseparabilis gratie comes, et forma accidentaliter iustificans, nos viviens perfecte cum Deo. Est item votum perfectissimum observandi totam legem, et vinculum perfectionis. ut docet Paul. ad Colos. 3. Etiam extra sacramentum vitam spiritualem tribuens, que et similia, que multiplicari possent, nulli alteri virtuti conveniunt.

Hanc autem veritatem Catholicam, impugnare voluerunt Lutherani, aliquibus sacre scripture testimoniis, quibus iustificari dicimur, et vivere per fidem. ut ad Rom. 1º. ad Galat. 3. Abac. 2. &c. Que dissolvit Concil. Trident. sessione 6. cap. 8. Dominus nos iustificari per fidem, non formaliter, sed dispositive remote, quatenus fides est humane salutis, initium, finem, et radix iustificationis.

Rursus argui potest pro Hereticis. Quia infidelitas, que opponitur fidei, est gravius peccatum, quam odium Dei, quod charitati opponitur: ergo fides nobilior est charitate iuxta communem illam regulam quam probant Durand. et Cajet. Illud est melius, cuius oppositum est peius. Respondetur negando antecedens, simpliciter, et absolute loquendo: nam propter se, et natura sua, gravius est odium Dei, quamvis in aliqua circunstantia, secundum quid excedat, infidelitas, scilicet in quantum avertit finem, spiritualis edificii. ut licet S. Thomas q. 10. art. 3. videatur absolute preferre infidelitatem, infra q. 34. art. 2. excepit odium Dei, quod gravius esse testatur.

Sectio 1. Sitne charitas, prestantior omnibus virtutibus in esse nature.

Restat tamen non levis controversia, inter theologos. An conclusio articuli, etiam de maiori excellentia charitatis in esse phisico, seu nature intelligatur. Nec est dubium de visione beata, aut habitu luminis: nam visio est perfectissimus actus, prestantioris potentie, et lumen gratie virtus proxima, influens in illum, ratione cuius in ea beatitudinem nostram consistere. Tenet schola S. Thome cum suo Magistro, et maior, ac sanior theologorum pars.

Rursus certum est, charitatem excedere virtutes morales in genere entis, eo quod ipsa est virtus theologica, attingens Deum, omnium obiectorum nobilissimum. Neque obstat martirium, ut prestantissimum omnium virtutum actuum commendari: nam id habet ratione eximie charitatis, a qua imperatur, non ex precisis fortitudinis actu. ut q. 124. art. 2. satis constat.

Superat etiam charitas spem, licet immediate idem obiectum divinum respiciat; quia perfectiori modo illud attingit charitas, summa videlicet appretiatione, et ex perfecta ad Deum amicitia. ut iam in superioribus declaratum est. Est item prestantior virtutibus intellectualibus, et prudentia etiam supernaturali: quia licet in modo intelligibili, quo obiectum illa respiciunt charitatem excedant; est excessus secundum quid. Simpliciter namque superantur

rantur ab illa ex obiecto, quod est Deus, ex quo actus, et habitus, speciem, ac denominationem sumunt simpliciter. Neque est necessarium, quod quaelibet species perfectioris generis, vel quilibet actus perfectioris potentiae, excedat quemlibet inferioris; satis est, quod perfectissima species illius generis, vel perfectissimus actus, nobilioris potentiae, praestantior sit specie, aut actu nobilioris generis seu potentiae inferioris. =

Restat ergo tantum ad fidem, charitatem conferre, in qua duae sunt sententiae celebres extreme oppositae, una fidem, et altera, charitatem praeferens, et utraque non levibus innixa fundamentis. Pro fide pugnant Caiet. hic et 1a p.te q. 82. art. 3. Ferrar. 3. Contag. et alii non pauci ex discipulis S. Thomae ipsum pro se adducentes, quatenus q. 82. art. 3. citato distinguit expresse excessum simpliciter, et secundum quid, et asserit intellectum simpliciter excedere voluntatem, hanc autem ~~aliquando~~ secundum quid aliquando superare intellectum, quando obiectum nobilius respicit. =

Secundo probari potest ex illo ad Rom. 6. et ad Hebraeos 10. Iustus ex fide vivit: ubi quamvis non excludatur consortium charitatis, sine qua fides mortua dicitur, Iacobi 2. saltem fides significatur tamquam forma primaria, et essentia huius vitae, et charitas, tamquam proprietas et attributum illius. ut constat ex illo ad Galat. 5. fides quae per charitatem operatur. ubi fides tamquam principale agens, et charitas, quasi instrumentum, aut virtus illi superaddita significatur. Quod valde confirmat Paulus ad Hebraeos 11. ubi postquam dixerat cap. 10. iustum ex fide vivere, consequenter ad hoc discurrens per omnia iustorum opera, egregiaque facinora, ea fidei attribuit, quia forma quae est principium essendi, debet esse principium operandi: nam esse ordinatur ad operari. Sancti aut, per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, et sic multa alia prosequitur. =

Est tandem principium in Philosophia certum, quod volitum numquam potest primo constituere aliquem gradum entis, sed tantum esse entis proprietas; quia necessario supponit intelligere, cum nihil volitum, quin praecognitum: ac per consequens naturam intellectualem, iam integre constitutam, ideoque omnis natura spiritualis, aut immaterialis dicitur intellectiva, seu intellectualis, denominatione sumpta a forma primaria, seu essentiali; immaterialitas etiam dicitur radix intellectualitatis, quia intelligere est prima forma, quae immediatius, et intimius illi competere consideratur: ergo fides est prima forma, quae essentialius, ac principalius, vitam iusti constituit, charitas vero secundaria, ut proprietas eam comitans. =

3o principaliter probatur. quia si comparatio fiat in obiectis, vel est omnimoda aequalitas, vel obiectum formale fidei, superat charitatis obiectum: ergo cum alias modus respicienti fidei perfectior sit, quia nobilioris potentiae, qualis est intellectus, evidenter infertur, quod eius excessus in esse naturae, sit simpliciter maior. Patet consequentia: nam quando alias est saltem aequalitas ex parte formalis obiecti, non est unde impediatur excessus simpliciter, quem intellectus ex natura sua supra voluntatem possidet. Antecedens in quo est tantum difficultas, probatur. Nam si sermo sit de obiecto formali in genere rei, quod attingitur ut quod, omne quod attingit charitas, sub ratione boni, proponitur illi prius a fide, sub ratione veri, quia omne volitum, debet esse prius cognitum, ac proinde debet necessario esse omnimoda aequalitas. =

Si vero sermo sit de obiectis motivis, specificativum fidei, est divina veracitas, quae in recto divinam sapientiam, et consequenter naturam divinam importat iuxta dicta de illa, disp.
sect. unde motivum charitatis, sive sit natura divina, sive aliquod eius attributum, ad

summum

summum ęquale fidei est, non superius. =

Neque valet huic respondere, fidem non immediate respicere suum obiectum, quoniam non attingit illum in se, sed sub speciebus Creaturarum quę infinite a Deo distant: Nam etiam eo modo illud respicit Charitas; neque tollit hęc mediatio, quę tantum se tenet ex parte modi respiciendi, vel ex parte vię seu tendentię immediationem obiecti, seu termini ad quem, alioquin virtus theologica non esset, de cuius ratione est, quod immediate, et directe Deum respiciat. Hoc autem fidei nemo negabit: Nam per Creaturarum imagines transit ad Deum trinum, et unum, illum ab omni creatura discernens, ut sic charitas possit eum super omnem Creaturam amplecti. Unde si respectu fidei, mediant species creatę, respectu Charitatis mediat insuper ipsa fides prę cognitio earum harum specierum, in quo charitas inferior intelligitur, quę a fidei instructione, et directione pendet, non autem e contra: quod ulterius confirmatur instantia Angelorum, in quibus Angelus superior dicitur, qui immediatius illuminatur a Deo, inferior vero, qui ab alio Angelo docente illustratur: Nam sic, fides, et Charitas se habent; fides enim immediate a Dei verbo, et veracitate docetur, Charitas vero ex fide: Ergo hęc est illa nobilior. =

Neque obstat fidei eius obscuritas, in intelligendo: Nam longe obscurior est voluntas, cuius actus est charitas. Siquidem dicitur potentia cęca, quę non nisi per intellectum potest obiectum respicere. Neque favet Charitati eius summa appręciatio, qua absque proprię alicuius commoditatis intuitu Divinam bonitatem, creatis omnibus anteponit: Nam eadem proportione fides in sola Dei veracitate innitens omnibus rationibus creatis spretis, quę in oppositum sese offerunt, tam summe appręciat, ita ut eius dictis firmum assensum prębeat, et si oppositum oculis cernere existimet. Sicut enim Charitas, renunciat omnem amorem proprium, sic fides, omne proprium iudicium, quod difficilius est, ut omnes Magistri spirituales docent, siquidem in proprii iudicii abnegatione, ultimum constituunt perfectionis gradum. =

Charitas tam phisice, quam moraliter, fidei absolute

~ pręfertur ~

Certe negari non potest, magna oppinionis dictę probabilitas: sed adhuc Charitas Christi, urget nos, ut pro illa sententiam feramus. Urget etiam S. Thom. qui inmerito pro parte contraria allegatur: expresse enim, et ex professo probat in hoc Articulo excessum simpliciter charitatis supra fidem. Assumit enim tamquam commune principium, quod bonitas, seu perfectio, humanorum actuum desumitur ex regula rectę rationis: et quia virtutes morales regulantur recta ratione creata, et virtutes theologicę, prima regula, et increata quę est Deus, concludit primo has esse illis prętantiores. Secundo, eodem discursu et fundamento, comparans virtutes theologicas inter se, probat charitatem absolute perfectiorem, quia altiori modo primam regulam attingit, quam fides, et spes. =

Neque valet communis responsio, qua nituntur se evadere Authores, nimirum S. Thom. loqui, solum de excessu in genere moris, nam expresse de eo genere ibi loquitur, et in eo charitas est simpliciter perfectior, sicut virtutes morales, absolute, et sine addito diminuente dicuntur virtutes prętantiores, quam intellectuales quę tantum virtutes secundum quid dicuntur, quia virtus est perfectio de genere moris, et in eo genere est prętantior sine dubio: sic ergo et charitas. =

Contra hoc enim est, quod in utroque genere loquitur expresse S. Doctor. quis enim

negabit

negabit, quod in comparatione, qua virtutes theologicas, moralibus præfert, non loquatur etiam de excessu phisico, cum obiectum illarum constituat esse Deum. Et obiectum istarum aliquid creatum: ergo eodem argumento charitatis probat excessum, eodem modo intelligi debet =

Præterea, licet comparatum genus moris, ad genus pure phisicum, possit phisice ignobilius esse, et moraliter præstantius respectu illius. At si comparatio fiat intra ipsum genus moris, hoc est inter virtutes, et actus morales inter se, eo ipso quod species aliqua sit præstantior in genere moris est consequenter nobilior, entitative, seu in genere phisico, saltem in schola S. Thomæ docuit. ut late 1.2. q. 18. actum humanum sumere suam bonitatem realem specificam ab obiecto, et fine proximo constitutaque moralitatem actus in positivo, et reali ordine ad obiectum, sed ab hoc sumitur etiam nobilitas phisica: ergo ex eodem principio, utraque convincitur. De speciebus loquor. Nam ex circunstantiis actibus in individuo accidentaliter advenientibus, potest bonitas augeri, ita ut inæqualitatem perfectionis speci superet. =

Locus tandem adductus, ab authoribus oppositis, ex q. 82. 1. partis. art. 3. parum illis favet, nam quando distinguit excessum, simpliciter, et secundum quid, loquitur expresse de potentiis, concludens intellectum posse simpliciter excedere voluntatem, et secundum quid ab illa superari per ordinem ad aliquem actum, et inde infert posse charitatem esse absolute digniorem fide. Quia non est necessarium, quod omnis actus nobilioris potentiæ, aut omnis species nobilioris generis sit simpliciter perfectior, omni actu, et specie potentiæ, aut generis ignobilioris, ut fere omnes supponunt. =

Notanda est etiam in hoc articulo doctrina solutionis ad 1m. ubi probat, in obiectis nobilioribus, ipsa anima, meliorem esse amorem illorum, quam cognitionem, et in obiectis inferioribus, e converso, cognitionem nobiliorem esse dilectione. Ratio eius est. quia quando obiectum est nobilius ipsa anima, limitatur eius cognitio, ab intellectu, quia trahit res ad se, et intelligit eas iuxta modum, et capacitatem suam. Amor vero potius trahitur, et elevatur ab ipso obiecto, non limitat illud, quia non trahit ad se, sed ipsa elevat se supra se, ut variatur, et transformatur in rem amatam. Unde ex eadem ratione, quando obiecta sunt inferiora ipsa anima, intellectus eo elevat ad se, et digniora facit, voluntas vero deprimitur ad illa, et eis ut captiva subditur. Propter quod Oseæ 9 dicitur. facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt. Hæc igitur ratio phisica est ut constat ex parte intellectus, cuius ratio est pure phisica; et consequenter ex parte voluntatis, alioquin inepta esset comparatio, si non esset in ratione communi, et consequentia, disparata, si in eo genere, quo intellectus trahit res ad se, voluntas non traheretur ab ipsis rebus, ut perfectio quæ ex tali medio uni conceditur, alteri denegetur. =

Hæc ratio S. Thomæ si profunde consideretur, est fundamentum efficax, et firmum, pro hac veritate: Nam intellectus humanus, qui semper respicit iuxta modum suum (hoc est, illas ad se trahere) cum angelum intelligit ad modum parvuli, potius ignorantia, quam scientia angeli notitia illa dici potest: quia nihil est dissimilius, respectu angeli, quam illi parvuli effigies: sed longe ineptior, imo infinite dissimilior et remotior ad Deum cognoscendum est omnis notitia quæ de Deo in hac vita haberi potest: ergo potius Dei ignorantia dicenda est: ergo quamvis verum sit Dei cognitionem simpliciter nobiliorem eiusdem dilectione, non tamen Dei ignorantiam, vel cognitionem ei æquivalentem, eius dilectioni antefferre debemus. =

Constabit evidentius, vis huius rationis. disp. 96. sect. 3. ubi ex professo declaro, quam inepta, disparata, ac improporcionata sit omnis similitudo creata ad ostendendum nobis aliquid

quod

quod sit Dei proprium. Vnde inferunt sancti Patres longe perfectiorem notitiam de Deo esse quę habetur per negationes, quam per affirmationes adquiri potest. Hoc est, tanto eminentius et sublimius Deum a nobis intelligi, quanto magis ignotum, et supra omnem captum nostrum eum considaramus. quam S. Dionisius Areopagita, et omnes Mistici sępissime doctam ignorantiam, vel lucidam caliginem appellant, quia per illam tantum cognoscitur, quod Deus non potest cognosci, tantum cogitatur ut lux inaccessibilis, et incogitabilis ab omni intellectu creato: ergo sublimior, et supernaturalior notitia, quę de Deo in hac vita haberi potest, tantum est ignorantia quędam, cognita ut talis, (quę propter hoc dicitur docta) vel negatio quędam cognitionis Dei, iniuria magna charitati fit, si nec ad Dei ignorantiam eam volumus comparare, et anteponere.

Confirmat hoc illa communis Patrum sententia, qui loquentes de altissima Dei contemplatione, dicunt, quod voluntas est quę intrat in sanctuarium Dei, intellectus autem foris stat. quod ideo asserunt: quia voluntas attingit immediate Deum, modo suo connaturali, et proportionato, ipsi que unitur, et ingreditur, sicut in Patria, quia est eiusdem rationis cum illa (ut colligitur ex illo 1. Chor. 13. Charitas numquam excidit.) intellectus vero foris stat; quia supponens Deum incognoscibilem, potius oculos claudit. sicut seraphim quos vidit Isaias. cap. 6. ut suam incapacitatem profiteatur, et ignorantiam ad scrutandam tantam Maiestatem: ergo amor longe nobilior est, qui intrat, et Deo ingreditur.

Secunda ratio principalis est. quod charitas est virtus propria Dei. Est enim formalis participatio amoris quo Deus seipsum diligit, ad modum quo gratia est participatio formalis Diuinę naturę, secundum gradum quasi differentialem soli Deo proprium, licet inadequate participatum. (ut late materia de gratia explicui.) fides autem, minime id habet, potius enim repugnat formaliter in Deo, propter quod probaui disp. sect. 2. non esse phisicam proprietatem gratię, nisi tantum charitatem, ideoque sicut gratia est, propria glorię, sic et charitas, non autem fides: ergo hęc est ignobilior. Patet consequentia: quia quod magis accedit ad Deum, ut probatum est, et ad gloriam, quę est longe eminentior omni sanctitate huius vitę, ut omnes certum supponunt: ergo charitas est phisice pręstantior.

Ex dictis facilis est iam solutio ad fundamenta opposita. Ad primum ex. Roma iam dictum est. Ad secundum respondetur, iustum in hac vita ex fide viuere, non quia fides sit propria illius forma, a qua essentialiter, vel accidentaliter connaturalem vitam propriam accipiat, sed quia in absentia luminis glorię, vel visionis beatę, vices eius substituit, cum enim essentialis forma iusti, sit gratia iustificans, quę est participatio Diuinę naturę: vita propria iusti erit intellectualitas quę est proprietas phisice dimanans ex gratia, quę non est fides, sed lumen glorię, et visio beata (ut dicta disp. sect. 2. probaui.) et ad hanc vitam charitas tamquam proprietas connaturalis consequitur. Argumentum enim probat optime charitatem ignobiliorem esse respectu intellectualitatis intrinsece, et naturaliter constituentis propriam iusti vitam, ad quam charitas se habet, ut proprietas, non autem respectu illius, quę tantum ut substituens ad tempus in alio ordine valde inferiori, et diminuto, in absentia proprię formę prouidetur. Et hinc est, quod sola fides sine charitate hanc vitam tribuere nequeat, sed potius mortua dicatur, quod verificari non posset si propria, et connaturalis vita esset. Huic etiam tribuuntur omnia iustorum opera, ea limitatione, qua vita, nimirum prout charitate informatę, et prout substituenti vices proprię vitę vnde potius retorqueri potest argumentum: nam fides viuificatur per charitatem, et sine charitate moritur: ergo charitas in hoc est nobilior fide, siquidem potius vitam illi tribuit, quam accipit; ac proinde

proinde potest huic commune illud argumentum accommodari, quod propter quod unumquodque est tale, illud magis: ergo si propter charitatem fides vivificat, principaliter charitati id convenit quam fidei.

Ad 3. argumentum inquo potissimum sententia nititur opposita. Respondetur quod licet obiecta in genere rei sint paria, in fide, et charitate, minime tamen si prout attinguntur per actus considerentur, vel (ut dici solet) in genere obiecti. Nam utriam dicamus. totum quod terminat actum fidei, est effigies creata, non autem aliquid divinum. vel est negatio, qua intellectus indicat Deum nequaquam intelligibilem esse, quae perfectior notitia est quam quaelibet alia affirmativa, ut omnes Patres docent; nulla est igitur in obiectis terminantibus. sicut necesse inter Deum, et illius negationem, vel inter Deum, et creaturam. Ex quo consequenter infertur, quod neque in obiectis motivis, et specificantibus aequalitas sit: quoniam cum fidei motivum non moveat, nisi ut praecognitum, (ut disp. sect. satis dicam) si directe non terminat, aut praecognoscitur aliquid divinum prout in se sed vel negatio, vel similitudo creata, tota ipse motivi excellentia, extrinseca sunt, non intrinsece dignificans actum, nisi in genere alio inferiori, ac satis diminuto.

Articulus 7. Utrum sine charitate possit esse aliqua vera virtus.

Ad septimum sic proceditur. Videtur quod sine charitate, possit esse aliqua vera virtus. Virtutis enim proprium est bonum actum producere, sed illi qui non habent charitatem, faciunt aliquos bonos actus, sicut, dum nudum vestiunt, famelicum pascunt, et similia operantur: ergo sine charitate potest esse aliqua vera virtus.

Praeterea, charitas non potest esse sine fide, procedit enim ex fide manifesta, ut Apost. dicit 1. ad Timot. sed in infidelibus, potest esse vera castitas, dum concupiscentias cohibent, et vera iustitia dum recte iudicant: ergo vera virtus potest esse sine charitate.

Praeterea, scientia, et ars, virtutes quaedam sunt. ut patet in 6. Ethic. cap. 3. sed huiusmodi inveniuntur in hominibus peccatoribus non habentibus charitatem: ergo vera virtus potest esse sine charitate.

Sed contra est. quod Apost. dicit 1. ad Cor. 13. si distribuero corpus meum, ita ut ardeam charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest, sed virtus vera multum prodest. secundum illud Sap. 8. sobrietatem, et iustitiam docet, prudentiam, et virtutem, quibus in vita nihil est utilius hominibus: ergo sine charitate vera virtus esse non potest.

Respondeo dicendum. quod virtus ordinatur ad bonum, ut supra habitum est. Bonum autem principaliter est finis. Nam ea quae sunt ad finem, non dicuntur bona, nisi in ordine ad finem. sicut ergo duplex est finis, unus ultimus, et alius proximus; ita etiam est duplex bonum, unum quidem ultimum, et universale, et aliud proximum, et particulare. ultimum quidem, et principale bonum hominis est Dei fruitio, secundum illud psal. Mihi adhaerere Deo bonum est, et ad hoc ordinatur homo per charitatem. Bonum autem secundarium, et quasi particulare hominis potest esse duplex. unum quidem, quod est vere bonum, utpote ordinabile, quantum est in se ad principale bonum, quod est ultimus finis. Alius autem est bonum apparens, et non verum, quia abducit a finali bono. sic ergo patet. quod virtus vera simpliciter est illa, quae ordinat ad principale bonum hominis: sicut etiam Philosophus in 8. Ethic.

dicit

dicit. quod virtus est dispositio perfecti ad optimum, et sic nulla vera virtus potest esse sine Charitate, sed si accipiatur virtus, secundum quod est in ordine ad aliquem finem particularem, sic potest aliqua virtus dici sine charitate, inquantum ordinatur ad aliquod particulare bonum. Sed si illud particulare bonum, non sit verum bonum, sed apparens, virtus etiamque est in ordine ad hoc bonum, non erit vera virtus, sed falsa similitudo virtutis, sicut non est vera virtus avarorum prudentia, qua excogitant diversa genera lucrorum: et avarorum iustitia, qua gravium damnorum metu, contemnunt aliena: et avarorum temperantia, qua luxuriæ, quæ sumptuosa est, cohibent appetitum: et avarorum fortitudo, qua ut ait Horat. per mare pauperiem fugiunt, per saxa, per ignes. ut Aug. dicit, in 4. lib. Contra ~~Iulianum~~ Iulianum. Si vero illud bonum particulare, sit verum bonum, puta conservatio civitatis, vel aliquid huiusmodi, erit quidem vera virtus, sed imperfecta, nisi referatur ad finale, et perfectum bonum, et secundum hoc simpliciter vera virtus sine charitate esse non potest.

Ad 1m. ergo dicendum. quod actus alicuius, charitate carentis, potest esse duplex. Unus quidem secundum hoc, quod charitate caret. ut puta cum facit aliquid in ordine ad id per quod caret charitate, et talis actus semper est malus. sicut Aug. dicit in 4. contra Iulianum, quod actus infidelis, in quantum est infidelis, semper est peccatum. etiam si nudum operiat, aut quicquid aliud huiusmodi faciat, ordinans ad finem suæ infidelitatis. Alius autem potest esse actus charitate carentis, non secundum id quod charitate caret, secundum quod habet aliquid aliud donum Dei, vel finem, vel spem, vel etiam naturæ bonum, quod non totum per peccatum tollitur ut supra dictum est: et secundum hoc sine charitate, potest quidem esse aliquis actus bonus ex suo genere, non tamen perfecte bonus, quia deest debita ordinatio ad ultimum finem.

Ad 2. dicendum, quod cum finis se habeat in agibilibus, sicut principium in ~~[illegible]~~ speculabilibus: sicut non potest esse simpliciter vera scientia, si desit recta æstimatio, de primo, et indemonstrabili principio; ita non potest esse vera iustitia, aut vera castitas, si desit ordinatio debita ad finem, quæ est per charitatem, quantumcumque aliquis se recte circa alia habeat.

Ad 3. dicendum. quod scientia, et ars de sui ratione important ordinem ad aliquod particulare bonum, non autem ultimum finem humanæ vitæ: sicut virtutes morales, quæ simpliciter faciunt hominem bonum, ut supra dictum est, et ideo non est similis ratio.

Videtur S. Thom. absolute negare, veras virtutes sine charitate, et ex alia parte non veras sed perfectas excludere. Postulat ergo res, et littera exponi sectione sequenti. Est tamen hic præmittendum, nec litteram, nec controversiam procedere, de virtutibus intellectualibus, quales sunt scientiæ, et artes, quia nec sunt virtutes simpliciter, cum non pertineant ad genus moris, sed tamen secundum quid appellantur sic. Nec respiciunt rectitudinem voluntatis, sed tamen veritatem, et certitudinem assensus, in quo nullam dependentiam a charitate habere possunt. Propter hoc enim ut advertit S. Doctor 1a. 2æ. q. 57. art. 4. magis laudatur artifex, qui peccat volens in arte, quam qui peccat nolens: cum econtrario in materia virtutis, reprehensibilis sit, qui volens, quam qui nolens peccat. Cuius discriminis ratio est, quod ars, vel scientia est inclinatoria ad verum, et ideo qui circa peccat nolens, peccat ex ignorantia, quæ veritati opponitur, non vero rectitudo: qui vero in materia virtutis peccat volens, peccat ex malitia, directe illi opposita, secus vero qui peccat nolens, quia peccat ex ignorantia, quæ illi non opponitur.

Secundo advertendum est, quæstionem non procedere de virtutibus moralibus infusis, quia hæ non manent sine charitate, sed sunt illi ita connexæ, ut cum ea infundantur, et ea a

amissa

amissa pereant, ut late dixit 1a. 2æ. q. 65. et 22. Solum potest Conbouerti de illis ex hipotesi quod de potentia absoluta a charitate disiungerentur. In eo tamen casu Manerent in sua entitate, licet perpetuo impeditæ ab omni vsu, et exercitio actuum; quia cum sit eis intrinsecum operari propter finem charitatis, sublata illa nihil agere possent. Restat igitur difficultas de virtutibus moralibus adquisitis, et de virtutibus theologicis, quæ manent in peccatore. An sine charitate sint veræ vir=tutes. Neque est dubium, in præsenti: an homo extra charitatem, possit adquirere virtutes mora=les, in quo multi allucinantur. quum enim nullam virtutem moralem possimus adquirere in statu peccati. Deque in materia de gratia, et hic præpositæ difficultatis, an postquam iam adqui=sitæ sunt virtutes morales, maneant veræ virtutes, deperdita gratia, et charitate —

Sectio 8. sine Charitate non solum non esse perfectas virtutes, verum in aliquo sensu, neque veras.

In hac q. varijs modis loquuntur Authores. Cum in re fere omnes conueniant, omissa prolixa suorum dictorum narratione, quid senserit S. Thom. et nobis tenendum sit sequentibus assertis aponere curabo, supponendo primus, nomen virtutis, quasi analogum dupliciter vsurpari ab antiquis Philosophis, et Theologis. Caiet. q. 4. art. 1. sic explicat dicens, quod cum omnis scientia aut ars, suos proprios habeant terminos, ut videre est apud medicinam, Astrologiam, et alias: sic apud Philosophum moralem, et Theologum, æquiuocatur virtus. Philosophus enim illam considerat, ut virtutem humanam, quæ est præcisè naturæ rationalis perfectio, abstrahendo a quouis fine extrinseco, ad quem diuina prouidentia ordinari potest, et sic deffinitur quod sit habitus electiuus in mediocritate consistens; habet quæ essentiam virtutis intrinsecam independenter a quauis alia virtute extrinseca. Theologus vero considerat, virtutem ut christianam aut euangelicam ad finem vltimum ex diuina prouidentia præfixum moraliter ordinatum: et sic deffinit illam quod sit dispositio perfecti ad optimum: seu conuersio ad vltimum finem —

Sed salua venia tanti Doctoris, distinctio hæc prædictis deffinitionibus declarata inuenitur, tam in virtute philosophica, quam in virtute christiana, duplex acceptio ista, eodem modo Theologis, ac Philosophis est in praxi. quinimo tota Philosophia moralis est quasi pars quædam theologiæ, ad modum quo phisica est pars Methaphisicæ. Discrimen ergo nullum. quo sic declaro. Nam fides, et spes in peccatore, sunt virtutes Christianæ; et nihilominus non sunt dispositio perfecti ad optimum, nec conuersio ad vltimum finem, absente charitate, ac proinde nec virtutes in secundo sensu. Similiter Religio, Pænitentia, Obedientia, et Humilitas sunt virtutes christianæ expresse profitentes fidem Christi, Christianumque institutum, simul que manere possunt, et exerceri cum fide, et spe in peccatore, a fine vltimo auerso, et ex consequenti, sine statu virtutis in secunda deffinitione, et acceptione expressa —

Virtus etiam pure humana, aut Philosophica, in statu puræ naturæ, vtramque acceptionem admittit: nam in eo statu ut suppono, haberet creatura rationalis obligationem conuertendi se ad Deum finem naturalem, et vltimum: quoniam eo ipso, quod ratio naturalis, euidenter dictat esse vnam primam causam, a qua cuncta creata sint, competit illi ratio supremi domini, et vltimi finis, debetque illi omnis reuerentia, et subiectio ab omni creatura, et obedientia suæ diuinæ legi, tam naturali, quam positiuæ. vnde in hoc etiam statu puræ naturæ, et posset esse conuersio, et

auersio

auersio a Deo vltimo fine naturali; possentque virtutes humane in homine sic auerso esse virtutes solum in primo sensu, et in homine per illas se expresse conuertente ad vltimum finem; essent vere virtutes in omni rigore, quia essent dispositiones ad optimum illius status, nam vt supponimus, tunc non esset eleuatio ad vltimum finem. =

Aliter ergo duplex hec virtutis acceptio exponenda est. Supponendo cum D. Thoma in hoc art. suisque verbis vtendo. quod virtus ordinatur ad bonum quod est finis, nam ea que sunt ad finem, non dicuntur bona nisi in ordine ad finem: sicut ergo duplex est finis, vnus vltimus, et alius proximus; ita etiam duplex bonum, vnum vltimum, et vniuersale, et aliud proximum, et particulare. Vltimum est primarium, seu principale hominis bonum ad quod ordinatur homo per charitatem, et particulare, seu secundarium hoc est finis proximus, vt postea declarat. =

Hinc ergo infert, quod virtus vna simpliciter est illa que ordinat ad finem vltimum, et primarium, ac principale hominis bonum. Propter quod Philosophus illam definit. quod sit dispositio perfecti ad optimum. Virtus autem que respicit finem proximum, seu intermedium, quod est bonum particulare, sit virtus secundum quid. Cuius ratio est. quia finis simpliciter, stat, vt ex eius nomine constat, pro vltimo bono, in quo tandem quiescit voluntas. finis autem intermedius, seu proximus, cum dicat ordinem, et tendentiam ad vltimum, pro prie non dicitur finis, sed analogice tantum, et secundum quid: ergo eadem ratione, ac proportione cum virtus consistat in habitudine ad finem, dicetur analogice de ea, que finem simpliciter, seu vltimum respicit, et de ea que finem secundum quid; ac proinde illa erit virtus simpliciter, hec secundum quid: illa erit vera virtus, simpliciter, et absolute loquendo, quia analogum absolute stat pro famosiori significato. Altera vero non dicitur vera virtus, nisi in suo sensu diminuto, et secundum quid, quomodo medicina, dicitur vere sana, et principium dicitur vere de tempore, aut quantitati initio =

Vnde quando S. Thom. in fine corporis ait, quod per ordinem ad finem proximum est vera virtus, sed imperfecta, nisi referatur ad finale, et perfectum bonum, non contrariatur propositioni premisse. quod virtus vera simpliciter est que ordinat ad principale bonum, et quod sine charitate nulla datur vera virtus. Hic enim loquitur de virtute, simpliciter, et ibi de virtute secundum quid, seu analogice, quam dicit veram, sed imperfectam virtutem, in eo sensu quo ratio aliqua imperfecte participari dicitur, a quolibet minus principali, et secundario analogato. Patet manifeste ex verbis illius immediate subsequentibus. Et secundum hoc simpliciter vera virtus, sine charitate esse non potest. Ex eo enim, quod virtus, que est ad finem proximum, est imperfecta, nisi referatur ad vltimum, infert, quod non sit simpliciter vera virtus, sine charitate: ergo euidenter loquitur, non de quauis imperfectione, sed de ea que est propria analogati minus principalis, et excludit veritatem simpliciter. Appellat preterea hanc veram virtutem: quia simul cum charitate, qua ad vltimum finem ordinatur, veram virtutem constituit, non solum ratione charitatis, sed etiam ratione sui, vt articulo sequenti dicam. =

Confirmat amplius hec expositio ex hoc quod finem proximum, seu bonum particulare, vocat secundarium, et finem vltimum, seu bonum vniuersale, bonum principale supprimarium, quibus terminis quiuis ratio analoga ab ipso, et ceteris scholasticis solet explicari, quod scilicet proprius, et principaliter dicatur de primo analogato, et secundario, et per posterius de ceteris per habitudinem ad principale. Sicque participatur ratio finis ab vltimo, et intermedio, et ratio boni,

ab vniuersali

ab universali, et perfecto, et a particulari, et imperfecto. Nam finis intermedius, secundum quid, dicitur finis, simpliciter autem est medium, relatum ad ultimum. Et bonum perfectum et universale, est quod simpliciter bonum dicitur, quia debet esse ex integra causa, et cui nihil deest. Bonum autem particulare, tanquam pars illius, et per habitudinem ad ~~particulare~~ universale sic dicitur. Unde mirum est, quantum allucinati fuerint Doctores Moderni in hoc puncto, et quam sinistre sensum litterae S. Thomae perceperint, existimantes, vel contrarium in suis dictis, vel sine ordine ad ultimum finem, virtutes simpliciter concessisse.

In homine in pura natura constituto sine charitate essent verae virtutes in ordine ad finem ultimum naturalem.

Declaratur: quia diverso modo loquendum est de homine in pura natura, ac de ipso post elevato ad supernaturalem finem, status namque naturalis hominis intra genus naturae habet suam perfectionem ultimam, et complementum, ac finem simpliciter ultimum independenter a supernaturali ordine: ergo intra hunc ordinem, habet virtutes simpliciter, et perfectas, charitate supernaturali seclusa. Patet consequentia: quia virtus simpliciter tantum postulat, quod finem simpliciter ultimum respiciat, et quod sit dispositio perfecti ad optimum, et quod sit bona qualitas mentis, et eius opus simpliciter bonum, quae omnia concesso antecedenti, vera essent in illo statu. Antecedens autem facile probatur. Quia author naturae, semper efficit perfecta sua opera, ac proinde in statu illo, quem supponimus si naturam rationalem conderet, deberet illi suum finem naturalem praefigere, ad ipsumque eam ultimo ordinaret, ex ipso quod ad alium altiorem finem, non elevaret.

Confirmatur. Quia hic finis esset ipse Deus, prout est Author, et Dominus, omnium creaturarum, quem statim acceperit perfectum rationis usum, debet recognoscere rationalis creatura, ut dicti, ipsique obedire, ac in ipsum tanquam universalem finem omnes suas actiones referre: ergo esset finis perfectus, ac simpliciter ultimus, siquidem nulli alteri superiori esset in illo statu subordinatus. Antecedens est per se notum ex ratione universalis Dominii, cui debetur naturali iure ratio ultimi finis. Dominus enim alicuius rei ius habet, ut nihil circa illam fiat, nisi iuxta voluntatem suam.

Neque satis est dicere, sufficere relationem virtualem intime inclusam in qualibet virtute in ordine ad finem ultimum, ut dicatur in suo genere perfecta, hoc enim satis esset ad operationes rerum inanimatarum, aut irracionalium, quia expressae ordinationis ad ultimum finem capaces non sunt et ideo intentio Authoris naturae eas ad se referentis sufficit. In creatura autem rationali, cum sit capacitas expresse cognoscendi Dominum, et Authorem suum, tribueretur quae illi expressa, imo, et evidens noticia ipsius, teneretur etiam explicite illi obedientiam, et cultum, et honorem praestare, praesertim cum in eo ordine essent virtutes explicite respicientes hunc finem. Scilicet, Religio, gratitudo, obedientia, humilitas, et similes, quae quidem ad hoc deservirent, ut aliquas operationes, ad Dei gloriam, et honorem referrent, servitutemque ac subiectionem Deo debitam profiterentur.

Ex quo patet. quam falso quidam Moderni aiunt, relationem ad ultimum finem esse accidentariam, tam naturae, quam naturali virtuti, ac proinde non addere, neque adimere perfectionem virtutibus, idest, in statu enim naturali est tam plane contra veritatem, sicut quod rationalis creatura non sit essentialiter Deo subiecta, non solum ut causae, sed ut Domino, et ultimo fini naturali suarum potentiarum, et operationum. De statu vero supernaturali postea dicam.

Conclusio

Conclussio principalis, et directe responssiua quesito, veras virtutes negans sine charitate.

Dico 2.º loquendo de virtute simpliciter in rigore quo vsurpatur ab antiquis Philosophis, et in homine elevato, non sunt verę virtutes simpliciter sine charitate. Ita expresse Sc. D. Th. et S. Aug. sepissime. lib. enim 4.º contra Julian. inquit cap. 3. Profecto, si veram iustitiam non habent infideles, neque alias virtutes eius comites, et socias. = Probatque late, gentiles non habuisse veras virtutes, quia veram felicitatem ignorarunt, et non esse virtutes, quę non possunt ad veram Beatitudinem. Et 1.º retract. cap. 3. retractat quod dixerat. Philosophos non vera pietate preditos virtutis luce fulsisse. quod si aliquando gentilibus virtutes concedit, loquitur de virtutibus secundum quid, in sensu quo nos illas admittimus. Probat etiam S. Thom. ex verbis illis Pauli. 1. Chor. 13. Sine charitate nihil sum, nihil mihi prodest. quod non videtur, bene dici posse, de homine habente veras virtutes. Glosa enim super illud ad Rom. 14. quod non est ex fide peccatum est. dicit sine fide, non esse veras virtutes. Et Hieron. super cap. 3. ad Colos. inquit, Nullum sine Christo viuere, sine quo omnis virtus in vitio est. Mag.r etiam in 3. dist. 23. citat D. Ambros. docentem, charitatem esse matrem omnium virtutum, quę omnes informat, sine qua nulla est vera virtus. =

Ratione item probatur. quia supposita huiusmodi elevatione ad supernaturalem finem, debet ordinare homo omnes operationes virtuosas in illum, et alias non perfecte operabitur, sed defectuose: quia de ratione vltimi finis, est quod omnia ordinentur in ipsum, et propter ipsum: ergo cum huiusmodi ordinatio sit propria solius charitatis, sine ipsa non erunt perfecte virtutes, et consequenter nec virtutes simpliciter. Patet consequentia vltima, ex deffinitionibus assignatis. scilicet, est dispositio perfecti ad optimum, idest, perfecta conuersio ad summum bonum, et ex illa; quę bonum facit habentem, et opus eius perfectum reddit. Bonitas autem simpliciter, et perfectio non compatiuntur secum aliquem deffectum, quia debent esse ex integra causa: ergo nec virtutes simpliciter, ac proinde sine charitate esse non possunt. =

Confirmatur. quia cum virtus, sit essentialiter in genere moris, preter entitatem phisicam, constat multa alia, defectu quorum potest illi deficere virtutis ratio, et si tota eius entitas remaneat phisice. sic enim homo virtutibus plenus, gratiamque culpa mortali amittens, non denominatur simpliciter virtuosus, sed iniustus absolute; ergo signum est tunc non habere defectu charitatis veras virtutes simpliciter. =

Primo obijcies. Absolute est vera virtus, cui conuenit deffinitio virtutis, sed in linea generis naturę, et charitate seclussa temperantię, fortitudini, iustitię, et prudentię, conueniret simpliciter, definitio virtutis, scilicet est habitus electiuus, in mediocritate consistens; ergo independenter a charitate, sunt verę, ac simpliciter virtutes. =

Respondetur. definitionem illam determinate non esse virtutis simpliciter, sed tantum virtutis in sua latitudine analoga, prout abstrahit a virtute simpliciter, et secundum quid, quatenus solum distinguitur contra vitium. Nam verbum illud, habitus electiuus, tantum habitudinem ad media declarat, et vox immediata, solum ad extrema vitiossa excludenda ponitur. =

Obijcies 2.º ordo supernaturalis, non destruit perfectionem, et integritatem quam res habent, intra genus naturę; ergo si in statu purę naturę, essent simpliciter, et verę virtutes, etiam

in

in praesenti statu gratiae. =

Dices 3º. talis relatio, et elevatio ad ultimum finem, non potest esse connaturaliter debita virtutibus acquisitis, cum haec supernaturalis sit, et illae naturales, neque est modus intrinsecus illis, sed tamen extrinsece oppositus ex institutione divina: ergo non potest esse perfectio, aut complementum earum, sed in suo genere possunt habere, et retinere illud, independenter a fine supernaturali. =

Respondetur. quod cum huiusmodi virtutes pertineant essentialiter ad genus moris, et illud desumatur a regula morali, ex sola institutione, et voluntate divina, quae est prima regula, possunt accipere veritatem moralem, etiam per ordinem ad secundam regulam, quae est recta ratio. Si enim Deus, ut potuit, imponeret praeceptum, quod quotiescumque operaretur aliquis in materia alicuius virtutis, referret actu opus illud, in ultimum finem supernaturalem, tale opus de se bonum, redderetur simpliciter malum, si careret tali ordinatione, quia supposita lege Dei, esset debita illi operi, et privatio illius viciaret illud. Animalia similiter, quae in pura natura perfecta et pulchra esset sine gratia, supposita elevatione ad ultimum finem, et debito morali conversandi se ad illum, dicitur tenebrosa, et maculata; quia caret pulchritudine sibi moraliter debita ex institutione divina: ergo ita proportionabiliter, quamvis virtutes naturales intra suum genus habeant suam perfectionem debitam, independenter ab ordine supernaturali, si Deus hominem relinquat in statu purae naturae, secus tamen si elevet, aut ordinet ad ultimum finem supernaturalem, nam haec ordinatio, quamvis supernaturalis sit, potest esse moraliter debita virtutibus naturalibus, et eas complere, et perficere: nam tale debitum non oritur ex natura earum virtutum, sed ex lege, et voluntate divina, ex qua tamquam ex prima regula, pendet genus moris. =

~ Quomodo sit debita moralis haec ordinatio, in ultimum finem. ~

Rursus principaliter contra dicta obiicies. Si virtutes omnes a charitate in finem ultimum supernaturalem ordinari debent, et alioquin sunt defectuosae, ac carent perfectione sibi debita, sequitur, quod defectu huius ordinationis, sint simpliciter malae moraliter, ac peccata. Consequens est absurdum; ergo, et illud ex quo sequitur. Damnatur etiam in Concil. Trident. sess. 6. can. 7. et a Pio quinto, et Gregor. 13. in Bulla contra propositiones Michaelis Baii, quarum 29. et 28. erat; liberum hominis arbitrium, ad nihil aliud facultatem habere, sine gratia, et charitate nisi ad peccandum, quas damnant Pontifices. Probatur sequela: quia malum morale, et peccatum, vel consistit in privatione, seu carentia rectitudinis moralis debitae actui, vel illam necessario, et proprietatem secum affert: sed ordinatio ad ultimum finem, est rectitudo moralis debita virtutibus, easque constituens simpliciter, et veras virtutes in genere morale: ergo carentia illius est vera privatio moralis, inferens malitiam, et peccatum in illis. =

Respondetur negando sequelam, si intelligatur de malitia morali, quae est peccatum, et supponendo pro illius solutione, quod sicut alia est virtus simpliciter, et alia virtus secundum quid: ita aliud est bonum morale simpliciter, quod est idem quod perfectum, et aliud bonum secundum quid. et ita proportionabiliter est duplex malum morale, utrique bono oppositum. Aliud quod est idem quod peccatum, et opponitur bono quomodocumque, scilicet tam bono simpliciter, quam secundum quid. Aliud est malum morale, quod tantum opponitur bono perfecto, et significat idem quod imperfectum, et defectuosum, quod ab omnibus communiter distinguitur contra peccatum. =

Pars et que

Patet que exemplis manifestis: quilibet actus indeliberatus, seu primo primus, est plane imperfectus, quia desicit illi moralitas, ac deliberatio debita, et tamen non est, nec venialis culpa. Actus similiter ex ignorantia inculpabili procedens. Item in casu quem adduxi 1a. 2æ. q. de Bonitate, et Malitia, de eo qui invencibiliter ignoraret legem Dei, tam positivam, quam naturalem, et nihilominus advertens aliquid esse contra rectam rationem illud committeret, quia nemini iniuriosum, nec Deo, nec creaturis; actus ille esset moraliter malus, et non peccatum, de cuius ratione est, quod sit contra legem Dei. De omnibus etiam est verum dicere communiter, quod non tenetur quis perfectus esse, immo et de Religiosis, quod etsi teneantur ad perfectionem tendere, non dum tamen ad iam perfectos esse: ergo minime dubitandum est in genere moris, dari imperfectionem, et defectum rectitudinis debitæ sine culpa.

Quomodo autem stare possit, quod rectitudo aliqua sit moraliter debita voluntati rationali, et non culpa, facile etiam potest declarari, advertendo legem, et regulam, qua Deus genus moris constituit, et creaturam rationalem ad finem ultimum destinavit, non statim in actu exercito eam intendit obligare; sed fragilitati nostræ se accommodans, finem illi ostendit, ac præcipit, ad quem tendere et paulatim iuxta capacitatem, et vires suas aspirare debeat, sic præceptum illud, in quo tota lex concluditur. Diliges Deum ex toto corde tuo, ex tota mente, et viribus et proximum sicut teipsum. Non obligat statim, et immediate ad suam integram, et ultimam executionem, quia hoc est moraliter impossibile, pendens ex remotione plurium impedimentorum et indispositionum, ex parte intellectus, voluntatis, et appetitus, nec solum intus, sed de foris advenientium, quæ successive, et paulatim sunt obijciendæ. Obligat tamen statim, ac intimatur ad apponenda media, et contraria obijcienda paulatim pro viribus suis, donec ad eius impletionem adequatam perveniat.

His præiactis, ad propositam difficultatem respondetur. Virtutes sine charitate, et ordinatione ad ultimum finem, supernaturalem, esse tantum secundum quid virtutes, et secundum quid moraliter bonas. Dici etiam defectuosas, et imperfectas, quia carent perfectione moraliter debita, non est tamen debita a præcepto a præcepto obligante statim, et in actu exercito ad culpam, nisi tantum in casibus, quibus tenetur quis se ad ultimum finem convertere, de quibus alibi latius. In ceteris autem obligatur, ad hanc ordinationem, sicut ad perfectionem. Propter hoc enim abstinendum est, a voce malitiæ moralis, quia ex communi usu, ad peccatum est accommodata, et utendum voce imperfectionis, aut defectuositatis.

3o. Principaliter obijcies. Per peccatum mortale, non amittuntur fides, et spes, nec habitus morales adquisiti, ut fatentur omnes, sed antea erant veræ, ac simpliciter virtutes, ergo et postea. Patet consequentia. Quia quod antea erat, vere, ac realiter virtus, non potest amittere rationem illius, sine mutatione illius reali, et intrinseca, nulla autem fit per peccatum mortale, ut supponitur: ergo.

Respondetur, si sermo sit de habituali conversione, cum hæc fiat per gratiam, et charitatem, satis est mutatio realis in ipsis, quoniam propter hoc dicuntur forma virtutum, ut statim sequenti dicemus: quia illis tribuunt verum esse, et statum virtutum. Nec inconvenit, quod ab habitu extrinsece connotato, vel adiuncto, virtus suum complementum, aut denominationem accipiat. Fides enim ab habitu piæ affectionis, dicitur virtus in genere moris, prudentia similiter ex appetitu recto, quem connotat, et virtutes in appetitu residentes aliis, quas in voluntate rationali, connotant virtutes morales dicuntur: sic ergo in proposito.

Obijcies quarto. fides, et spes, cum sint virtutes theologicæ, respiciunt tanquam obiectum finem ultimum supernaturalem, ad quem homo est divinitus elevatus: ergo sine charitate sunt perfectæ virtutes, quia non indigent ~~illa~~ illa, ut tendant in ultimum finem.

Sed quod attinet ad fidem, facile respondetur, quod prout est virtus moralis, ratione scilicet piæ affectionis, non respicit immediate Deum, sed honestatem credendi, quæ est quid creatum, finisque tantum intermedius. Ad ipsum, in qua est maior difficultas. Respondetur non sufficere ad rationem perfectæ virtutis, respicere finem supernaturalem modo quocumque supernaturali, sed debent tendere in illum iuxta modum, quo ad illud elevatus est homo, cum enim sit evectus ad statum filij, et amici Dei, debet referre suas actiones in Deum tanquam Patrem, sponsum, et amicum. unde, quia virtus spei respicit Deum amore concupiscentiæ, et fides, solum ut veracem, et religio, ut Dominum, profitendo tamen servitutem ad illum, indigent relatione charitatis, ut tales sunt virtutes amici, et debito modo tendant in finem a Deo institutum.

Denique, addo, sicut quando homo iustificatur, et permanet, et crescit in iustitia accepta omnia illius vitia sunt in via corruptionis, et non tantum quoad denominationem, sed etiam quoad suas intrinsecas rationes, paulatim pereant; sic pariter, si charitas abest per multum ipsius, cæteræ virtutes minuentur, etiam quoad suas rationes essentiales intrinsecas, eruntque in via corruptionis, fides enim debilitatur, spes infirmior efficitur, et sic de cæteris. Nam ex contrario charitatis, effectiora fiunt motiva, cuiuslibet virtutis, et augmentur contraria illarum homo enim in peccato existens, odio habet virtutem, quæ suis affectibus adversatur, et dificilius sperat beatitudinem, a qua se videt maxime elongatum &c.

Articulus 8. Utrum charitas, sit forma virtutum.

Ad octavum sic proceditur. Videtur quod charitas, non sit forma virtutum. forma enim alicuius rei, vel est exemplaris, vel essentialis, sed charitas non est forma exemplaris aliarum virtutum; quia sic oporteret, quod aliæ virtutes, essent eiusdem speciei cum ipsa. Similiter etiam non est forma essentialis aliarum virtutum; quia non distingueretur ab alijs. ergo nullo modo est forma virtutum.

Secundo. Præterea, charitas comparatur ad alias virtutes ut radix, et fundamentum, secundum illud ad Ephes. 3. In charitate radicati, et fundati. Radix autem, vel fundamentum, non habet rationem formæ, sed magis rationem materiæ; quia est prima pars in generatione: ergo charitas, non est forma virtutum.

3.º Præterea, forma, et finis, et efficiens, non coincidunt in idem numero. ut patet in 2. Phisicorum. sed charitas dicitur finis, et mater virtutum: ergo non debet dici forma virtutum.

Sed contra est, quod Ambros. dicit. charitatem esse formam virtutum.

Respondeo dicendum. quod in moralibus forma actuum attenditur principaliter a parte finis. Cuius ratio est. quia principium moralium actuum est voluntas, cuius obiectum, et quasi forma est finis. semper autem forma actus, consequitur formam agentis, unde oportet quod in moralibus, id quod dat actui ordinem ad finem, det ei et formam. Manifestum est autem, secundum prædicta, quod per charitatem ordinantur actus aliarum virtutum ad ultimum finem. Et secundum hoc ipsa dat formam actibus omnium aliarum virtutum, et pro tanto dicitur esse formam

virtutum

virtutum. Nam et ipsæ virtutes dicuntur in ordine ad actus formatos. =

Ad primum ergo dicendum. quod charitas dicitur esse forma aliarum virtutum: non quidem exemplariter, aut essentialiter, sed magis effective, in quantum scilicet omnibus formam imponit, secundum modum prædictum. =

Ad 2.um dicendum. quod charitas comparatur fundamento, et radici in quantum ex ea sustentantur, et nutriuntur, omnes aliæ virtutes, et non secundum rationem, qua fundamentum, et radix, habent rationem causæ materialis. =

Ad 3. dicendum. quod charitas dicitur finis aliarum virtutum, quia omnes alias virtutes ordinat ad finem suum, et quia mater est, quæ in se concipit ex alio, ex hac ratione dicitur mater aliarum virtutum, quia ex appetitu finis ultimi, concipit actus aliarum virtutum, imperando ipsos. =

Conclusio est affirmativa, et colligitur ex doctrina præcedentis articuli, imo est apendix illius, indiget in expositione. Proquasit. =

Disputatio 36. qua ratione dicatur charitas forma virtutum.

Sectio prima

Charitatem esse formam omnium virtutum tenet communis Theologorum sententia, conveniuntque omnes, ideo hoc illi convenire, quia tribuat eis ordinem ad ultimum finem supernaturalem. Declarat autem hoc S. Thomas quia omnis actus imperans, vel ordinans alium ad suum finem, dicitur forma moralis illius, tribuit que illi, suam propriam bonitatem moralem, ratione cuius efficit cum illo, unum actum in genere moris. ut late dicit in 1a. 2æ q. 17. art. 1.o ubi ait, quod movens se habet formaliter, respectu eius quod movet. et q. 18. art. 6. et q. 20. sed charitas ordinat hoc modo actus aliarum virtutum: ergo dicitur illarum forma. =

Obijcies. plures sunt virtutes quæ possunt alias omnes gratialiter imperare, et ordinare ad suos proprios fines. ut Religio, Penitentia, et Prudentia. Potest enim omnis virtus referri ad Deum, tanquam Dominum, vel ut cultum Religiosum, vel ut satisfactionem pro peccatis illi offerat, quinimo et ipsa charitas, etiam imperari potest per Religionem aut penitentiam: nam ex motivo satisfaciendi Deo, potest quis amare Deum: ergo esse formam hoc modo, non est proprium charitatis, sed commune illi cum cæteris virtutibus. =

Respondetur. Charitatem non vocari formam, ex hoc precise, quod imperat, in quo convenit cum alijs virtutibus; sed ex hoc quod imperando, tribuit aliquid, quo perficit, et complet virtutes, elevando eas ad finem supernaturalem, ad quem homo ordinatus est, et constituendo eas in ratione virtutum simpliciter. Cuius defectu dicuntur informes, imperfectæ, et defectuosæ, ut præcedenti sectione visum est. Cum enim omnis actus imperans suam propriam bonitatem moralem communicet actui imperato, eo ipso quod imperet charitas alias virtutes, tribuit illis suam met dignitatem, et ordinationem ad supernaturalem finem, et consequenter proportionem ut mereri possint vitam æternam in hac vita, quod enim habet imperium aliarum virtutum. =

Etiam quantum ad habitum charitatis est virtutum forma

Sed prima dubitari potest. An cum asseritur, Charitas forma virtutum, intelligendum sit de habitu, vel de actu. Nam imperium, et ordinatio in alijs virtutibus, solum attenditur per ordinem ad actus, non vero per habitus. = Respondetur. quidquid sit de alijs virtutibus imperantibus, Charitas est forma omnium, non solum quantum ad actus, verum etiam, quantum ad habitus: nam cum sit forma accidentaliter sanctificans, et complet sanctificantis formam, ut suo loco dixi, scilicet, per gratiam convertitur homo habitualiter ad Deum, quantum ad substantiam, et per fidem, vel lumen gloriæ convertitur, et ordinatur ad ipsum totus intellectus, ita per charitatem rectificatur tota voluntas, et habituata per suas virtutes, et per illius actus, actus aliarum virtutum, et sic totus homo complete elevatur ad supernaturalem statum, accipiens statum habitualem, amici, sponsi, filij Dei, de cuius ratione est, quod omnia sua sint Dei, et econverso, iuxta illud Joann. 17. omnia mea tua sunt, et tua mea. Ex quo patet charitatis discrimen a cæteris virtutibus quæ non elevant, et ordinant totum hominem ad Deum, ac per consequens, nec cæteras eius facultates, et habitus, sicut facit charitas. =

Non est autem ita ordinatio necessaria actuum, scilicet, et necessaria simpliciter ordinatio habituum, ad hanc enim obligamur, ex præcepto conservandi iustitiam. Ad actus vero non semper ex præcepto, sed ex consilio perfectionis. Nullum tamen opus erit meritorium sine actuali ordinatione charitatis saltem virtuali, ut late dicitur in materia de merito. =

= In quo hæc informatio consistat exponitur =

Sed contra huius, et articuli præcedentis doctrinam, est non levis difficultas quod si omnes aliæ virtutes, non sint simpliciter veræ, et propriæ virtutes, nisi ratione charitatis: quia hæc sola est quæ respicit proprium virtutis obiectum, quod est summum, et perfectum bonum, et ultimus finis, sequitur manifeste, quod non sit vere, et proprie, nisi unica tantum virtus, quæ est charitas, reliquæ autem tantum materialiter, prout ab illa informantur, vel prout extrinsece ab ea denominantur. unde, neque essent essentialiter diversæ in ratione virtutis, nisi tantum materialiter, aut accidentaliter: quia tandem charitatis formam participant omnes, quæ et similia inaudita sunt, et contra communem omnium acceptionem. =

Respondeo tamen dicendum. quod licet charitas sit forma tribuens cæteris rationem virtutis simpliciter, non ita ut adequata forma, virtutis a charitate sit: nam etiam quilibet alius habitus, ex se bonus, et boni actus operativus, inchoat intrinsece constituens secundum suam particularem, et propriam rationem, virtutem simpliciter simul cum charitate, etiam si prout separatus ab illa non sit sufficiens eius inchoata ratio ut dicatur, nisi secundum quid virtus. =

Docet S. Thomas expresse 1.a 2.æ q. 65. art 4. dicens. quod fides, et spes, sicut et virtutes morales dupliciter considerari possunt. uno modo secundum inchoationem quamdam. Alio modo secundum esse perfectum virtutis. Inchoationem declarat, conferre ab intrinseco, et ex quemlibet alium habitum secundum suam propriam, et specificam rationem, licet non denominetur absolute, donec per charitatem compleatur. =

Sic q. 4. art. 5. idem de fide docet (ut ibi animadverti) quam ut probet esse virtutem, declarat tamquam partes intrinsecas, et essentiales illius, propriam, et determinatam fidei rationem, prout ad intellectum, et piam affectionem credendi spectat, et rationem communem charitatis, a qua ad ultimum finem ordinatur. Postquam enim præmisserat communem definitionem

virtutis

virtutis, subdit. talis est fides formata: Cum enim credere sit actus intellectus, assentientis vero ex imperio voluntatis, ad hoc quod iste actus sit perfectus, duo requiruntur. quorum unum est ut intellectus infallibiliter tendat in suum bonum, quod est verum; Aliud est ut infallibiliter ordinetur ad ultimum finem propter quem voluntas assentit vero, et utrumque invenitur in actu fidei formatæ. quam formationem, a charitate esse, ibi declarat, et propter hoc fidem informem excludit a ratione virtutis. =

Ratio præcipua, conclussionis, et valde notanda.

Declaratur item, hæc charitatis informatio: quia cum ratio virtutis simpliciter sit illa (verbis utens S. Thomæ 1.a 2.æ q.e 62. art. 1.o et alibi sæpe) perquam perficitur homo ad actus quibus in Beatitudinem ordinatur. seu ultimum finem ut ex eius definitione constat, ex illa. Et dispositio perfecti ad optimum: Cum item ad hanc Beatitudinem suum finem, multis, et varijs modis tendat per suas virtutes Rationalis Creatura, hinc est, quod omnes debent partim convenire, et partim differre. Conveniunt enim in hoc, quod unicus, et universalis est omnium finis ultimus, in quo tandem sistunt, et quiescunt, et differunt in particularibus medijs ad hunc finem ordinatis quæ ut propria obiecta specificativa, et distinctiva respiciunt. =

Id circo huiusmodi obiecta, non sunt pura media, sed fines proximi, quia specificant suos proprios habitus, et actus. Dicuntur etiam fines intermedij, quia non sunt puri fines ita ut in illis sistat ultimo voluntas, sed potius transit ulterius per ipsos, tamquam per media ad ultimum finem, cui subordinantur. =

Unde infertur primo, ratio a priori supra tract. sect. 8. quare hi habitus in ordine ad sua particularia obiecta præcise considerata, non sint virtutes simpliciter: quia scilicet obiecta eorum, non sunt fines simpliciter, et absolute, sed media quibus voluntas, transit ad finem ultimum. Cum enim ratio finis sit idem, quod ratio ultimi, illud est simpliciter, et principaliter ultimum, quod sic dicitur respectu potentiæ, et Rationalis Creaturæ, non vero quod respectu huius, vel illius actus, aut habitus. =

Secundo infero, quod cum habitus particulares ob coarctatam limitationem suam non possint tendere, nisi ad finem intermedium, et quasi in medio itinere defficiant, ut ad finem ultimum pervenire nequeant; et in naturalibus additur etiam impotentia, et incapacitas ad finem supernaturalem attingendum, ideo alia eminentior virtus, necessaria fuit, charitas scilicet, quæ has omnes virtutes ad finem ultimum, et modo proportionato perducat. Non ita ut totum iter ad illum ratione solius charitatis percurrant, sed tantum a medio illius, ubi ipsæ gradum sisterunt, et ultra quod transgredi, non valuerunt. Unde se habent sicut duæ causæ subordinatæ aut duæ rationes partiales, complectentes unicam rationem adæquatam virtutis, admodum quo dixi disp. 35. sect. 4. vitalitatem innatam potentiæ simul cum habitu infuso ad actum supernaturalem concurrere. =

Tandem infero. quod sicut eadem numero res potest transire de esse imperfecto ad perfectum; sic idem numero habitus, de virtute secundum quid, ad virtutem simpliciter, et econtra. Unde divissio analoga virtutis in simpliciter, et secundum quid intelligitur, quando membra hæc sunt separata, vel aliæ virtutes a charitate disiunctæ. Ideoque S. Thomas quemcumque habitum bonum considerat, prout charitate unitum, vocat veram, et propriam virtutem.

Probatque

Probatque non ex rectitudine sola charitatis, quam participat, sed etiam ex propria, et specifica illius rectitudine, quae etiam ex se, et ratione sui ad virtutem formaliter constituendam concurrit.=

Distinctio essentialis virtutum exponitur.=

Ex his ad argumentum supra positum patet solutio. Et quomodo etiam virtutes omnes inter se differant essentialiter, nonobstante, quod in ordinatione illa charitatis ad ultimum finem conveniant. Sicut enim peccata mortalia, nonobstante quod inter se invicem differant, conveniunt in aversione ab ultimo fine; sic virtutes etiam diversae possunt convenire in conversione ad ultimum finem. Ratio utriusque est. quia in modo tendendi aut avertendi se ab ultimo fine, potest esse magna, et multiplex varietas. Tenditur enim ad eundem finem per varia media, sicut ad idem punctum centri per varias lineas circumferentiae. Avertitur etiam ab eodem per diversa impedimenta, et contraria, quia infinitis modis potest offendi Deus, quot sunt obiecta creata, quae illi anteponi possunt.=

Solum adverte discrimen inter aversionem, et conversionem hanc, quod aversio est intime inclusa in differentiis essentialibus peccatorum per eundem motum, quo convertimur ad creaturam, avertimur a Deo: at conversio charitatis cum sit supernaturalis, et divini ordinis, non sic includitur in differentiis virtutum, sed potius est forma illis extrinseca. Est tamen alia conversio naturalis virtutis, et implicita ad ultimum finem intime imbibita in conceptibus particularibus et essentialibus cuiuscumque virtutis, quae aversioni dictae peccatorum, aut vitiorum assimilatur: et haec explicatur, elevatur, et perficitur per charitatem, quae ideo refert talem virtutem particularem ad Deum, ultimum finem, quia illam invenit iam aliquomodo ordinatam ad ipsum, sub modo tamen suo naturali. Ideoque Deus dicitur respectu illius naturalis finis in genere obiecti, licet in genere rei supernaturalis sit; sicut demonstratio naturalis, quam etiam gentilis habet, de existentia Dei, et cognitio supernaturalis fidei eundem Deum respiciunt; ista supernaturali modo tam ex parte actus, quam ex parte obiecti, et illa modo naturali.=

Sectio 2a. sit ne intrinseca informatio charitatis, saltem per modum impressum.

Solet item dubitari, an actus charitatis informans actus aliarum virtutum, aliquid reale intrinsecum eis imperat, et quidem de habitibus certum est, solam extrinsecam ordinationem praestare charitatem, ut formam extrinsecam, et quando activeas movet, et ordinat ad suum finem, nihil reale illis imprimere, sed sicut sola simpathia potentiarum sufficit ut inferior sequatur superiorem, efficaciter determinatam, ut dici solet v.g. de voluntate, et caeteris potentiis; sic in habitibus earundem idem invenitur: cum enim in potentiis eiusdem suppositi, et a fortiori in habitibus eiusdem potentiae, principale agens sit unicum, tamen necessarium non est, quod quando operatur plures actus, per plures virtutes subordinatas, per unam tangat realiter aliarum, sed satis est quod agens utatur una virtute ad unum actum, et postea, alia ad actum subordinatum.=

Est igitur difficultas de ipsis actibus. An unus imperans alium, modum aliquem intrinsecum illi communicet. quidam recentes ex utraque Academia, tam complutensi, quam salmanticensi

licensi absolute negant, sed distinctione opus est. Si enim actus imperans comparetur ad actus externos aliarum potentiarum extra voluntatem, nihil reale intrinsecum illis imprimunt, sed tamen moralitatem extrinsecam actus imperantis, per quam actus exterior imperatus extrinsece denominabuntur. Mors enim constanter tolerata, et ieiunium temperate susceptum, eodem modo procedunt ab effectu efficaci voluntatis, siue fiant ex fine charitatis, siue religionis &c. Actio item comedendi carnem, potest eadem numero continuari, a fine diei non prohibiti, quo dicitur licita vsque ad primum diei prohibiti, quo exit illicita absque vlla mutatione reali.=

At si actus imperans comparetur ad actus internos voluntatis: v.g. intentio finis vltimi ad electionem medij, quod simul est finis intermedius, communicat tunc actus imperans, non solum moralitatem extrinsecam, (sicut facit respectu actus exterioris) sed etiam modum intrinsecum realem actui imperato, non in genere causæ formalis (nam actus imperans, et imperatus sunt actus diuersi, et completi, et vnus non potest esse forma, aut modus intrinsecus alterius) sed in genere causæ efficientis, vel determinantis, quomodo intentio finis est causa electionis. Docet Caiet. hic et supra. q.e 4. art. 3. et infra. q.e 124. art. 3.=

Ad primum locum vbi ait. Martirium intrinsece claudere perfectionem charitatis, a qua imperatur. Docet expresse S. Thom. hic dicens. quod charitas est forma virtutum effectiue, idest, quatenus mouens eas ad vltimum finem, efficit aliquid in illis. Clariusque in 3. dist. 23. q.e 1.a art. 1.o q.la 1.a et dist. 27. q.a 2.a art. 4. q.la 3. vbi ait. id probat. quia omne mouens imprimit sui similitudinem ei quod mouet. Et in solutione ad 3.m art. quod virtus inferior ponit in actu suo modum quem habet ex virtute superiori.=

Quam doctrinam late prosequitur 1.a 2.æ q. 12. art. 4. vbi probat. quod bonitas finis, primario, et directe terminans intentionem, terminat secundario electionem medij, et se habet vt accidens intrinsecum actui, presertim quando medium est simul finis intermedius, cuius bonitas specificat substantiam actus electionis, vt proprium obiectum illius; et econtra bonitas finis proximi secundario terminat intentionem finis vltimi: ergo bonitas finis actus imperantis, terminat etiam secundario actum imperatum eiusdem voluntatis, sed talis terminatio proxime se tenet ex parte actus, et modus intrinsecus illius, causatus simul cum substantia eiusdem, ab actu imperante: ergo=

Confirmatur hoc assimili de assensu principiorum, et conclusionis, quod S. Thomas æquiparat semper intentioni finis, et electioni mediorum, sed veritas principiorum terminat etiam secundario assensum conclusionis: ergo sic bonitas finis actum electionis. Denique hoc patet quando eligitur aliquid, quod est pure medium, tunc enim medium, non habet propriam aliquam bonitatem secundum quam sit appetibile propter bonitatem finis, et propter hanc rationem, cum non possit dari voluntas, quæ directe non respiciat bonitatem aliquam, electio respicit tandem bonitatem finis. Cuius ratio, inquit S. Thom. est. quia finis ratio est volendi ea quæ sunt ad finem, idem autem actus cadit super obiectum, et super rationem obiecti: ergo eadem ratione, quando eligitur medium, quod simul est finis intermedius, propter bonitatem, scilicet propriam, et propter bonitatem finis, ad cuius consequutionem est vtilis, vtramque bonitatem intrinsece respicit, et consequenter intentio seu actus imperans, erit causa terminationis actus imperati ad bonitatem finis.=

Argumenta contra modum ex charitate virtutibus impressum soluuntur=

Huic Doctrinae quidam Iuniores opponuntur acriter asserentes Charitatis informationem tantum esse extrinsecam virtutibus, ac proinde modum illas informandi denominationem dumtaxat extrinsecam. Probant primo. Quia vel Charitas dicitur forma aliarum virtutum per se ipsam, vel per modum ab ipsa in illis derivatum, illisque intrinsece affixum. Si primum dicatur erit eo ipso forma extrinseca, quia unus actus specie diversus, imo et genere, et ordine, non potest esse forma intrinseca alterius: ergo nec Charitas, quae virtus supernaturalis est, et Theologica virtutum naturalium, aut supernaturalium moralium forma intrinseca esse potest. Si vero secundum dicatur iam de Charitas ipsa, non erit virtutum forma, sed effectus quidam, vel modus ab ipsa derivatus, seu effective procedens.=

2°. Si ad aliquid esset necessarius ille modus virtutibus intrinsecus, maxime ut per illum ipsae referantur in ultimum finem. Sed absque isto modo virtutes sunt relatae, ex hoc praecise quod per Charitatem sint volitae propter ultimum finem, quia utiles ad Dei gloriam, et honorem; quod totum fit per solam denominationem extrinsecam. Quis enim dubitet rei denominari extrinsece volitas, aut cognitas: ergo si aliquid referri ad finem, non est aliud quam amari propter finem, solum erit haec relatio denominatio, aut informatio extrinseca.=

Confirmatur a simili de actibus externis, quales sunt largitio eleemosinae, carnis castigatio &c. quae eo ipso quod eliguntur a charitate ut utiles ad placendum Deo, et ad hunc finem eos efficaciter, exeunt absque aliquo alio modo ipsis superaddito relatae, et informatae ab ea in ordine ad suum finem: ergo eadem ratione actus interni virtutum, quoties a charitate imperantur, absque modo intrinseco illis impresso, per hoc quod ab ea sint extrinsece voliti propter ultimum finem exeunt ordinati ad illum, et ex consequenti denominatio Charitatis in illis resultans, erit tantum extrinseca.=

Sed haec, et similia, facillime diluuntur. Concedimus enim ad primum, Charitatem per se ipsam esse formam extrinsecam virtutibus, etiamque modum informationis illius, in sola extrinseca denominatione posse salvari: ut patet in actibus externis ab ipsa imperatis, quibus nullus intrinsecus appingitur modus, sed tantum prout extrinsece voliti, extrinsecoque impulsu producti, ad ultimum finem relati dicuntur. Caeterum in actibus voluntatis internis, praeter hanc informationem extrinsecam resultat intrinsecus ille modus intime illos actuans, et ordinans ad ipsum ultimum finem quem Charitas respicit, ratione cuius altiori modo ad ipsum sunt ordinatae, rationemque participant intrinsecam perfectae virtutis.=

Ratio huius, est iam assignata a Doctore Angelico. quia scilicet, bonitas finis est ratio volendi ea quae sunt ad finem. Et idem actus qui cadit super obiectum, cadit supra rationem obiecti. quia non potest ferri in aliquod materiale obiectum, quin terminetur ad rationem formalem illius: ergo actus internus voluntatis, cuius est proprium respicere finem, et media, et unum propter aliud, seu ratione alterius, eo ipso quod respicit bonum aliquod propter finem respicit intrinsece, medium, ut materiam, et finem ut formam. Unde in hoc ab actibus externis differt aliarum potentiarum, qui vel non sunt vitales, vel non sunt capaces obiectum voluntatis attingere, aut sub ratione finis, aut medii, suum obiectum respicere, et ideirco extrinseca voluntatis ordinatio illis sufficit. Sub eodem discrimine communibus diximus 1.a 2.ae q. de ultimo fine omnem creaturam agere propter finem, alteram creaturam rationalem, ut intrinsece se moventem, ac finem respicientem irrationalem, seu inanimatam, ut extrinsece a Deo in finem ordinatam; quia ipsa de se non est capax respiciendi finem intrinsece ac formaliter. Et per hoc patet ad confirmationem.=

Ad secundum patet etiam solutio ex dictis. Nam concedimus salvari posse re-

lationem

relationem, et informationem extrinsecam sine hoc modo, secus autem relationem intrinsecam, quę propria voluntatis est. Nam cum ad finem, et ad media, intrinseco ac vitali terminetur respectu et ad unum ut formale, ad alterumque ut materiale obiectum, in hocque consistat propria illius natura, non potest specialis hęc ordinatio sine modo intrinseco explicari, aut intelligi =

~ Sententia negans Charitatis imperium, refertur. ~

Sed Vasquez, et alij. 1.a 2æ. disp. 91. num. 38. universim negant actus imperatos in voluntate, et consequenter charitatis imperium in cęteras virtutes ambis declaratum. Fundamentum illorum est. Quia actus imperatus totam suam libertatem, et moralitatem accipit ab imperante, et consequenter propriam libertatem, et moralitatem amittit: ergo actus virtutis penitentię v.g., non potest imperari a charitate. Patet consequentia. Nam si amittit eo ipso moralitatem specificam propriam, induitque charitatis rationem, iam non erit penitentia actus imperatus, sed charitas ipsa. Antecedens probatur. Quia quando actus imperans est efficax, non potest non elici actus imperatus: sicut enim non potest voluntas duo obiecta simul efficaciter velle: sic dum efficaciter in ea perseverat intentio finis, non potest desistere ab electione medij ad illum requisiti: ergo actus imperatus non potest exercere propriam libertatem, et consequenter nec moralitatem, sed sicut denominatur extrinsece liber, ab actu imperante, sic et moralis ab eius moralitate, et non a propria; ac proinde iam desinit esse talis virtus; penitentia scilicet, ea quę imperatur, solumque erit charitatis actus. =

Dupliciter autem hęc opinio potest deffendi. vel supponendo moralitatem omnino intrinsecam, et inseparabilem esse ab ipsis voluntatis actibus, et propter hoc incapacitatem habere, ut unus imperetur ab alio, quia cum quilibet suam propriam libertatem, et moralitatem semper essentialem retineat, non potest fieri quod obediens alteri suam libertatem, et moralitatem amittat. vel secundo cum communi sententia premittens libertatem et moralitatem esse modos siue physicos siue logicos realiter separabiles ab actibus, ita ut idem numero actus, vel saltem specie possit de libero transire in non liberum, et de morali in non moralem, ut contingit in charitate post in via, et in patria necessaria. Et sic consequenter dicetur, quod licet possint actus voluntatis quoad substantiam imperari, ad modum quo actus externi aliarum potentiarum, non vero actus virtutum ut tales sunt, et ad modum quo actus externi, nullam aliam prętor actus imperantis participant. Unde eo ipso quod actus aliquis imperetur ab alio, et ex illo tamquam ex movente pendeat, actus posterior pertinebit ad eamdem virtutem ad quam prior actus spectat, sicque intentio finis, et electio medij, generaliter ad eamdem virtutem reducuntur. Ut late dicitur in 1.a 2æ. =

~ Sectio tertia. ~

= Actus virtutum imperari probatur =

Quomodocumque autem hęc sententia explicetur, est plane falsa. Quia negari non potest, actus virtutum formaliter ut tales esse media apta, et utilia ad finem charitatis, imo, aptiora ad placendum Deo, quam actus externi aliarum potentiarum: sed actus externi imperantur

rantur a charitate, non alia de causa, nisi quia per illos potest placere Deo: ergo actus formales ip-
sarum virtutum qui Deo sunt gratiores, et ad hunc finem aptiora media eliget a fortiori, ac proinde im-
perantur, et ordinantur a charitate in suum finem. =

Haec ratio evidentior fiet, si fundamentum oppositum diluatur. Cui Respondet quidam.
quod quamvis intentio finis, et electio medij pertineant ad eumdem habitum, medium tamen
electum potest pertinere ad alium diversum, quia obiectum est iam extra essentiam habitus, et
actus: ac proinde optime potest intendi, aut eligi actus cuiusvis alterius virtutis a charitate, sicut eli-
gitur quilibet actus externus aliarum potentiarum. Sed haec solutio, minime difficultatem sol-
vit, quae principaliter in hoc consistit, quod actus moralis, et liber, eo ipso quod efficaciter imperar-
tur suam libertatem, et moralitatem propriam amittat, et solum ab extrinseca libertate actus
imperantis sic denominetur, sed non solum electio, sed medium electum, etiam si comparetur ut
obiectum, et non ut actus ad habitum imperantem est in se necessarium, et solum ab extrinseco impe-
rio liberum, ut patet in quovis alio obiecto efficaciter volito: ergo repugnat quod sit actus alicuius
virtutis de cuius ratione est, quod propriam libertatem, et moralitatem retineat, et quod redu-
plicative ut talis imperetur per aliam. =

Secundo, alij respondent, actus imperatos, et si non habeant novam libertatem
a libertate actus imperantis, habere tamen novam moralitatem, et meritum, quia moralitas est
intrinsece constitutiva actus, libertas autem est intrinseca, et solum conditio requisita, ac proinde
satis erit libertas actus imperantis, ut influat in moralitatem actus imperati. = Sed contra.
quia ubi non est libertas nova, non potest intelligi nova bonitas, aut malitia: sicut nec no-
va laus, aut vituperatio, aut meritum distinctio praemij, aut poenae. quia ex eo quod quis ita facit, quod
posset non facere, resultat illi laus, et meritum, non ex eo quod non potest non facere, ratione su-
i, actione externa, non meremur novam laudem, aut praemium distinctum a praemio actus imperan-
tis; itaque bonitas, aut malitia moralis propter hoc tribuitur actui interiori imperanti illam: quia
ibi residet tota libertas ut ex 1a. 2i. suppono: ergo eadem ratione in caeteris actibus philosophandum est. —

Destruitur fundamentum oppositum.

Sed si supponamus Doctrinam S. Thomae iam declaratam ex 1a. 2i. q. 12. art. 4. quod in-
tentio respicit intrinsece non solum media, sed etiam finem. facillime negatio fundamentum opposi-
tum dissolvitur. Nam consequenter dicendum est, actus imperatos, propriam, et directam libertatem
habere, quoniam et si totam illam accipiant ab actu imperante, cum formaliter contineantur in
ipso, etiam eorum libertas. Unde idem est dicere, quod actus imperatus sit necessarius ex suppositio-
ne actus imperantis, ac dicere, quod sit necessarius ex suppositione libera sui ipsius, cum unus in
alio includatur, et sicut ipsa intentio finis prout repetita in electione dicitur necessaria, ex suppo-
sitione sui; sic electio, prout anticipata in intentione, dicitur libera in se ipsa, et consequenter
suam propriam moralitatem retinet, sicut finis intentio. =

Dices: saltem electio puri medij nullam propriam bonitatem habentis, a qua spe-
ciem accipiat suam moralitatem ab actu imperante obtinebit. = Respondetur omnem actum
imperatum superindui moralitati actus imperantis, ut patet in actibus externis aliarum poten-
tiarum; caeterum cum hoc discrimine, quod actus externa, non addit moralitatem propriam; quia
ex se non est capax illius, actus autem ipsius voluntatis, quicumque sit, potest et semper novam mora-

litatem

libitatem intrinsecam, et propriam esse addit. Nam electio puri medij ex eo quod respiciat ut obiectum formale eamdem bonitatem finis, tantum infert, eamdem moralitatem specificam obtinere, quam actus imperans, aut intentionis, non vero eamdem numericam, quoniam electio puri medij regulariter fieri potest actu numero, imo et distantia temporis diverso, per novum repetitum respectum ad eamdem bonitatem finis =

Dices 2°. Quando charitas elicit pœnitentiam aut misericordiam, ad placandum Deo, tunc hæc, aut illa virtus consideratur ut illi obediens, et nequaquam ut imperans: ergo non habet propriam libertatem actus imperatus in tali casu. Nec potest dici, quod libere obediunt charitati huiusmodi virtutes, ab ea imperatæ; quia ut supponimus, posito imperio efficaci illius, virtus obediens, non potest illi resistere, aut oppositum ponere, nisi charitas ab imperio desistat: ergo necessario illi obedientiam præstat. =

Respondetur. Non ita proprie, et exacte intelligendum esse imperium inter actus voluntatis, sicut intelligitur respectu aliarum potentiarum: nam voluntas solum respectu aliarum virium externarum dicitur domina, non respectu suipsius. Et id circo cum actus diversarum virtutum intrinsece ad voluntatem pertineant, ab eaque elicitive perveniant, necesse est quod eius dominium, et excellentiam participent. Unde idem est quod una virtus voluntatis alteri obediat quam quod voluntas libere sibi obediat. Et idem est, quod posito imperio efficaci unius virtutis, altera non possit non obedire; quam quod posito efficaci voluntatis actu, ipsa non possit non velle. Præsertim, cum dixerint, actum imperatum in imperante præexistere, et electionem in intentione, indeque suam propriam trahere libertatem. =

Dices 3°. si actus imperatus, propriam libertatem habet, ac distinctam ab actu imperante, sequeretur quod unus posset sine alio existere, quod est falsum: nam posito imperio efficaci infallibilis est actus imperatus. =

Sed ad hoc dico primo, quod non semper distinctio arguit separabilitatem, potest enim connexio per se inferre inseparationem, sicut causa secunda infert primam, et sicut electio medij infert intentionem finis. Præterea, potest esse identitas realis, quæ non tollit diversitatem formalem, ac proinde cum actus imperans, et imperatus, realiter identificari soleant, et nihilominus correspondeat illis duplex formalitas: sic et duplex libertas unicuique propria. =

~ Declaratur noua libertas, quæ in electione et usu semper interuenit. ~

Secundo assero, non solum nouam, sed separabilem libertatem in electione mediorum et in eorum usu fere semper inveniri potest intentionem finis; imo magis splendescit libertas in electione, quam in intentione, ut docent communiter Theologi cum Aristot. et S. Thom. 1a. 2æ. q. 13. art. 3. asserentes deliberationem esse de medijs, et non de fine, vel inde fine intermedio, et proximo, prout ordinatur ad ultimum, de fine ultimo numquam: ergo posita intentione finis; quæ semper est indifferens ad plura media, vel ad plures circunstantias saltem temporis, quibus finis assequi potest, est necessaria noua deliberatio, et libertas ad eligendum hoc medium præ alijs, et ad utendum illo pro hic, et nunc, et sub his, et non alijs circunstantijs. Patet consequentia. Quia libertas quæ potest in intentione considerari, nondum determinat de medijs

medijs, imo tunc ignorat, quidnam sit aptius, et convenientius. =

Ad hoc quidam urget intentionem illam, dum est esse indifferens ad plura media vel actus vage imperans, sub disiunctione hoc, vel illud medium, non posse esse concurrere ad actionem aliquam singularem, nisi transeat in actum, seu imperium absolutum, et determinatum; quia ex vi talis actus indifferentis, non determinatur ad eligendum hoc medium, potius quam illud, atque inde nisi commutetur in illud imperium determinatum, actus ille vagus, et indifferens non potest esse determinate causans, et imperans, unde tandem infert, huiusmodi imperium determinatum adimere libertatem actus imperato, vel imperium vagum; per hunc determinatum, quem infert necessario. =

Sed contra: ex ipso quod intentio est determinate de consequtione finis per medium, quod convenientius appareat, et quod excitat, et imperat intellectui, ut consultet, et proponat aptius, et convenientius medium, et quod intellectus id iudicet, et determinet absque nova finis intentione, sequitur immediate electio huiusmodi prae alijs, cuius propria libertas, negari non potest. Sed hoc electio est actus imperatus ab intentione illa finis: ergo diversa est omnino, et separabilis libertas utriusque actus. Maior patet. Nam actus ille inmediate subsequtus ad iudicium rationis, et determinate acceptans hoc medium omnibus alijs, et appetitus prae consiliatus, et voluntas unius medij prae alijs: ergo formalis electio, quia hae sunt definitiones illius. Minor etiam, non est minus certa, quia electio medij oritur ex intentione finis, et sic sit puri medij accipit absolutam speciem, et moralitatem. Si autem finem proximum, seu intermedium, tamquam proprium obiectum respiciat a fine ultimo moralitatem accidentalem, seu circunstantialem accipit. ut late omnes 1ª 2ª. cum S. Thom. q 18. art. 4. ergo non est dubium, quin sit actus imperatus. En ergo evidenter actum imperatum, in quo propria et separabilis est libertas ab intentione libera finis. Nam determinatio libera huiusmodi prae alijs, minime praexistit in intentione finis, quae potius esse est indifferens, et vaga, ut supponitur. =

Praeterea, maior, aut minor diligentia, quae in consultatione imperata per talem intentionem adhibetur, provenit ex nova libertate. Nam ex pia affectione ad unum medium, potiusquam ad aliud, vel propter placendum amico sed consulenti, vel multis alijs de causis provenit, quod non adhibeatur aequalis diligentia, pro investiganda aliorum mediorum convenientia: potestque intellectus rationes aequales proponere, vel quae secundum diversa se invicem excedant, ut evidentior eluceat electionis libertas. =

Etiam manifeste hoc apparet, quando iam est phisice transacta intentio finis, et nihilominus in virtute illius, quia moraliter permanet, prosequuntur, et continuantur varia, et plura media, quam pluribus circunstantijs involuta, sub novis que consultationibus, contra obstacula insurgentia non pauca. Quis tunc dubitet, in horum omnium serie, et progressu multipliciter de novo libertatem exerceri, et hos omnes actus ab illa prima intentione, originem trahere, et moralitatem accipere, ipsos que inter se subordinatos ita esse, quod una electio imperet aliam, et hoc varios alios actus concurrentes ad unum. De quo fuse satis egi 1ª 2ª. =

Dubium appendix. Utrum charitas ipsa, possit imperari, seu informari ab alijs virtutibus.

Scotus in 4. dist. 14. q. 2. negat, et alij quam plures quorum fundamentum est, quod charitas est suprema omnium virtutum, respiciens ultimum, et universalem finem, in quem om-

nia

omnia referenda sunt: ergo non potest imperari, ab inferiori virtute, neque ordinari in finem intermedium, alias rectus ordo inverteretur. Praeviter tamen. Dico primo. Non potest charitas imperari, ita ut eligatur atque medium propter finem solum aliarum virtutum. Et in hoc sensu vera est praedicta sententia, et in sensu etiam postea declarando. Probatur. quia eo ipso, quod voluntas assumat charitatem ut medium ordinatum solum ad consequendum finem alicuius virtutis destruitur iam obiectum specificativum charitatis: ergo talis ordinatio est impossibilis. Probatur antecedens. quia charitas est amor amicitiae, de cuius ratione est, quod tendat in Deum propter ipsum, et non propter propriam aliquam commoditatem: aut inferius motivum: ergo si quis amaret Deum solum propter consequendam veniam peccatorum, vel propter alicuius alterius virtutis finem obtinendum, esset iam amor concupiscentiae, vel pertineret solum ad eam virtutem, cuius finis intenditur, et non ad charitatem, quia non amatur in eo casu Deus, ex complacentia sui, sed alterius.

Dico 2o. Si Deus ametur ut finis saltem intermedius, potest amor illius imperari ab aliis virtutibus, et ordinari ab ipsis ad suos proprios fines. Probatur. quia, scilicet, Deus, non solum habet rationem ultimi finis, summe diligibilis, sed etiam rationem universalis causae, ex qua oritur omnis alia bonitas, ita amor illius, non solum est formalis tendentia ad hunc finem ultimum, sed etiam est causa efficatior, quae excogitari potest ad consequendum finem cuiuslibet alterius virtutis: ergo, scilicet, potest imperare alias virtutes, in quantum est intentio ultimi finis, poterit etiam imperari ab illis, et assumi ut medium ordinatum ad fines illarum in quantum est causa efficax, et potens illos in re ponere. Patet consequentia, quia illud assumitur ut medium ad aliquem finem, quod est causa utilis, ad consecutionem illius, sed ratio causae non dicit imperfectionem, sed potius perfectionem: ergo neque ratio medii, quantum ad hanc partem.

Dices: repugnare illi ex alio capite, nimirum, quia ordinatur, ut bonum inferius, et obiectum minus principale ad finem ultimum, tamquam ad bonum praecipuum, ut quod est ratio volendi medium, de ratione autem charitatis est, quod respiciat suum obiectum ut finem ultimum, non ut proximum, alteri ultimo subordinatum.

Sed contra hoc arguitur 2o. quando medium solum est appetibile propter aliud, cui est utile, et non propter se, vel, quando non est causa principalis, virtualiter, aut eminenter continens bonitatem finis, sed tantum instrumentum, vel conditio, aut aliquid huiusmodi, tunc ordinatur ut inferius bonum, ad aliquid superius, at vero quando medium simul intenditur, propter se tamquam finis, et propter aliud tamquam causa, non quomodocumque, sed principaliter, eminentius continens in se bonitatem finis, quam ipse finis, tunc non ordinatur ut minus, sed ut maius bonum, nec actus imperans electionem talis medii, dicitur propter hoc superior, quia huiusmodi imperium dicitur valde metaphorice de actibus.

Dices rursus ad maiorem declarationem, quod secundum est finis ultimus, unus universalis, in quem omnia referri debent, non ut causae illius, sed ut obsequia, et honore illum prosequantur, et venerentur, et sic importat rationem supremi boni, omnia alia supereminens, quae tamquam inferiora ad illum ordinantur, et hac ratione charitas non potest ordinari ad fines aliarum virtutum, et consequenter, neque ab illarum actibus imperari, sed potius e converso, ad finem illius, actus aliarum virtutum referri debent. Alius est finis ultimus particularis huius, vel illius actus: ille scilicet, qui pendet in esse, aut fieri, a mediis, tamquam a causis, et hoc modo sit effectus mediorum, potest esse illis ignobilior, et quamvis in genere causae finalis, finis soleat esse causa voluntatis medii, in genere causae efficientis, quae principalior est, causatur ab illis. Ex quo patet. charitatem hoc posterari

terioxi modo ad fines aliarum virtutum inferiorum, absque ullo inconvenienti, ordinari posse, im nullum efficacius medium (ut dicebamus) assumi potest ad adquirendam perfectam humilitatem, patientiam, et reliquas virtutes, quam charitas, ut late docent Magistri spirituales, atque adeo, scilicet licita intentio aliarum virtutum, ita, et electio huius medii, ad illas consequendas. Neque est perversio aliqua in hoc, quod finis ultimus semper, et universalis ordinetur ad finem secundum quid, et particularem, quia illum respicit ut effectum, et non ut summum, ac superius bonum. =

Praeterea, ex hoc, quod charitas respicit finem ultimum universalem, et si imperetur modo dicto a virtute particulari, simul imperat, et ordinat eam saltem virtualiter ad suum finem universalem, et eminentiorem, ac proinde charitatem imperari ab alia, est in virtute ipsius charitatis, quae tamquam primum movens excitat etiam alias virtutes, non solum ut ipsum tamquam finem, sed etiam tamquam medium respiciant. Charitatem ergo imperari, in virtute, et motione sui ipsius, potius perfectionem dicit v.g. cum quis dilectionem Dei super omnia eligit, ut medium ad satisfaciendum Deo pro peccatis, cum non mutetur hoc, electio charitatis naturam, sed maneat inconcussa, et illimitata ratio universalis ultimi finis, quem tamquam proprium obiectum respicit, imperat, et refert ad illum implicite omnes virtutes et consequenter ipsum actum imperantem, quo vult satisfacere pro peccatis, ut particularem finem. =

~ Quaestio 24. de subiecto charitatis. ~

Etsi titulus quaestionis sit de subiecto, occasione huius tractat S. Thom. de omnibus causis illius, exponens eius productionem, augmentum, decrementum, et corruptionem, ac modum istarum affectionum (ut videbimus in discursu illius) quia haec omnia expressum dicunt ordinem ad subiectum. =

~ Disputatio 31. de charitate in ordine ad subiectum. ~

~ Articulus primus. Utrum voluntas, sit subiectum charitatis. ~

Ad primum sic proceditur. Videtur quod voluntas, non sit subiectum charitatis. Charitas enim quidam amor est. Sed amor secundum Philosophum, est in concupiscibili; ergo et charitas est in concupiscibili, et non in voluntate. =

2.° Praeterea, charitas, est principalissima virtutum, ut supra dictum est. Sed subiectum virtutis est ratio: ergo videtur, quod charitas sit in ratione, et non in voluntate. =

3.° Praeterea, charitas se extendit ad omnes actus humanos, secundum illud 1. ad Cor. ult. omnia vestra in charitate fiant, sed principium humanorum actuum, est liberum arbitrium: ergo videtur, quod charitas, maxime sit in libero arbitrio sicut in subiecto, et non in voluntate. = Sed contra est. quod obiectum charitatis est bonum, quod etiam est obiectum voluntatis: ergo charitas est in voluntate, sicut in subiecto. =

Respondeo dicendum. quod cum duplex sit appetitus, sensitivus, scilicet, et intellectivus qui dicitur voluntas, ut in prima habitum est, utriusque obiectum est bonum, sed diversimode. Nam obiectum appetitus sensitivi, est bonum per sensum apprehensum, obiectum vero appetitus intellectivi, vel voluntatis, est bonum sub communi ratione boni, prout est apprehensibile ab intellectu. Charitatis autem obiectum, non est aliquod bonum sensibile, sed bonum divinum, quod solo intellectu cognoscitur, et ideo charitatis obiectum, non est appetitus sensitivus, sed appetitus intellectivus idest

voluntas

voluntas. =

Ad primum ergo dicendum. quod concupiscibilis est pars appetitus sensitivi, non autem appetitus intellectivi, ut in primo ostensum est. unde amor qui est in concupiscibili, est amor sensibilis boni, ad bonum autem divinum, quod est intelligibile, concupiscibilis se extendere non potest sed sola voluntas, et ideo concupiscibilis subiectum charitatis esse non potest. =

Ad secundum dicendum. quod voluntas etiam secundum Philosophum in 3.o de Anima, in ratione est, et ideo per hoc quod charitas est in voluntate, non est aliena a ratione. Tamen ratio non est regula charitatis, sicut humanarum virtutum, sed regulatur a Dei sapientia, et excedit regulam rationis humanae. secundum illud ad Ephes. 3. supereminentem scientiae, charitatem Christi. unde non est in ratione, sicut in subiecto. sicut prudentia, neque sicut in regulante: sicut iustitia, vel temperantia, sed solum per quandam affinitatem voluntatis ad rationem. =

Ad 3.m dicendum. quod liberum arbitrium, non est alia potentia a voluntate ut in primo dictum est: et tamen charitas non est in voluntate, secundum rationem liberi arbitrii, cuius actus est eligere, electio enim est eorum, quae sunt ad finem, voluntas autem est ipsius finis, ut dicitur in 3. Ethic. unde charitas, cuius obiectum est finis ultimus, debet dici esse in voluntate quam in libero arbitrio. =

Conclusio S. Thom. est, in voluntate subiectari charitatem, et non in appetitu sensitivo. Est certa apud omnes. Namque distinguunt charitatem, a gratia, hanc dicunt esse in essentia animae, illam vero in voluntate, qui vero utrumque, idem habitum esse putant, utrumque ad voluntatem pertinere aiunt, quia charitas, est principium dilectionis. Probatur ex illo ad Romanos 5. Charitas, diffusa est in cordibus nostris. ubi cor voluntatem significat, ut constat ex frequenti usu, ut Math. num. 22. et alijs locis dicitur. Diliges Deum ex toto corde tuo. ubi cor etiam a mente distinguitur, et alijs viribus hominis, et solam voluntatem denotat. =

Sectio 1.a Utrum charitas, vel saltem illi similis habitus inveniatur in appetitu sensitivo.

Negat S. Thomas. Et probatur efficaciter. quia obiectum charitatis est bonum divinum, spirituale, et immateriale, quod nullatenus per sensus apprehendi potest: ergo appetitus sensitivus, non potest ferri in illud, propter suos actus. Patet consequentia. quia solum se extendit sphaera activitatis illius, ad bonum sensibile, sensibus propositum. =

Patet a simili de visione beata, vel fide, quae alicui sensui minime competere possunt etiam de potentia absoluta, cum earum obiecta, sint extra latitudinem obiecti sensibilis, a quo specificantur sensus, sed idem obiectum, quod visio aut fides respiciunt sub ratione veri, respicit charitas illis correspondens naturaliter sub ratione boni: ergo repugnat similiter appetitui sensitivo inesse. =

Sed contra obijcies: virtutes morales infusae, sunt in appetitu sensitivo, tamquam in subiecto: ergo etiam charitas poterit esse. Probatur consequentia. Nam obiectum illarum est Deus, et bonum morale, recta ratione regulatum, et quid, est quid supernaturale, et utrumque est supra rationem boni, sensibilis, et nihilominus virtutes quae talia obiecta respiciunt Deum, ut finem remotum, et bonum sensibile, ut finem proximum, a quo tamquam ab obiecto, specificantur

specificantur, atque adeo ipsarum actus possunt elicitiue prouenire ab appetitu, et imperatiue a voluntate, per quam respicitur finis remotus illarum, qui est Deus. At Charitas cum specificetur tamquam ab obiecto proximo ab ipso Deo, non potest esse nisi in voluntate rationali. =

Ex quo colligitur actus horum virtutum moralium, et infusarum, quę subiectantur in appetitu solum dici morales, et supernaturales quantum ad modum, vel moralitatem resultantem in illis ex actibus, et virtutibus imperantibus, quę sunt in voluntate. Quantum ad substantiam vero, quę ab appetitu elicitur esse naturales, et physicos, et similiter habitus elicitiuos ipsorum: quia ab actibus naturalibus similibus, et proportionatis, gignitur habitus. Hac etiam ratione fides, et prudentia dicuntur absolute virtutes morales, non secundum quod elicitiue pertinent ad intellectum, sed quatenus per se imperantur a virtute morali existente in voluntate, ex quo rursus infertur, quod quando vna virtus, non imperatur per se ab alia, nec illi per se subordinatur, non accipiat denominationem virtutis imperantis quoad habitum, sed tantum quoad actus, quatenus scilicet per accidens imperantur actus illius, ab actibus alterius. Sed de hoc latius l. 22. =

Sit ne saltem in appetitu habitus charitati subseruiens ut aliqualiter similis.

Dubitari etiam hic solet. An sicut de alijs virtutibus infusis dicitur, sit saltem in appetitu aliquis habitus correspondens charitati, et ex actibus illius causatus, qui respiciat Deum sub ratione boni sensibilis. supposito quod proponitur per hoc statu, sub speciebus sensibilibus, et creatis, quę appetitum mouere possunt. =

Aliqui propter hoc, id affirmant, et probant experientia: quia appetitus sensitiuus aliquando declaratur in Domino, aliquando vero tristatur de malo illi opposito, et lacrimas fudit &c.ª adquos, et similes actus, non est determinatus ex natura sua, indiget ergo habitu determinante illum ad ipsorum exercitium. Videmus etiam ex frequentatione horum actuum, acquiri facilitatem, et promptitudinem ad illos: ergo ex his habitus generatur; immerito tamen, et sine fundamento asseritur talis habitus: quia prędicti actus ex vehementia, et redundantia voluntatis affecte charitate naturali sequela resultant in appetitu, atque adeo cum non sit in illis specialis difficultas, prꝫter eam quę est in actibus voluntatis a quibus procedunt, non est necessarius habitus, qui solum ad vincendam difficultatem aliquam, additur potentię, alias enim tot habitus in appetitu constituendi essent, quot sunt in voluntate, scilicet prudentiam, iustitiam, fidem &c.ª, quod falsum est, et contra Arist. et S. Thom. qui horum habituum numquam mentionem fecerunt. =

Quod autem appetitus, non sit determinatus ex se ad tales actus, non est causa adequata ponendi habitus ad illos; nam potest determinari appetitus ab habitu existente in voluntate rationali, vt contingit in pręsenti, et cum alias, natura abhorreat superfluitatem, et hi actus sint potius resultantes ex alijs, quam per se intenti, non addunt diuersam difficultatem, prꝫter illam quę est in actibus voluntatis, atque adeo non est cur ad illos constituatur nouus habitus. =

Denique experientia, nihil facit prędictę sententię, quia potius experimur viros valde perfectos, et spirituales, hi delectationes, tristitias, aut lacrimas sensibiles, raro sentire, etiam post longum earum exercitium, quod sufficiens erat de se ad habitum gignendum intentissimum. =

contra vero Mulieres imperfectas, aut peccatores hominibus frequentius Allicere, quapropter sepe admonent viri spirituales ex his actibus, non inferri maius Charitatis augmentum, quia possunt ex naturali cuiusque complexione, aut dispositione corporea provenire, vel ex aliquo speciali Dei auxilio, propter varios fines suæ providentiæ. =

Articul. 2. Utrum charitas causetur in nobis ex infusione

Ad 2um. sic proceditur. videtur quod Charitas non causetur in nobis ex infusione. illud enim, quod est commune omnibus creaturis, naturaliter hominibus inest. sed sicut Dion. dicit in 4o cap. de divinis nominibus, omnibus diligibile, et amabile est bonum Divinum; quod est obiectum charitatis: ergo charitas inest nobis naturaliter, et non ex infusione. =

2o Præterea, quanto est aliquid magis diligibile, tanto facilius diligi potest, sed Deus est maxime diligibilis, cum sit summe bonus: ergo facilius est ipsum diligere, quam alia, sed ad alia diligenda, non indigemus aliquo habitu infuso: ergo nec etiam ad diligendum Deum. =

3o Præterea Apost. dicit 1. ad Thimot. 1o. finis præcepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta, sed hæc tria pertinent ad actus humanos: ergo charitas causatur in nobis ex actibus præcedentibus, et non ex infusione. =

Sed contra est quod Apost. dicit Rom. 5. Charitas Dei difusa est in cordibus nostris, per spiritum sanctum, qui datus est nobis. =

Respondeo Dicendum. quod sicut dictum est. Charitas est amicitia quædam, hominis ad Deum, fundata super communicationem Beatitudinis æternæ. Hæc autem communicatio non est secundum bona naturalia, sed secundum dona gratuita. quia ut dicitur Rom. 6. gratia Dei, vita æterna. unde, et ipsa charitas facultatem naturæ excedit. quod autem excedit naturæ facultatem, non potest esse, neque naturale, neque per potentias naturales acquisitum: quia effectus naturalis, non transcendit suam causam. unde charitas non potest, neque naturaliter nobis inesse, neque per vires naturales est acquisita; sed per infusionem spiritus sancti, qui est amor Patris, et filij: cuius participatio in nobis est ipsa charitas causata, sicut supra dictum est. =

Ad primum ergo Dicendum. quod Dionis. loquitur de dilectione Dei, quæ fundatur super communicationem naturalium bonorum; et ideo naturaliter omnibus inest, sed charitas fundatur super quadam communicatione supernaturali. unde non est similis ratio. =

Ad 2um Dicendum. quod sicut Deus secundum se est maxime cognoscibilis, non tamen a nobis, propter defectum nostræ cognitionis, quæ dependet a rebus sensibilibus: ita etiam Deus in se est maxime diligibilis, inquantum est obiectum Beatitudinis. sed hoc modo non est maxime diligibilis a nobis, propter inclinationem afectus nostri ad visibilia bona. unde patet, quod ad Deum maxime diligendum hoc modo, necesse est, quod nostris cordibus etiam charitas infundatur. =

Ad 3um Dicendum. quod cum charitas dicitur in nobis procedere ex corde puro, et conscientia bona, et fide manifesta, hoc referendum est ad actum charitatis, qui a præmissis excitatur

excitatur. Vel etiam hoc dicitur, quia huiusmodi actus disponunt hominem ad recipiendam charitatis infusionem. Et similiter etiam dicendum est de eo quod August. dicit. quod timor introducit Charitatem, et de hoc quod dicitur in glosa Mathei 1º quod fides generat spem, et spes, charitatem. =

Dupliciter contingit habitum aliquem esse infusum, vel per accidens, quia scilicet esse donum naturale, et a causa naturali produci potuit, voluit tamen Deus illum se solo infundere: et sic sapientia Salomonis, et primi Parentis fuit infusa. vel 2º dicitur infusus per se, quia ex intrinseca natura sua postulat infundi a solo Deo, et non a causa aliqua naturali. quam distinctionem tradit S. Thomas 1ª 2ª. q. 51. et q. 63. et illa supposita resolvit hic, charitatem esse habitum infusum: quod intelligendum esse propter se. Tamen de infusione per accidens, nemo potest dubitare, quod Deus ipse possit immediate infundere, quemcumque habitum bonum, sine causis secundariis. Constat etiam ex testimonio illo ad Rom. 5. quod adducit, scilicet, Charitas diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. vbi significatur spiritum sanctum esse propriam causam eius, et non naturam, quia charitas supernaturalis est, et ex ratione qua illam probat: ergo non potest naturaliter nobis inesse, neque per vires naturales acquiri. =

Deducitur autem ex hac ratione duplex difficultas. Prima est An, de potentia absoluta Charitas possit esse connaturalis, alicui voluntati, vel creaturae, et hanc iam disputata est materia de visione, vbi idem investigatur de lumine gloriae, et materia etiam de gratia, vbi controvertitur An sit possibilis substantia supernaturalis creata, cui connaturalia sint huiusmodi accidentia supernaturalia, ideoque amplius eam repetere non libet. Secunda difficultas est. An, saltem per supernaturales actus, qui proportionati sint, charitas possit efficienter produci, et augeri, tamen de naturalibus recte probatur in littera, attingere non posse supernaturalem habitum. Et de hac sit. =

Sectio 2ª. An, nostris actibus supernaturalibus, Charitas possit ~~[illegible]~~ generari phisice, vel augeri.

Ratio dubitandi est primo. quia actus naturales, vere ingenerant habitus naturales; ergo etiam actus supernaturales suos proprios habitus. Antecedens suppono certum ex communi sententia, et satis in Metaphisica probatum est. Consequentia probatur. quia eadem est proportio actus supernaturalis, ad supernaturalem habitum; quae est actus naturalis, ad habitum naturalem; et alias actus supernaturales, praestantiores sunt actibus naturalibus: ergo nulla est ratio quare isti fecundi sint, illi vero steriles, imo potius actibus naturalibus, neganda esset fecunditas propter suam imperfectionem. =

Secundo. quia si propter aliquid, non possent supernaturales actus suos habitus generare, maxime, quia hi habitus, sunt supernaturales, et infusi, atque adeo incapaces, ut aliter fiant, quam per infusionem a Deo, vel quia habent rationem potentiae, aut sunt causa per se suorum actuum, et nihil potest causare suam causam, sed nulla istarum rationum vrget: ergo. Minor quoad primum patet. quia supernaturalitas habitus, non tollitur per hoc, quod procedat a nostris actibus, qui etiam supernaturales sunt, ac proinde proportionati. =

Quod sint infusi a Deo, ad summum probat, quod de lege ordinaria infundantur simul cum gratia, non tamen, quod repugnet de potentia absoluta a suis actibus generari, quia,

scilicet

scilicet, habitus perse adquisiti, possunt per accidens adquiri nostris actibus. = Rursus, habis est ad rationem habitus, perse infusi, quod primo producantur per infusionem a solo Deo, non est tamen unde inferatur, quod augmentum etiam sit a solo Deo, imo experimur ex frequentia operum supernaturalium, promptiores, et expeditiores reddi ad consimiles actus, hec autem maior promptitudo, et facilitas, non potest provenire, nisi ab habitu: ergo. =

Secunda pars minoris probatur. Quia ex eo quod habitus supernaturales sint potentie, et cause suorum actuum, solum sequitur, quod causari non possint ab eisdem, quos ipsi efficiunt, non vero ab aliis eiusdem rationis specifice, ut patet in habitibus adquisitis, et in calore etiam, qui est potentia simpliciter, et generatur ab alio eiusdem speciei, quem ipse etiam potest producere: ergo sine ulla repugnantie ratio adduci potest. =

Denique. quia saltem actus theologicarum virtutum, si multis licentur, phisice expellunt habitus heresis, desperationis, et odii Dei, ut experientia constat: ergo generant habitus theologicos. Consequentia probatur. quia nulla actio, perse primo terminatur ad corruptionem sui contrarii, sed ad inductionem forme, qua mediante suum contrarium expellit. ut docet S. Thom. q. 1. de malo. art. 3. et 1. p. q. 49. art. 1. et communis sententia. =

Sententia affirmans proponitur, et reiicitur.

Propterea hec Vega. lib. 8. super Trid. cap. 9. tribuit nostris actibus supernaturalibus vim phisicam genitricem supernaturalium habituum, illumque sequuntur Stapletonius, lib. 4. de iustificatione. cap. 2. et alii. Adduntque rationem dubitandi positis multa illa testimonia, et Patrum in quibus dicimus nos cooperari cum Deo nostram salutem, et sanctificationem. Et ad Philip. 3. Joann. 3. Ezech. 18. et &c. ergo si efficimus simul cum Deo nostram sanctificationem, etiam habitus supernaturales, qui illam perse comitantur, atque adeo licet Deus phisice efficienter ad illam concurrit, ita et nos. =

Confirmatur. quia sumus causa phisica, et [redacted] moralis, respectu contritionis, que ex natura sua est ultima dispositio ad gratiam, et alteras virtutes: ergo etiam efficienter phisice concurrimus ad formam sanctificantem, et reliquos habitus supernaturales emanantes ab ipsa. Patet antecedens, et consequentia probatur. Tamen omne agens efficiens ultimam dispositionem ad aliquam formam, eo ipso est causa phisica illius. Ignis v.g. generat ignem, eo quod introducit ultimam dispositionem in subiecto. =

Hec tamen sententia, quatenus tribuit efficaciam phisicam nostris actibus, etiam respectu gratie sanctificantis, communiter reprehenditur a theologis: nam solum Deum esse causam perse gratie ex multis constat sacre scripture locis. Ad Rom. 3. unus est Deus qui iustificat. Joan. 1. qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate &c. sed ex Deo nati sunt. Psalm. 83. gratiam et gloriam dabit Dominus. Indicat Conc. Trid. sess. 6. de iustificatione. cap. 7. Et Aug. lib. 1. de peccatorum meritis cap. 14. tom. 7. docent item communiter theologi, nec de potentia absoluta fieri posse, quod gratia ab aliqua creatura, tamquam a causa principali. multo ergo minus de facto. =

Oppositis fundamentis satisfit.

Testimonia in oppositum allegata solum causam moralem nobis tribuunt, respectu nostrę sanctitatis. Sicque ad Confirmationem Respondetur, contritionem, non dispositionem ultimam phisicam dumtaxat esse. Cum fundamento tamen in entitate phisica illius. Alias enim sicut ignis dependet a calore, et sicut reliquę formę aliis dispositionibus, sic gratia a contritione in fieri, et conseruari penderet semper, quod nemo dicet. Nam contritio cito transit, et gratia permanet, imo et sepius sine illa infunditur, et augetur gratia, contritio est in diuerso subiecto, voluntate scilicet, cum gratia in anima immediate sit, deberet que vtraque eidem subiecto immediate inesse, si se haberent vt forma, et dispositio. Contritio item, quantumcumque remissa, disponit ad gratiam intensiorem, si adsint circumstantię morales, augentes moraliter eius valorem, licet non intensionem phisicam: inditium ergo est, non esse dispositionem phisicam, cum in tali genere improporcionata sit. =

Denique posita contritione, est noua gratia, quod remittatur peccatum, et infundatur gratia. vt late probo materia de iustificatione ex concil. Trid. sess. 14. cap. 4. asserente, contritionem quouis tempore necessariam fuisse ad impetrandam veniam, et remissionem peccatorum: ergo contritio non est vltima dispositio phisica, ad quam naturali sequela debebat consequi forma, quę subiecto vltime disposito connaturaliter debetur; solum igitur per modum impetrationis, cui gratis acquiescit Diuina voluntas, contritio attingit, (vt ait Concilium) remissionem peccati. =

Aliorum sententia reijcitur. =

Quidam Iuniores, inter quos est Gaspar Hurtado. disp. 2. de habitu charitatis difficultatione prima, distinguunt charitatem etiam supernaturalem in per se infusam, quę dat simpliciter posse, et in acquisitam nostris actibus supernaturalibus, quę confert facilius, ac promptius posse circa eosdem actus, quę diuersa est, ac inferior in specie, non quia diuersum actum, aut obiectum respiciat, sed quia diuerso modo: inclinans videlicet ad ipsos, quoad facilitatem, quos habitus infusus attingit, quoad substantiam. Mouentur fortasse ad hoc, preter argumenta initio posita a simili de ordine naturali, in quo preter potentias, quę conferunt simpliciter substantiam suorum actuum, habitus admittimus in ordine ad eosdem actus, eorumque exercitio procreatos, ad eorum promptitudinem ac facilitatem. =

Ad via tamen communi, ac regia, valdeque infirmo fundamento declinant. Est enim constans antiquorum scholasticorum doctrina, et in schola S.[ti] Thomę receptissimum, virtutem omnem supernaturalem per se infusam, et virtutem omnem adquisitam, naturalem esse. Ait enim D. Thom. 1.a 2.ę q. 63. art. 3. omnes virtutes tam morales, quam intellectuales, quę ex nostris actibus adquiruntur, procedunt ex quibusdam naturalibus principijs. vbi vniuersaliter omnes virtutes adquisitas naturales docet. Idemque explicat art. 1.o et art. 4. virtutes adquisitas et infusas specie discernit, per hoc quod omnis virtus infusa respicit regulam Diuinam, et omnis adquisita regulam humanam, seu naturalem rationem. quod et superius q.a 51. fere per omnes articulos declarat. =

Docent item fere omnes, gratiam esse radicem immediatam omnium donorum, ac virtutum supernaturalium, quę simul cum illa in iustificatione infunduntur, et quouis peccato mortali simul cum illa destruuntur. Si autem virtus supernaturalis charitatis adquisita admittatur, non in iustificatione, sed post longam nostrorum actuum exercitationem adquireretur, maneretque

etiam

etiam in statu peccati mortalis, essetque verum dicere, virtutem charitatis manere in peccatore, amissa gratia, quod est absurdum. Sequela probatur quia omnis habitus, seu facilitas ex assuetudine nostrorum operum genita, manet post peccatum. Nam habitus pluribus actibus adquisitus, non nisi pluribus actibus contrarijs amittitur, ut manifeste constat experientia: si ergo Authores oppositi, ex facilitate quam experiuntur, post frequentationem multorum actuum supernaturalium coguntur hos habitus supernaturales adquisitos admittere, consequenter eos negare non debent, post unum, vel alterum peccatum, donec similis frequentia contrariorum actuum advenerit.=

Urgeri item maxime potest contra illos eadem experientia in homine spirituali et satis in via virtutis exercitato, lapso in peccatum, et statim ad gratiam reddito, in quo tunc negari non potest illa maior facilitas, et promptitudo, quam in principio suae conversionis, primaque iustificatione non habuit. Tunc sic, vel illa facilitas fuit continuata in statu peccati, ac proinde fuit in eo pro tunc vera virtus charitatis supernaturalis, vel fuit peccato mortali deperdita, et statim per gratiam reddita; et sic adquisita dici non potest, sed divinitus infusa, quia nulla tunc est actuum frequentia ex qua gigni posset, ut supponitur, nec si iam fuit phisice corrupta ex peccato mortali, potest phisice reviviscere. Ergo

Rursus: cum sit eadem ratio de caeteris virtutibus, deberent admitti tres fides, naturalis scilicet, et supernaturalis adquisita, et infusa, tres spes similiter, tres prudentiae, et sic de caeteris virtutibus, quae est multiplicatio inaudita in scholis. Denique habitus adquisiti debent immediate subijci in ea potentia, quam facilitant, et habilem reddunt. Ut docet S. Thom. 1a 2ae q. 51. art. 1. Unde infert, principium pure activum capax non esse alicuius habitus, nisi sit simul passivum; sed charitas per se infusa est virtus pure activa: ergo non potest perfici, et habituari per aliam virtutem adquisitam.=

Fundamentum oppositum, potest retorqueri ex discrimine, quod est inter ordinem naturalem, et supernaturalem, potentiae enim naturales, sunt valde indifferentes, in ordine ad varios actus, consistuntque in indivisibili; quia earum virtus est valde abstracta ab omni latitudine graduali, ideoque valde imperfecta; quid ergo mirum, quod sint perfectibiles, ac determinabiles per habitus. Propter oppositam igitur rationem potentiae, quae sunt determinatae ad unum, habitibus non indigent, nec perfectivis, nec determinativis, quia earum virtus est omnino perfecta, et completa. Sed habitus per se infusi, maxime virtutes Theologicae sunt, quasi potentiae determinatae ad unum; obiectum videlicet, et actum primarium indivisibilem attingentes: non ergo indigent habitibus determinativis. Sunt item capaces latitudinis intensivae, quarum inclinatio ad obiectum in infinitum potest perfici, et augeri: ad quid ergo aliorum habituum additio? Charitas v.g. est inclinatio, unice, ac determinate in Deum propensa, si tamen tepida sit, novis gradibus intenditur, et ignescit, sicque vincitur eius difficultas ad operandum maxime si ex parte intellectus divina accesserit illustratio: superfluit ergo habitus alius eam facilitans. Patet consequentia Nam difficultas ad operandum in voluntate, et consequenter in charitate, solum ex triplici capite potest oriri, quoad praesens attinet, vel ex defectu sufficientis applicationis, seu apprehensionis obiecti, et haec tollitur per Spiritus Sancti illustrationem, vel ex indispositione subiecti, vitijs contrarijs praeocupati, et haec removetur per virtutes talibus vitijs oppositas, et etiam per exercitium ipsarum virtutum infusarum, quo licet non producantur habitus naturales oppositi, nec supernaturales, adminus removentur impedimenta contraria. Vel denique, haec difficultas ad operandum in charitate procedere ex defectu sufficientis ardoris, et inclinationis ad obiectum, et haec si magis inten-

datur

dabur inardescet, maxime si divinis inspirationibus iaculetur; ad nihilum ergo alius habitus illi superadditur. =

Dices: Communiter discernuntur virtutes infusae, et adquisitae, quod illae dant simpliciter posse, et istae facilius, et melius posse: ergo qui asserit etiam virtutes infusas conferre facilius, et melius posse, opponitur huic communi doctrinae. = Respondetur, unumquodque discerni per id quod primario, et essentialiter illi convenit, non per id quod accidentaliter, et secundario, atqui virtus per se infusa essentialiter dat simpliciter posse, facilius autem, aut promptius, non nisi quatenus est, removens prohibens, impedimenta scilicet contraria per assiduum exercitium suorum actuum; vel quatenus eius fervor augetur ratione latitudinis gradualis, quae accidit illi (nam suscipere magis, et minus est proprietas qualitatis) hinc est, quod recte ab habitu adquisito discriminetur, cui facilitas, et promptitudo est primaria ratio, et conferre simpliciter posse, nec accidentaliter illi competit. =

Sectio tertia.

Vera sententia statuitur, et probatur

Est igitur vera, et communis sententia negans habitus supernaturales acquiri posse nostris actibus, ideoque omnes per se infusos esse a solo Deo. Docent S. Thom. citatus, caeterique theologi. Non est tamen facile rationem huius assignare. Omissis autem multis, quae inefficaces videntur, duo sunt quae meo iudicio, istam assertionem convincunt. Prima est, quia charitas, lumen gloriae, et reliqui habitus supernaturales, fide, et spe exceptis, sunt proprietates physicae, et connaturaliter emanantes a gratia iustificante, tamquam a propria natura, et radice, sicut intellectus, et voluntas a natura rationali, ut ex materia de iustificatione suppono: ergo non possunt ab alio, quam a sua radice, cui congenitae essentialiter sunt, efficienter procedere: cum igitur proprietates cuiuslibet naturae tribuantur generanti, et solus Deus sit author, et infusor gratiae, soli Deo tribui potest harum gratuitum infusio. =

Fidem excipi, et spem, quia earum emanationem a gratia negavi supra, disp. 5. sect. 2. Potest nihilominus ad ipsas extendi haec ratio; quia et si non emanent a gratia, sunt proprietates illi connaturaliter debitae, in absentia luminis gloriae. Ad modum quo species Angeli, ut ostendi loco citato de iustificatione, suntque media quibus filii ordinantur, et adipiscantur ad vitam gloriam: sicut ergo solius Dei est proprium, nos regenerare in filios suos per gratiam, et communicationem suae naturae, et conferre gloriam in hac, vel illa mensura, dividens singulis prout vult; sic et conferre hos habitus, fidei, et spei, eorumque intensionem, quia per illos ad hunc finem supernaturalem ordinamur. Legatur S. Thom. 1a 2ae. q. 51. art. 4. et q. 63. art. 3. ubi hanc doctrinam ut certam supponit, quod videlicet ad finem excedentem naturam, vel supernaturalem, solus Deus nos ordinat, et promovet, per media proportionata, divinitusque infusa. =

Secunda ratio pro hac conclusione est, quod huiusmodi virtutes, sunt veluti potentiae et causae quasi tribuentes substantiam, et esse simpliciter actibus supernaturalibus, ac proinde illis praestantiores, quia omnis causa est nobilior suo effectu; ergo non possunt a suis actibus efficienter produci, vel augeri; ergo neque ab alio, nisi per infusionem a solo Deo. Patet haec ultima consequentia: quia cum sint supernaturales, et non proprietates connaturaliter debitae alicui naturae, si a suis actibus produci nequeunt, solum restat, quod habeant esse per infusionem a Deo. =

causas

V Causas æquivocas dico huiusmodi virtutes, non quia sint universales, et indifferentes ad plures effectus præmaiores, ad modum quo æquivocatio logica respicit plura ut plura; sed quia causant effectus diversæ rationis ab ipsis, in quo ab univocis differunt, quæ effectum in se præhabent, non solum virtualiter sed etiam formaliter, et eo ipso quod producunt similem formam, communicant cum ea eamdem virtutem agendi, ac proinde possunt a suis effectibus generari, saltem in alio individuo. ignis v.g. ab alio igne, et calor ab alio calore. Atque quando causa est diversæ rationis essentialis a suo effectu solumque virtualiter illum continens; sicut virtutes infusæ se habent, respectu suorum actuum, est sine dubio longe nobilior illo. =

Dices, sicut causa totalis nobilior sit suo effectu, non causa partialis, quæ ideo sic dicitur, quia non continet in se totam perfectionem, quam habet effectus ab aliis causis; virtutes autem infusæ, non sunt nisi causæ partiales simul cum potentia concurrentes ad actus. Hac enim de causa habitus acquisiti, et species intentionales, et si effectus diversæ rationis producant, sunt illis ignobiliores, quia partialiter ad illos concurrunt, vel dicendum esset, habitus acquisitos a suis actibus minime produci. =

Respondetur. Propter hoc dixi esse quasi potentias conferentes substantiam actibus ut excluderem habitus acquisitos, qui tantum modum facilitatis conferunt, ideoque excedi possunt a substantia ipsorum actuum: species similiter vel solum se habent ut determinantes potentiam ad tales actus, quam ut directe conferentes illis specificum esse: vel si conferant directe substantiam, nego imperfectiores suis actibus esse. vel quidquid sit de maiori perfectione, negatur ab illis posse produci. Idemque de his virtutibus assero. =

Ratio est. Nam omnis causa æquivoca sive totalis, sive partialis est nobilior saltem ea perfectione, quam ratione suæ propriæ virtutis communicat effectui; quia respectu talis perfectionis se habet ut causa totalis. Potentia vitalis v.g. si præcise conferatur cum modo vitalitatis actus, est longe perfectior illo, et supernaturalitas habitus, supernaturalitatem actus similiter excedit: ergo cum semper naturalitas sit substantia specifica actus, et vitalitas ratio generica, minime ex tali actu, erit producibilis habitus. Probatur consequentia: quoniam supernaturalitas actus est inferior habitu, ut supponitur; vitalitas vero actus est perfectio alterius inferioris ordinis nullam supernaturalitatem præhabens, quam habitui præstare possit, ac proinde est tamquam si non esset in actu, in ordine ad istam habitus productionem: ergo habitus improducibilis est a suo actu, etsi ab eo excederetur in perfectione. Eademque ratio in specie intentionali, respectu sui actus formari potest, quod quamvis illa ignobilior sit, ab eo produci non valeat, eo quod vitalitas ratione cuius actus speciem superat, est impertinens ad speciei productionem, quia illam in sua virtute non præhabet, sicut nec Angelus hominem. =

~ Rationi dubitandi, initio positæ, satis fit. ~

Iam ergo ad ea quæ in principio obiecta sunt, constat solutio. Ad primam rationem negamus esse eamdem proportionem inter actus, et habitus infusos, quæ est inter actus, et habitus acquisitos. Hi enim ignobiliores sunt, atque adeo producibiles a suis actibus; illi vero contra, ut iam declaravi. =

Ad 2^{am}. iam dixi, habitus istos, non esse improducibiles a suis actibus, quia supernaturales præcise, sed quia taliter supernaturales, scilicet, quia sunt potentiæ et causæ æquivocæ

supernaturales; et quia sunt proprietates gratiæ, quæ est participatio naturæ Divinæ, quam solus Deus communicat cum omnibus attributis illi annexis. Consequentia illa: habitus acquisiti possunt per accidens infundi a Deo: ergo habitus infusi possunt per accidens acquiri nostris actibus, est valde frivola, quoniam a causa inferiori, ad supremam, qualis est Deus, bene valet consequentia, quia Deus continet in sua virtute, quid quid causæ creatæ, non econverso. =

Ad ultimum Respondetur. facilitatem illam quam experimur in iustificatis post frequentiam actuum supernaturalium, ex remotione impedimentorum resultare etiam dixi, nam assiduitate supernaturalium operum, depulit homo a se, omnem subiecti ægritudinem, et hebetudinem organi, seu passionum incursum, ex quibus præcipue oriebatur, difficultas ad talia opera. Ex augmento etiam graduali, seu charitatis fervoris, spiritus animosior redditur, ad superandas, et sperniendas difficultates, sæpius tamen videmus, (quod mirabile est) homines valde proficientes, et sanctis exercitijs deditos, subito peccato mortali excecari, et quasi bestias rudiores fieri. =

Solet tandem sic contorqueri. An, saltem, concedi possit, actibus supernaturalibus, facilitas aliqua naturalis, ex eorum assuetudine relicta. Aliquibus, durum videbatur, negare his actibus, quod naturalibus conceditur, posse scilicet habitus saltem naturali gignere. Sed eadem ratione, tribueremus Angelis, supposito, quod alios Angelos creare nequeunt. posse saltem homines generare, siquidem hominibus illis ignobilioribus id conceditur, quod est ridiculum: quia nemo dat, quod non habet. unde non satis est, aliquid esse alio præstantius, ut illud possit efficere, sed quod illud in sua virtute præhabeat, sicut ergo Angelus virtute non contineat hominem, sic nec actus supernaturalis, habitus naturales, qui sunt ordinis longe diversi. =

Docet etiam D. Thom. q.e 27. de veritate. Art. 1.° dicens ex actibus, non generari habitum, alterius rationis ab eo, a quo actus eliciuntur. Et item in ore omnium, habitus ad eosdem actus inclinare potentiam, a quibus fuerunt geniti. Per actus enim scientiæ, non adquirimus habitum opinionis, et sic nec per actum supernaturalem, naturalem habitum. =

Bene verum est. unum habitum per accidens posse iuvari actibus alterius removentis indispositionem, vel impedimentum a potentia, vel quia respicit moderationem in eadem materia. Et sane facilitatem causare possunt virtutes infusæ, quæ in remotione impedimentorum consistit. temperantia v.g. infusa, si ieiunijs, et abstinentijs exerceatur propter Deum, et peccato aliquo mortali peccat, relinquit per accidens facilitatem, et temperantiam adquisitam, et econtra, qualenus scilicet impedimenta abstulit vitij contrarij. =

Nec sola facilitas negativa, sed etiam positiva in appetitu sensitivo resultat, quando virtutes infusæ non solum in voluntate rationali, sed etiam in appetitu resident, ut in casu dicto de temperantia videre licet, sed talis facilitas generatur ex actibus naturalibus ipsius appetitus, et si imperatis ab actibus supernaturalibus virtutis infusæ in voluntate existentis. Nam hæc supernaturalitas actus imperantis, cum sit omnino extrinseca actibus appetitus, relinquit eos in sua entitate, et virtute naturali, ut similes habitus possint generare. Ad epilogum igitur omnia ista reducens. Concludo, ex frequentia supernaturalium actuum, triplicem facilitatem manere posse, unam supernaturalem ex augmento intensivo habitus infusi, quod Deus intuitu talium operum confert, qualenus ex illo fervor augetur, quo voluntas fortior redditur ad superandas difficultates. Aliam negativam ex remotione indispositionis, seu vitij oppositi, et aliam naturalem positivam in appetitu, ex ipsius actibus naturalibus, et imperatis genita. =

Art. 3.m Utrum charitas infundatur secundum capacitatem naturalem.

Ad tertium sic proceditur. videtur quod charitas infundatur, secundum capacitatem naturalium. Dicitur enim Mathei 26. quod dedit unicuique secundum propriam virtutem. Sed charitatem nulla virtus precedit in homine, nisi naturalis, quia sine charitate, nulla est virtus. ut dictum est. ergo secundum quantitatem virtutis naturalis, infunditur homini charitas a Deo. =

Secundo. Preterea, omnium ordinatorum ad invicem, secundum proportionatur primo: sicut videmus quod in rebus naturalibus forma proportionatur materie, et in donis gratuitis, gloria proportionatur gratie: sed charitas cum sit perfectio nature, comparatur ad capacitatem naturalem; sicut secundum ad primum. ergo videtur, quod charitas infundatur, secundum naturalium capacitatem. =

tertio. Preterea, homines, et Angeli, secundum eandem rationem participant beatitudinem, quia in utrique, est similis beatitudinis ratio. ut habetur Marc. 22. et Luce 20. sed in Angelis charitas, et alia dona gratuita, sunt data secundum capacitatem naturalium. ut Magister dicit. 3. dist. secundi libri sententiarum: ergo idem videtur esse in hominibus. =

Sed contra est, quod dicitur Ioan. 3. spiritus, ubi vult spirat. Et 1. ad Chor. 12. hec omnia operatur, unum, et idem spiritus, dividens singulis prout vult: ergo charitas datur, non secundum capacitatem naturalium, sed secundum voluntatem spiritus, sua dona distribuentis =

Respondeo dicendum. quod uniuscuiusque rei quantitas, dependet a propria causa rei: quia universalior causa effectum maiorem producit. Charitas autem cum semper excedat proportionem nature humane, ut dictum est, non dependet ex aliqua naturali virtute, sed ex sola gratia spiritus sancti eam infundentis. Et ideo quantitas charitatis, non dependet ex conditione nature, vel ex capacitate naturalis virtutis, sed solum ex voluntate spiritus sancti, distribuentis sua dona, prout vult. unde, et Apost. dicit ad Ephesios 4. unicuique nostrum, data est gratia secundum mensuram donationis Christi. =

Ad primum ergo dicendum. quod illa virtus, secundum quam, sua dona Deus dat, unicuique, est dispositio, vel preparatio precedens, sive conatus gratie accipientis. sed hanc etiam dispositionem, vel conatum, prevenit spiritus sanctus, movens mentem hominis, vel plus, vel minus, secundum suam voluntatem. unde, et Apostolus dicit ad Col. qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine. =

Ad 2.m dicendum. quod forma non excedit materie proportionem, sed sunt eiusdem generis; similiter etiam gratia, et gloria, ad idem genus referuntur; quia gratia nihil est aliud, quam quedam inchoatio glorie in nobis, sed charitas, et natura, non pertinent ad idem genus, et ideo non est similis ratio. =

Ad 3.m dicendum. quod Angelus est intellectualis nature, et secundum suam conditionem, competit ei, ut totaliter feratur in omne id in quod fertur, ut in primo ostensum est. Et ideo in superioribus Angelis, fuit maior conatus ad bonum in perseverantibus, et ad malum in cadentibus. Et ideo superiorum Angelorum persistentes, facti sunt meliores, et cadentes facti sunt, peiores aliis, sed homo est nature rationalis, cui competit esse quandoque in potentia, et quandoque in actu: et ideo non oportet, quod feratur totaliter in id in quod fertur: sed eius qui

habet

qui habet meliora naturalia, potest esse minor conatu, et econuerso. Et ideo non est simile =

Sectio quarta.

Dupliciter titulus huius difficultatis potest intelligi. Primo, si per naturalia intelligamus naturales potentias, et facultates hominis in actu primo; quod videlicet ille maiorem gloriam, et charitatem accipiat, qui maiori ingenio pollet, indole, aut temperamento. = Secundo. ut etiam ad opera bona naturalia, attendamus, ille qui praeferatur in mensura gratiae, qui melius naturaliter operatur, siue est operaturus. Rursus, conferre inequalem gratiam, iuxta inequalem capacitatem naturae, vel potest sic accipi, quod inequalitas naturae sit Deo, ratio, vel causa largiendi inequalem gratiam, et charitatem, vel quod inequalitas gratiae, et charitatis fuerit collata iuxta inequalitatem naturae, quia Deus sic libere statuerit, quamuis unum, non sit alterius ratio. =

Quocumque ergo modo intelligatur titulus, conclusio est negatiua, et verissima. Est enim manifesta fidei doctrina contra Pelagium, ordinem gratiae, omnino independenter a natura infundi, omneque ens supernaturale, gratis omnino conferri, tamquam quid omni naturae creatae, et creabili indebitum. =

Constat item, nec gratiam commensurari, nostrae naturali capacitati, etiam ex libero Dei beneplacito, aut communi lege ex multis sacrae Scripturae locis. Math. 11. Confiteor tibi Pater quia abscondisti haec a sapientibus, et prudentibus, et reuelasti ea paruulis. 1. Chor. quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes, et infirma mundi, ut confundat fortia. &c. Ad Ephes. 4. Unicuique nostrum, data est gratia, secundum mensuram donationis Christi. Chor. 12. Haec omnia operatur, unus, et idem spiritus, diuidens singulis prout vult. Unde semper assignatur huius inequalis distributionis causa liberrima Dei voluntas. Id experimur quotidie, homines, scilicet, rudes, ac mulieres simplices, viros, litteratos, et in alijs naturae dotibus insignes in gratia, et sanctitate excedere. =

Obijcies. Charitatem, et gratiam, meritorie augeri, non solum ex operibus supernaturalibus, sed etiam ex actibus naturalium virtutum, quibus licet ratio merendi, sit imperium, aut relatio extrinseca charitatis, praemium, quod est augmentum gratiae, et charitatis, non solum correspondet, quantitati valoris actus imperantis supernaturalis, sed etiam actibus naturalibus imperatis: ergo datur iam iuxta mensuram naturalium operum. =

Respondetur, huiusmodi actus imperatos, in tantum mereri augmentum gratiae, in quantum eleuati, et supernaturales sunt saltem moraliter, ac proinde gratia quae in tantum illorum confertur, est iuxta mensuram rerum supernaturalium. Nam quamuis perfectio naturalis, etiam concurrat ad augmentum gratiae, id habet ut eleuata, per ordinem charitatis, et qualemus iam supernaturalis facta. Conclusio autem, articuli, non excludit penitus, opera naturalia, ita ut nec materialiter concurrant ad augmentum gratiae. Imo nec loquitur directe de operibus, sed de potentijs, et facultate naturae: hoc enim nomine capacitatis significatur: contingit quoque saepius, quod ille qui plura opera naturalia elicit, ex charitatis imperio, minorem habeat capacitatem naturae, et ratione maioris gratiae, et amoris Dei, circa materias naturalium virtutum, maxime proficiat. =

Addo tandem. licet respectu totius humanae naturae, in communi doctrina posita sit regulariter vera, per accidens posse contingere, quod qui maiori pollet, capacitate, maiorem

etiam

etiam gratiam obtinet, hoc tamen, non ex communi aliqua Dei lege provenit, vel ex eo quod attenderit Deus in distributione gratiæ, ad talem excessum naturæ, sed quia dividens singulis prout vult, sicut non tenetur conferre semper majorem gloriam hominibus præstantioris naturæ, sic nec semper hominibus ignobilioris capacitatis, sed iuxta consilium liberum voluntatis suæ. ut Apost. ait ad Ephesios 1º. =

Secundo obijcies. Angelis data est gratia, et charitas iuxta proportionem naturæ ut tenet communis scholasticorum sententia cum D. Thom. hic, et 1ª p. q. 62. art. 6. et Dionys. Basilio, et Damas. quos referunt circa Vasquez, et alij: ergo etiam hominibus, de quibus circa dona gratiæ, est eadem ratio. = Respondetur. Concesso antecedenti negando consequentiam. quia potuit Deus gratiam conferre omnino Angelis excessum gratiæ iuxta mensuram naturæ, et non sic hominibus, fuerunt que ei congruentiæ non parvæ, ad hoc diversum providentiæ genus, circa Angelos, et homines. Prima. quia inæqualitas perfectionis naturalis Angelicæ, est omnino certa, et determinata, cum sit essentialis, in hominibus autem est materialis, et accidentalis, ex eorum proprietatibus individualibus resultans atque adeo incerta, et vaga, valdeque difformis in diversis ætatibus, dispositionibus, et temporibus, eiusdem suppositi: non ergo potuit esse, conveniens regula distributionis perfectio naturæ humanæ, sicut Angelicæ. =

Secunda. quia Angeli operantur tota virtute suæ naturæ, homines vero non ita, impediuntur obstaculis intrinsecis ignorantiæ, aut deliberationis imperfectæ, aut distractionibus extrinsecis: ergo cum gratia regulariter conferatur iuxta propriam cuiusque dispositionem, non potuit operatio humana esse certa regula, et mensura gratiæ, et divini auxilij, sicut operatio Angelica. utraque ratio est. D. Thomæ ubi supra. Fuerunt item et aliæ rationes, ad hanc varietatem, ut scilicet ostenderet Deus plenum dominium super dona gratiæ, communicando illa, utroque modo, et iuxta naturam in Angelis; et absque ulla commensuratione ad ipsam, ut in hominibus. Resplenduit etiam maxime Dei misericordia, et bonitas in viliori natura tot mirabilia operans, quo major fuit diaboli confusio, humiliata que valde eius invidia, et superbia. Denique ut magis gratiæ supernaturalitas innotesceret, nesi semper iuxta proportionem, ac mensuram largiretur naturæ, aliqua in denaturalis connexio, aut cognatio inferretur. =

Articul. 4. Utrum charitas augeri possit.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod charitas augeri non possit. Nihil enim augetur, nisi quantum, duplex autem est quantitas, scilicet dimensiva, et virtualis, quarum prima charitati non convenit, cum sit quædam spiritualis perfectio, virtualis autem quantitas, attenditur secundum obiecta, secundum quæ charitas non crescit: quia minima charitas diligit omnia, quæ sunt ex charitate diligenda: ergo charitas non augetur =

2º. Præterea, id quod est in termino, non recipit augmentum, sed charitas est in termino, quasi maxima virtutum existens. et summus amor optimi boni, ergo charitas augeri non potest. =

3º. Præterea, augmentum, quidam motus est: ergo quod augetur movetur. quod ergo augetur essentialiter. sed non movetur essentialiter, nisi quod corrumpitur, vel generatur: ergo charitas non potest augeri essentialiter, nisi forte de novo generetur, vel corrumpatur, quod est inconveniens =

Sed contra est. quod Aug. dicit super Joann. quod charitas meretur augeri, ut

aucta

aucta mereatur, et perfici. = Respondeo dicendum. quod charitas viæ potest augeri. Ex hoc enim dicimur esse viatores, quod in Deum tendimus, qui est ultimus finis nostræ Beatitudinis. In hac enim via tanto magis procedimus, quanto Deum magis propinquamus, cui non appropinquatur passibus corporis, sed affectibus mentis. Hanc autem propinquitatem facit charitas, quia per ipsum mens Deo unitur. Et ideo de ratione charitatis viæ est, ut possit augeri. Si enim non posset augeri iam cessaret viæ processus. Et ideo Apostolus charitatem viam nominat dicens. 1. ad Cor. 12. Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro =

A primum ergo dicendum. quod charitati non convenit quantitas dimensiva, sed solum quantitas virtualis, quæ non solum attenditur secundum numerum obiectorum, ut scilicet plura vel pauciora diligantur, sed etiam secundum intensionem actus, ut magis, vel minus aliquid diligatur, et hoc modo virtualis quantitas charitatis augetur =

Ad 2um. Dicendum. quod charitas est in summo ex parte obiecti, in quantum scilicet, eius obiectum, est summum bonum. Et ex hoc sequitur, quod ipsa sit excellentior alijs virtutibus. Non tamen est charitas in summo, quantum ad intensionem actus =

Ad 3um Dicendum. quod quidam dixerunt charitatem non augeri secundum suam essentiam, sed solum secundum radicationem in subiecto, vel secundum fervorem. Sed hi propriam vocem ignoraverunt. Cum enim accidens sit eius, eius esse est inesse. Unde nihil est aliud, ipsam secundum essentiam augeri, quam eam magis inesse subiecto, quod est magis eam radicare in subiecto. Similiter etiam ipsa essentialiter est virtus ordinata ad actum. Unde idem est ipsam augeri secundum essentiam et ipsam habere efficaciam ad producendum ferventioris dilectionis actum. Augetur ergo essentialiter non quidem ita, quod esse incipiat, vel esse desinat in subiecto, sicut obiectio illa procedit. Sed ita, quod magis ac magis in subiecto esse incipiat. =

Negarunt hæretici illi, qui gratiam asserebant omnibus iustis æqualem. Conclusio tamen Articuli, est affirmativa, et certa secundum fidem, tam sub nomine gratiæ, quam sub nomine charitatis; quia utraque est eadem ratio. Et de illa in particulari loquitur etiam S. Sª ad Ephes. 4. in charitate crescamus. et ap. 1º. oro ut charitas vestra magis, ac magis abundet. quibus et alijs testimonijs, Conc. Trident. sess. 6. cap. 10. et can. 24. et 32. definivit iustificationem nostram (quam infusione charitatis prius docuerat fieri) in dies augeri, et ante ipsum etiam Concilium Tellense, contra Iovin. in rescripto Episcoporum ad Siricium Papam =

Probat S. Thom. hanc veritatem, ex eo quod viæ, de cuius ratione est tendere in ultimum finem, non pedibus corporis, sed affectibus mentis; hæc autem tendentia fit per charitatem: illa est enim quæ nos perducit, et unit cum Deo: ergo sicut in motu debet esse, progressus, et augmentum, donec accedatur ad terminum; ita et in charitate. Ideoque Apostolus 1º ad Cor. 12. charitatem viam nominat ibi: excellentiorem vobis viam demonstro. =

Sequitur S. Thom. non de potentia physica, quam habet charitas ut augeatur, sed de potentia morali, quam habet ex institutione divina, ut supposita eius divisibilitate, et latitudine graduali, hic, et non in patria possit augeri. Notanda sunt denique verba illa Articuli. Hanc autem propinquitatem facit charitas, quia per ipsam mens Deo unitur, quæ non excludunt totaliter actus aliarum virtutum, a ratione meriti, sed tantum indicant alios actus non ratione sui, sed ratione charitatis esse meritorios, quod est verum, ut suo loco magis declarabitur. =

Articul. quintus. Utrum charitas augeatur per additionem.

Ad

Ad quintum sic proceditur. Videtur quod Charitas augeatur per additionem. Sicut enim est augmentum, secundum quantitatem corporaliter, ita secundum quantitatem virtualem. Sed augmentum quantitatis corporalis fit per additionem. Dicit enim Philosophus in primo de generatione, quod augmentum est praexistenti magnitudini additamentum: ergo etiam augmentum charitatis, quod est secundum virtualem quantitatem, erit per additionem.

2.° Praeterea, Charitas in Anima, est quoddam spirituale lumen, secundum illud 1. Ioan. 2. qui diligit fratrem suum, in lumine manet. Sed lumen crescit in aere per additionem, sicut in domo lumen crescit alia candela superaccensa: ergo etiam charitas crescit in anima per additionem.

3.° Praeterea, augere charitatem, ad Deum pertinet, sicut et ipsam creare, sicut et illud 2. ad Cor. 9. augebit incrementa frugum iustitiae vestrae. Sed Deus primo infundendo charitatem, aliquid facit in anima, quod ibi prius non erat: ergo etiam augendo charitatem aliquid ibi facit, quod prius non erat, ergo charitas augetur per additionem.

Sed Contra est, quod Charitas est forma simplex; simplex autem additum simplici, non facit aliquid maius. ut probatur in 3. Physic: ergo charitas non augetur per additionem.

Respondeo dicendum, quod omnis additio, est alicuius ad aliquid. Unde in omni additione oportet saltem praeintelligere distinctionem eorum, quorum unum additur alteri ante ipsam additionem: Si ergo charitas addatur charitati oportet praesupponi charitatem additam, ut distinctam a charitate, cui additur, non quidem ex necessitate secundum esse, sed saltem secundum intellectum. Posset enim Deus, etiam quantitatem corporalem augere, addendo aliquam magnitudinem, non prius existentem, sed tunc creatam: quae quamvis prius non fuerit in rerum natura, habet tamen in se, unde eius distinctio intelligi possit a quantitate, cui additur: si ergo charitas addatur charitati, oportet, praesupponere ad minus secundum intellectum distinctionem unius charitatis ab alia. Distinctio autem in formis est duplex. Una quidem secundum speciem, alia autem secundum numerum: distinctio quidem secundum speciem in habitibus, est secundum obiectorum diversitatem, distinctio vero secundum numerum, est secundum diversitatem subiecti. Potest ergo contingere, quod aliquis habitus per additionem augeatur, dum extenditur ad quaedam obiecta, ad quae prius se non extendebat. Et sic augetur scientia Geometriae, in eo qui de novo incipit scire aliqua geometricalia, quae prius nesciebat. Hoc autem non potest dici de charitate: quia etiam minima charitas, se extendit ad omnia illa, quae sunt ex charitate diligenda. Non ergo talis additio in augmento charitatis potest intelligi, praesupposita distinctione secundum speciem charitatis additae ad eam, cui additur. Relinquitur ergo, quod si fiat additio charitatis ad charitatem, quod hoc fiat, supposita distinctione secundum numerum, quae est secundum diversitatem subiectorum: sicut albedo augetur per hoc, quod album additur albo: quamvis hoc augmento non fiat aliquid magis album. Sed hoc in proposito dici non potest, quia subiectum charitatis, non est nisi mens rationalis. Unde tale charitatis augmentum fieri non posset, nisi per hoc, quod una mens rationalis alteri adderetur: quod est impossibile, quamvis etiam si esset possibile tale augmentum faceret maiorem diligentem: non autem magis diligentem. Relinquitur ergo, quod nullo modo charitas augeri potest per additionem charitatis ad charitatem, sicut quidam ponunt, Sic ergo charitas augetur solum per hoc, quod subiectum magis ac magis participat charitatem, idest, secundum quod magis reducitur in actum illius, ac magis subditur illi. Hic enim est augmenti modus proprius cuiuslibet formae, quae intenditur

dibur, ex quod esse huius formae totaliter consistit in eo, quod insit susceptibili. Et ideo cum magnitudo rei consequitur esse ipsius formae, formam esse maiorem, hoc est eam magis inesse susceptibili, non autem aliam formam aduenire. Hoc enim esset, si formam haberet aliquam quantitatem ex se ipsa, non per comparationem ad subiectum. Sic ergo, et charitas augetur per hoc quod intenditur in subiecto, et hoc est ipsam augeri secundum essentiam. Non autem per hoc, quod charitas addatur charitati =

Ad primum ergo dicendum. Quod quantitas corporalis, habet aliquid in quantum est quantitas, et aliquid in quantum est forma accidentalis. In quantum est quantitas, habet quod sit distinguibilis secundum situm, et secundum numerum: et ideo hoc modo consideratur augmentum magnitudinis per additionem, vt patet in animalibus. In quantum vero est forma accidentalis est distinguibilis solum secundum subiectum. Et secundum hoc habet proprium augmentum, sicut et aliae formae accidentales per modum intensionis eius in subiecto: sicut patet in his quae rarefiunt. vt probatur in 4. Phisic. Et similiter scientia habet quantitatem in quantum est habitus ex parte obiectorum: et sic augetur per additionem, in quantum aliquis plura cognoscit. Habet etiam quantitatem in quantum est quaedam forma accidentalis, ex eo quod inest subiecto. et secundum hoc augetur in eo qui certius eadem scibilia cognoscit nunc, quam prius. Similiter etiam et charitas, habet duplicem quantitatem, sed secundum eam quae est ex parte obiecti non augetur, vt dictum est. Vnde relinquitur, quod per solam intensionem augeatur. =

Ad 2um. Dicendum quod additio luminis ad lumen potest intelligi sic: quod intenditur in aere propter diuersitatem luminarium causantium lumen, sed talis distinctio non habet locum in proposito: quia non est nisi vnum luminare influens lumen charitatis. =

Ad 3um Dicendum quod infusio charitatis importat quandam mutationem secundum habere charitatem, et non habere. Et ideo oportet, quod aliquid adueniat, quod prius non infuit. Sed augmentatio charitatis importat mutationem secundum magis, et minus habere: et ideo non oportet quod aliquid insit, quod prius non infuerit: sed quod magis insit, quod prius minus inerat. Et hoc est quod facit Deus charitatem augendo, scilicet, quod magis insit, et quod perfectius similitudo spiritus sancti participetur in anima. =

Posito quod charitas augetur, procedit S. Thom. quaerens modum huius augmenti, primo quam in hoc articulo de augmento Phisico, seu graduali disputat, et postea de augmento morali ex vi meritorum. Primo difficultas est pure phisica omnibus qualitatibus intensibilibus communis, valde tamen celebris, et scitu digna. Secunda est theologica, vtraque tamen in hoc loco absoluo, eius que oppositoribus circumscribitur =

Disputatio 38. de augmento charitatis intensiuo seu graduali. ~

Primo corrigendum existimo titulum, quo multi iuniores hanc difficultatem proponunt. An, scilicet charitas, vel qualitas augeatur per additionem gradus ad gradum, vel per maiorem in subiecto radicationem; seruata enim omni verborum proprietate, omne quod augetur, per additionem augetur: si est augmentum quantitatiuum per additionem partis ad partem et si est intensiuum, et graduale per additionem gradus ad gradum: si ergo omnes conueniunt charitatem

ritatem intensiue, suscipere que plures intensionis intensionis gradus, et que antea erat charitas ut qualitas augeri de nouo usque ad sextum, vel octauum gradum, quomodo potest hoc supposito, in quaestionem verti, An augeatur per additionem gradus ad gradum? id ergo supponi debet et nunc quaeri, quo pacto, hoc additio fiat. An per additionem alicuius entitatis, aut qualitatis, aut formae partialis. (his enim terminis utitur semper S. Thom.) An, per solam maiorem radicationem, aut insertionem simplicis formae in subiecto. vel si libeat uti voce additionis, quia incomplexa est, et accommodata, dum non addatur gradus ad gradum, erit titulus recte appositus, et sic illum inscribit Angelicus Doctor in hoc articulo. Nam additio absolute prolata stat principaliter pro entitatiua, tamquam pro famosiori significato, et analogice significat gradualem, in sententia quae asserit fieri per solam maiorem radicationem. Dubitari ergo potest, an, charitatis augmentum fiat absolute per additionem, quia tunc entitatiuam significat, non vero per additionem gradualem, quia iam restringitur ad analogam, quae negari non potest, sicut nec quod charitas augeatur, ac proinde tam certo una sicut altera assertio supponi debet. Sit ergo:—

Sectio 1.ª Fiat ne intensio per corruptionem gradus remissi, et aduentum perfectioris.

Primam sententiam sic affirmatiuam docent Duran. in 1.º dist. 17. q.ª 1. Gotfred quodl. 7. q. 7. et quodlib. 11. q.ª 18. Refertur etiam pro illa Gilb. Porret. et Auicena. quae oppinio non est ita improbabilis ut aliquibus iunioribus apparet. Imo facilius vitare videtur inconuenientia postea obijcienda contra alias opiniones: fundatur que primo in impugnatione aliarum, arguens a sufficienti partium enumeratione.—

Secundo in ethimologia vocis: latitudo enim gradualis, seu graduum promotio, vel augmentum proprie, ascensus quidam successiuus est; et gradus, ascensiones quaedam sunt quae successiue peragrari postulant. ut constat in schala quae ascenditur nobis locali per eundem semper ubi, et gradu inferiori, quando ascenditur ad superiorem. Proportionabiliter etiam scala spiritualis, et gradus in omni materia, ascensiones quaedam sunt alicuius ab statu imperfectiori, ad statum perfectiorem. Cum venit autem status perfectus, euacuatur imperfectus. sic ergo aiunt gradus qualitatis successiue ascendunt, euacuanturque imperfectiones, quando perfectiores adueniunt. Specialiter de charitate est illud psalm. ascensiones in corde suo disposuit. Et illud Pauli. Cum venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Nec obstat illud eiusdem 1.ª Cor. 13. Charitas numquam excidit. quia non est deficere, commutari in meliorem, et taliter, quod nec unico instanti subiectum charitate priuetur, sed immediate gradui remisso, succedat intensior. Sicut enim in ente successiuo licet partes priores praeteritae iam sint, dicitur nihilominus durare, et permanere absolute, ratione partium subsequentium, in quibus existit: sic fluuium, manere dicitur, etsi aquae, aquis continuo fluxu succedant: ergo charitas potiori iure, numquam excidere dicetur, ratione gradus intensioris in quo non deficit, imo perficitur, in eo que virtualiter eminenter que formaliter continebatur.—

Probatur 3. hoc opinio ex communi Philosophorum sententia, qui gradus intensionis semper refugiunt partes appellare, quia solius quantitatis sunt proprie, proprium autem partium est componere; graduum vero non nisi ascendere, vel ab inferiori ad superiorem gradum promouere

uere. Generaliter enim contra rationem, et consuetum naturae ordinem, est statim perfectum, cum imperfecto coniungere, ac componere, sed quod imperfectum erat, perfectiori adveniente: ergo sic de graduum ascensione est semper philosophandum. Nam (ultra quamquod adversarii plurimas difficultates circa eorum unionem, et compositionem inter se, ac distinctionem a quantitate, et extensione, quibus maxime laborant Authores oppositi) cum gradus remissus contineatur eminenter in perfectiori, adveniente illo, superfluit ille manifeste; ad quid ergo permanet in rerum natura, et cum alio componit unum tertium? quae ratio contra asserentes gradus esse etherogeneos, et inferiores, ac superiores ex natura sua, est satis convincens. =

Denique probatur. quia terminus a quo, et ad quem, in omni motu, ita videntur pugnant et repugnent simul: ergo in intensione, quae est verus motus appositivus in positivum, terminus a quo est qualitas remissa, et terminus ad quem qualitas intensior: ergo adveniente ista destruitur illa, contrario in remissione terminus, qui est qualitas intensior desinit, et loco illius, et terminus ad quem succedit remissa. Patet quae assimili, de augmentatione, et diminutione. =

~ Quibus se defendat haec opinio ~

Ostendi quibus armis opposita feriat, nunc quibus acie[illegible] se protegat, declaro. Argumentatur contra illam primo, ratione desumpta ex S. Th. in 1o dist. 17. q. 2. art. 1o quae sic potest ad formam reduci. Nulla forma absoluta destruitur, nisi vel ex contrario agente, vel per accidens ad corruptionem subiecti, vel propter absentiam causae conservantis, ut accidit in luce quae corrumpitur propter absentiam solis: ergo in intensione non destruitur gradus remissus quando advenit intensior. Antecedens patet generali inductione. Et consequentia probatur. quia ibi non est agens contrarium, ignis v.g. quando intendit calidum, sed potius illud respicit, ut sibi simile, et sicut ignis non corrumpit alium ignem; sic nec calor productus, calorem praeexistentem. Nec subiectum corrumpitur ut supponitur, nec deest causa conservans, potius adest, cum ignis calorem conservet: ergo ex nullo capite gradus remissus expellitur. =

Secundo. quia si in intensione corrumpitur forma remissa, ad productionem intensioris: ergo e contra in remissione ad corruptionem formae intensioris producetur forma remissior. Hoc autem est aperte falsum, nam aqua callida, cum removetur ab igne, et tepefieri incipit expellendo quintum caloris gradum, non habet in se virtutem, ad producendum quartum, nec adest ignis a quo procedat, neque est aliud agens, cui rationabiliter tribui possit talis effectus, nec ad causam primam recurri potest in re tam frequenti, et quotidiana: absurdum quae saepe esset, quando scilicet habitus vitiosus remittitur: ergo omnino improbabilis est dicta opinio. =

Ad haec ipsa respondetur. quod naturaliter cum venit, quod perfectius est, evacuatur imperfectius, et sic gradus remissus desinit ad praesentiam intensioris, in naturali hac ascensione seu graduatione, atque adeo, agens introducens gradum intensiorem, expellit remissum, quia licet non sint rigorose contrarii, sunt naturaliter incompossibiles, nam cum imperfectius contineatur in perfectiori, et natura abhorreat superflua, desinit ille conservari ab authore naturae, quia non debetur iam amplius concursus conservativus. Nec potest sic cum illo componere, quia sunt formae simplices, ut supponitur, et generaliter imperfectum desinit, adveniente perfecto. Unde utrumque potest cadere sub eodem agente, quod successive ab imperfectioribus ad perfectiora ascendit. Sic in hominis generatione, prius fit in eo forma embrionis, postea forma plantae, et

Animalis

et animalis, et denique forma hominis, priori pereunte, quando posterior succedit.

Ad secundum quando aqua frigida calefit, facile respondetur, quod cum expellitur frigiditas ut octo v.g. ad introductionem caloris, emanat statim frigiditas ut septem ab ipsa substantia aquę, quę suę naturali providens conservationi, continua emanatione qualitatum illam ex suis viribus effundit; et si invenit subiectum impeditum aliquo gradu contrario effundit frigiditatem, quę cum tali gradu caloris est compossibilis, et sic in similibus exemplis, quando agens adest, quod possit gradus remissos producere. quando autem nulla causa videtur adesse ut in casu proposito, quod aqua remoto igne, frigefieri incipit, et amittens quintum gradum, quartum adquirit. Respondet ex quinto gradu, naturaliter quartum procedere, quia inferior virtualiter in perfectiori continetur, et videns seipsum conservare non posse ad presentiam contrarij, gradus quintus loco sui relinquit quartum ad conservationem suę speciei in quantum potest. Nec debet esse mirum, quod in eadem parte subiecti producat. hoc enim in omni emanatione contingit, si potest in alieno subiecto, cur in eodem non poterit, cum in distantia potius possit, quam obsit, et aperitur in omni potentia, cum ex se, et ipse producit suos actus.

Dices, si esset possibilis productio caloris, ab alio existente, in eodem subiecto, semper sic contingeret, numquam que agens extrinsecum ad hoc expectaret, quod experientia quotidiana nos docet. Sed facile ad hoc dicitur. id circo calorem in alijs casibus, in suo subiecto non similem calorem efficere, quia invenit passum assimilatum, et natura abhorret superflua, accidentia que solo numero diversa. At in casu, de quo est sermo, ordinatur productio illa, non ad superflue repetenda accidentia, eiusdem speciei, sed ad vitandam omnimodam extinctionem speciei in illo subiecto, et si invenit tunc calor, pro illo instanti quo producit passum pene assimilatum, non in statu pacifico, sed iam in via corruptionis, mori incipiens ad presentiam contrarij, et tunc natura sicut in alijs casibus, non agit in actum, ut vitet superflua. In hoc agit, ut non deficiat in necessarijs.

Sextus iuditium de hac opinione.

Licet ingeniosus quisquis illam posset probabiliter sustinere, in oppositum est authoritas S. Thom. et omnium discipulorum eius, schola aqua tamquam via regia, et trita minime est recedendum. In hoc articulo docet, ex professo S. Thom. intensionem charitatis non consistere, in hoc, quod charitas addatur, vel adveniat charitati, sed in hoc quod subiectum magis, ac magis, participet charitatem; idest secundum, quod magis reducitur in actum illius, ac magis subditur illi. vel ut inferius in hoc, quod magis insereat, et intendatur, seu radicetur in subiecto, ut latius in sequentibus exponam. Sic etiam cap. 2 q. 52. art. 2. et q. 66. art. 1. et in 1. dist. cap. 1 q. 2. art. 1. ubi sic ait. Alij dixerunt, quod charitas essentialiter, non augetur, sed adveniente maiori charitate, minor charitas quę inerat destruitur. Hoc autem stare non potest. Ex quibus verbis colligitur, optima ratio contra hanc opinionem. Nam ex illa sequeretur, quod charitas non augeretur vere, et proprie; sed transiret ex inferiori ad superiorem statum, sicut in exemplo adducto de generatione hominis minime augmentum consideratur ex hoc quod gradatim ex forma embrionis ad formam plantę, et ex hac ad formam animalis, et tandem ad formam hominis ascendet: taliter ergo debet exponi graduatio charitatis, quod simul cum intensione et augmento consistere

possit.

possit, et de illo verificari: ergo cum hoc non doceat, predicta sententia, sed purum ascensum explicat per formas totales, minime admitti debet. =

Secundo arguitur contra illam. quia intensio sepe fit continuus, computaturque inter motus ab Aristot.e, et Phisicis: ergo terminus eius partes continuas habere debet, ut illi possit correspondere, sed talis continuatio inter formas totales, et simplices, minime potest intelligi, presertim cum sint diversę rationis, et minime tertium aliquod componentes, imo hoc totis viribus intendit hęc opinio excludere: ergo minime compatitur cum intensione, sic graduationis modus. =

Tertio arguunt quidam iuniores. quod cum ordo supernaturalis, sepe naturalem ostendat, potest non levis ratio ex sacramento Eucharistię sumi ad huius confirmationem. Ibi enim sepe intenduntur accidentia panis ac vini consecrati, et tamen non corrumpuntur post consecrationem: ergo intensio, non consistit in hoc quod gradus remissus corrumpatur, adveniente intensiori. Minor in qua est difficultas probatur. quia ut communiter docent Theologi, desineret ibi corpus Christi, quia cum tandiu, et non amplius duret sub speciebus, quandiu eadem numero accidentia illius durant (nam sicut substantia panis, est hęc numero et non alia; sic petit ad sui conservationem, hęc numero accidentia) hinc est, quod etiam corpus sub illis speciebus desineret esse si per intensionem corrumperentur, et mutarentur in alias. =

Sed hęc ratio parum urget. quia solum probat de accidentibus requisitis, ad conservationem substantię panis; ex corruptione enim horum, sicut desineret esse panis, sic et corpus Christi, cętera vero quę experimur in Eucharistia, intendi, aut remitti v.g. quod hostia sit magis, aut minus humida, aut alba, aut similia, nec variarent substantiam numericam panis, ac proinde nec inferunt desitionem corporis Christi sub illis. =

Fundamentis oppositis satis fit.

Ad argumenta in oppositum adducta, constabit ex sectionibus sequentibus, solum probare contra opinionem, quę partes vere componentes intensioni attribuit, contra quos etiam pugnabimus, in quantum vero nobis potest opponi. = Respondetur taliter ascensum, et scalam graduum exponi debere, ut intensionem, et augmentum verificet, et non propter excludendam partium compositionem, neganda est augmenti, et intensionis natura, ut facit dicta opinio, plures ponens formas simplices et totales, invicem succedentes. =

Ad ultimum respondetur solum convincere per intensionem expelli a subiecto qualitatem remissam, non quoad entitatem, sed quoad modum remissionis, nam qualitas intensa, et remissa, solum penes diversos modos differunt, maioris, et minoris radicationis in subiecto, ut postea fusius declarabo. satis autem est ad motum, quod sit appositio impossibilium, sive sint modi, sive res. =

Sectio 2.a Fiat ne intensio, additione novę entitatis aut partium.

Secunda sententia satis celebris intensionem charitatis, et aliarum docet fieri per gradus entitativos, et rigorose distinctos, et veluti partes unam formam simul componentes

ponentes. Docet Scotus, in 1º. dist. 17. qº. vltima, et omnes eius discipuli. S. Bonau. in 3ª parte dist. 191. Art. 1º. ad 3um. et generaliter omnes Patres Iesuitae. Suar. Basquez. Rubius. Granado Hurtado, et multi alij iuniores, qui D. Thomam in sui patrocinium afferre contendunt, in vanum vero, vt ius bo ostendemus. Probant primo ex verbis illis Arist. 4. Phisicor. text. 85. Sicut ex frigido, fit calidum, et ex calido frigidum, quia eadem est quae erat in potentia, sic ex calido magis calidum. Ex quibus haec ratio deducitur; sicut prima actio calefactionis (qua ex frigido fit calidum) habet pro termino formali entitatem, et partem determinatam caloris, sic secunda qua intenditur, et augetur, et ex calido fit magis calidum, suum proprium, attingit terminum, ac proinde nouum calorem partialem. Probatur quia alteratio, seu intensio est verus motus; et actio realis ad qualitatem terminata: ergo ex illa aliquid resultat de nouo productum in subiecto, sed non forma totalis, vt contra praecedentem opinionem demonstrabimus: ergo forma partialis, praeexistenti addita, et illa augens. =

Confirmatur a simili de augmento secundum quantitatem, in quo pars additur parti, et noua actio, nouum terminum partialem secum affert: ergo in augmento intensiuo qualitatis, quae quantitas virtualis est, idem proporcionabiliter accidit =

Huius sententiae fundamentum diluitur

Sed nec Arist.lis authoritas, nec ratio haec, quae fundamentum est potissimum huius sententiae, aliquid vrgent. Nam paritas Philosophi, stat in hoc, quod sicut quando ex calido fit frigidum, idem est susceptiuum vtriusque contrarij; absque additione nouae partis materiae, sic quando ex calido fit magis calidum. Praeterea, sicut prima actio calefactionis, habet pro termino formali, entitatem caloris: sic secunda actio augens, et intendens illum, sed non est adeo necessarium, quod aliquam partem illius de nouo producat. Satis est quod nouo modo, postea explicando, eandem formam respiciat. Sic enim in Philosophia dicitur quod licet per generationem hominis, nec forma, nec materia producantur de nouo, quia iam per creationem ante supponuntur, nihilominus forma dicitur terminus formalis illius, quia attingitur vt vnibilis per illam actionem, licet non sub ratione producibilis, nam ad hoc, quod aliquid sit terminus formalis, solum requiritur quod sit forma totalis per se intenta, per actionem, siue producatur entitatiue, siue non, sicut totum compositum dicitur terminus totalis, et si omnes partes illius ante actionem praeextiterint. Sic etiam materia de trinitate dicimus, processiones diuinas respicere, diuinitatem ipsam, vt terminum formalem, et si penitus incapax sit productionis. Et materia de Incarnatione, quod licet sit actio pure vnitiua verbi diuini, cum humanitate praeexistenti, habeat pro termino formali humanitatem ipsam, quam satis est respicere sub illo vnionis modo: sic ergo paritur, et si per calefactionem primam, tota qualitas, et forma caloris supponatur producta, potest sub nouo modo vnionis, et maioris radicationis in subiecto, nouam actionem intensiuam terminare. = Hunc modum, quaerunt Aduersarij. Sed postea dabo illum. Interim confirmo hanc doctrinam, expressa authoritate S. Thom. hic ad 3. et 1º-2ae. qº 52. Art. 2. ad 3. vbi, proponens fundamentum oppositae sententiae. Respondet dicendum. quod id quod nondum est album, est in potentia ad formam ipsam tanquam modum habens formam: et ideo agens causat nouam formam in subiecto, sed id quod est minus calidum, aut album, non est in potentia ad formam, cum iam albi formam

habeat

habeat; sed est in potentia ad perfectum participationis modum: et hoc consequitur per actionem agentis. Idem docet ad secundum.=

Intensio cum extensione in hac sententia confunditur.

Ad argumentum a paritate augmentationis quantitatis, potius est contra illos. Nam in hoc ponenda est necessario disparitas inter intensionem, et extensionem, cuius prima et essentialis differentia stat in hoc; quod haec est distinctio partium integralium (sic definitur) illa vero minime, et si intensio dicitur quantitas virtualis, ut contendunt authores oppositi, tribuant illi partes virtuales, et admittemus illas, et non formales, in quibus non consequenter arguunt. Quapropter, retorquendo argumentum oppositum, primo, ac principaliter insurgo contra dictam sententiam. Quia nullum discrimen ponit inter extensionem, et intensionem. Quantitas enim definitur, quod sit distinctio partium, sive sint eiusdem, sive diversae rationis: ergo si in qualitate est similis partium distinctio, compositio et numerus, nulla erit differentia.=

Dices, partes quantitatis, sunt impenetrabiles in eodem loco; una enim extra aliam est, sicque eius definitio est, quod habeat partes extra partes, et gradus qualitatis habent naturaliter esse in eodem loco, et in eadem parte indivisa subiecti, ratione cuius, unus est intra alium, et non extra. Sit ita. Sed ad minus non effugiunt rationem extensionis entitativae, qualem tribuunt partibus substantiae, et aliorum accidentium, seclusa quantitate, quae etiam est sine dubio valde diversa ab intensione, et latitudine graduali.=

Gradus isti, non sunt eiusdem rationis.

Quod amplius sic declaro. Nam gradus isti, seu partes entitativae diversae, vel sunt eiusdem rationis, vel diversae. Si hoc secundum, erunt species diversae. (Sic enim arguit S. Thom. hic et 1.2. q. 52. art. 2.) quod est contra omnes Philosophos asserentes, intensionem, vel suscipere magis, et minus esse proprietatem qualitatis specificae, gradusque illius esse magis, et minus intra eandem speciem. Si primum, iam solum extensive augent perfectionem qualitatis, sicut partes aquae, aut cuiuslibet substantiae, ac proinde intensive non conferrent subiecto maiorem perfectionem, et activitatem, plures illi gradus, quam tribuunt plures calores, ut unum dispersi in pluribus subiectis; et quam praestarent, si coacervarentur in eodem subiecto, quod est plane falsum. Si enim coacervatio plurium partium eiusdem rationis in eodem subiecto posset maiorem perfectionem efficere, posset Deus quantitatem imo et formam substantialem intensibiliter efficere, quod nullus concedet.=

Sequeretur rursus, quod latitudo gradualis posset sincathegorematice in infinitum crescere, quod est manifeste contra experientiam. Probatur sequela. Nam gradus eiusdem rationis, non habent ex natura sua certam aliquam pluralitatem: sicut nec partes quantitatis, nec individua cuiuslibet speciei; nec gradus qualitatis in diversis subiectis; ergo nec in eodem subiecto, quia cum unus sit intra alium, ex parte ipsorum non re=

pugnant

pugnant esse plures, sic nec ex parte subiecti.

Sequeretur item, quod sicut calor ut unum potest efficere infinitos calores ut unum in diversis subiectis, possit in eodem, quia cum gradus sint eiusdem rationis, et non repugnant simul, non est, quare repugnet calori ut unum, illos simul producere in eodem subiecto. Hoc autem et contra experientiam est, et contra communem philosophorum doctrinam asserentium non agere in passum, iam sibi assimilatum. Cuius conditionis, ratio a posteriori fuit illata, ex eo quod nullum potest repetere, quidquid eiusdem rationis invenit iam productum.

Dices. Duo habentes virtutem ut quatuor, possunt portare pondus ut octo, et tamen quatuor gradus unius sunt eiusdem rationis cum gradibus alterius: ergo gradus eiusdem rationis possunt perfectius. Respondetur esse discrimen, quod magnitudo ponderis, non est solum gradualis, seu intensiva, sed extensiva existens in diversis partibus subiecti. Si enim lapis v.g. conteratur, non manebit tanti ponderis, et proinde virtus extensiva est sufficiens portare illud.

Verificarentur denique de intensione, quidquid de extensione dicitur, quod esset divisibilis, in semper divisibilia: quod partes eius copularentur termino communi, quod constet etiam ex indivisibilibus, supponentibus continuativis, et terminativis, quae et similia fatentur Suarez et alii, tom. 2. Methaph. disp. 46. sect. 1a. et 4a. Nec possunt negari, quia necessum est gradus illos partiales inter se uniri: vel ergo se habent ut actus, et potentia unius respectu alterius, quod nemo dicit, quia unus non se habet ut materia, et alter ut forma: ergo solum copulantur termino aliquo communi, sicut partes quantitatis continuae. Ex quo tandem concluditur, quod habeant veram extensionem. Patet sequela: quia extensio non est aliud, quam habere partes extra partes, sic enim ab omnibus deffinitur, ad hoc autem quod una pars, sit extra aliam, non requiritur, quod sit extra locum alterius nam Christus in Eucharistia suam retinet extensionem, et quantitatem, et tamen illius partes sunt intime in eodem loco, et indivisibili: satis ergo est, quod entitas unius, extra entitatem sit alterius, per unionem illam, qua inadequate copulantur solum in indivisibili seu termino communi, in quo differunt partes substantiales, a partibus quantitativis. Materia enim unitur realiter adequate cum forma, et forma cum materia, ideoque una est realiter intra aliam, illique se totam unit. Partes vero quantitatis solum quoad extremitates, et indivisibilia copulantur, ac proinde quoad reliquam entitatem ipsarum, una extra aliam manet: si ergo distinctio, et compositio graduum, est solum in indivisibili seu termino communi, tota illi convenit extensionis, imo et quantitatis natura.

Modus quidam exponendi compositionem graduum caeteris probabilior

Hanc sententiam, aliquando disputationis gratia, et ut alicui patrocinarer assertionibus publicis, defendere compulsus. Hunc modum excogitavi in expositione unionis, ac compositionis graduum, uniri scilicet, non inadequate in aliquo termino communi, ut iam improbavi, sed se totis immediate, et adequate, ita ut unus totaliter sit intra

aliam

alium, quo excluditur extensionis ratio. Haec autem unio non est per modum actus, et potentiae, nisi tantum respectu subiecti, cui omnes gradus immediate uniuntur, inter se autem solum habent naturalem subordinationem, ac connexionem per se, quia sunt etherogenei: gradus enim secundus, naturaliter excedit primum, in perfectione, et tertius, secundum, et octavus, quartus. Loquor de naturalibus, nam de charitate disputabimus suo loco. An crescere possit in infinitum, ita ut nullus gradus determinatus possit assignari, ultra quem ascendere non valeat. =

Sic explicatur modus unionis, discernitur satis intensio ab extensione: explicatur quae optime, qua de causa specialis intensionis modus consistat in hoc, quod eadem forma, magis radicetur, in subiecto, vel magis illi adhaereat, vel ab illo participetur, ut seppissime repetit S. Thom. quia scilicet omnes gradus immediate inhaerent subiecto, non unus mediante alio. Quemadmodum enim arbor, non solum dicitur in terra radicari magis, ac magis, qualenus profundius in ea immergitur, sed etiam quia plures ipse radices habet partialiter, et entitative distinctas, secundum quas terrae affigitur; sic qualitas tanto magis in subiecto radicatur quanto pluribus gradibus realiter diversis illi inhaeret. Ideo consulto abstinet S. Doctor, voce additionis gradus ad gradum, et semper explicat formam, eatenus intendi, quatenus subiectum magis participat de illa, ut doceat unionem graduum, non esse immediate eorum inter se, medio aliquo indivisibili, aut termino communi, vel per modum quo inter se connectuntur actus, et potentia, sed mediante subiecto, cui omnes immediate uniuntur, tamquam actus perfectivi illius. Ideoque semper in ordine ad subiectum debet explicari latitudo haec gradualis, seu maioritas intensiva, quia est correlativum immediatum, unionis omnium graduum. =

Declaratur amplius haec unio, et compositio graduum.

Dices: si gradus inter se unionem non habent, sed tantum cum subiecto, eandem habent dulcedo, et albedo, et alia accidentia specie diversa, et disparata: ergo unio graduum cum subiecto, non sufficiet illos inter se ita unire, sicut requiritur ad hoc quod constituant formam per se unam. Rursus, si inter se unionem non habent, unus entitative extra alium erit sicut requiritur ad extensionem continuam, vel discretam. = Sed ad hoc secundum facile respondetur. Principio illo communi. quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Eo enim ipso, quod gradus sunt realiter affixi eidem parti indivisae subiecto, sunt mediante illo inter se uniti, ac proinde intra se invicem, ita ut unus extra alium exire non possit, sicut ad extensionem requiritur. =

Ad primum, quod dificilius est. Respondetur. Dupliciter duo aliqua uniri in aliquo subiecto. Primo, ita ut unio inter se sit per accidens, quamvis resultet ex unione per se amborum cum uno tertio. Et sic albedo, et dulcedo, et si quaelibet cum subiecto per se constituat unum tertium, inter se tamen omnino per accidens, uniuntur, et mediante subiecto: quia non componunt aliquam formam, per se unam, eo quod sunt propria diversarum operationum totalium. Sic (ut in materia de incarnatione dicitur) licet divinitas, et humanitas Christi Domini per se uniantur immediate eidem supposito, et quaelibet cum illo substantiam per se unam efficiat, inter se tamen, nullam unionem immediatam per se dicunt, eo quod, manent inter ipsas naturae completae, operationes attingentes valde diversas, et cum ab illis sumatur specificatio naturae, sicut operationes sunt totales, et completae diversae; sic naturae. Secundo autem uniri possunt

duo

duo aliqua in aliquo subiecto, eo quod sunt aliquomodo partes, perse et ex natura sua ordinatae ad componendam unam formam unius operationis illicitam, sicut corpus, et anima christi uniuntur ad exercendas operationes humanas, et sic efficiunt naturam perse unam, quia constituunt unam radicem, et principium suarum operationum. Haec autem partium unio potest esse multiplex, vel se habent ut actus, et potentia, sicut materia, et forma, vel copulantur solum termino communi media quantitate, sicut partes integrantes. Vel habent perse connexionem ex natura rei ita ut sint institutae ad unum finem, per se naturae, sicut sanitas, et pulchritudo, quas admittit peripatetica schola esse qualitates perse unas, et tamen ex pluribus accidentibus constant, non inter se immediate unitis praeter proportionem, quam dicunt, ad subiectum, perse tamen connexis, et ordinatis ad tertiam aliquam formam in corporibus constituendam. Ad hunc ergo modum gradus intensionis, et si non sint inter se immediate uniti, sunt inter se ordinati, et instituti a natura ad easdem operationes exercendas, coniunguntur que perse in ratione unius, eiusdemque principii respectu illarum, ad quod satis fuit inexistentia eorum in eodem subiecto, in quantitate discreta, et in extractis considerant metaphisici, ordinem, et unionem perse, quanto magis in gradibus qualitatis. =

Haec autem licet sint subtiliter, et magis probabiliter dicta, possint que plura testimonia secum conciliare, non omnia ac proinde cum caeteris opinio haec reijcienda est, thomisticae doctrinae, et rationi adversatur, ut in sequentibus constabit sectionibus.

Sectio 3.a impugnatur ex mente S. Thomae omnis additio gradus, realiter diversi ex parte formae.

Quoniam Authores oppositi. S. Doctorem, conantur in sui patrocinium adducere, videntur mihi inutiliter, sic illius ostendetur oppositum. 1.o enim. q. de virtutibus, art. 11. sic ait. quidam existimaverunt, quod charitas, sive quaelibet virtus infusa, augeatur per additionem charitatis ad charitatem, vel virtutis ad virtutem, vel albedinis ad albedinem, quod omnino stare non potest. Et 1.a 2.ae q. 52. art. 2. augmentum habituum, aut aliarum formarum, non fit per additionem formae ad formam. Et in hoc articulo: relinquitur ergo, quod nullo modo charitas augeri potest, per additionem charitatis ad charitatem, sicut quidam ponunt. Sic que loquitur in 1.o dist. 17. q. 2.a art. 2. et semper quoties hanc difficultatem tractat =

His testimonijs respondent oppositi authores. Solum adversarij primam sententiam, quae asserit gradus esse formas, totaliter diversas, hancque reijcere S. Th. Nam illa haec additio dicitur absolute esse formae, ad formam, et qualitatis ad qualitatem, non autem excludit per illa verba additionem gradus partialis eiusdem formae, nam hic non dicitur forma aut qualitas in recto, sed pars illius. Sed si legantur omnia verba doctoris sancti apparebit luce clarius excludere omnem additionem etiam partis, aut entitatis partialis, nam in primo postquam dixerat, q. 2. art. 2. se non posse intelligere primam opinionem asserentem additionem charitatis ad charitatem, eam impugnans subdit: illa positio provenit ex falsa imaginatione, quia augmentum charitatis imaginati sunt ad modum augmenti corporalis, in quo fit additio quantitatis ad quantitatem. Ubi supponit hanc additionem partium

esse

ve ad modum augmenti quantitatiui, quod fit per extensionem partium, nec augmentum aliter intelligi potest, non enim augetur una species per aliam, nec unum individuum per aliud totaliter diversum, nisi tantum in numero, seu quantitate discreta: nemo de hoc dubitauit, aut quæstionem mouit, sed de augmento intrinseco, quo res intrinsece augetur, et perfectior efficitur, quod fieri nullatenus potest, nisi per partes unitas, et denuo intrinsece additas. =

Præterea, 1a. 2æ. q. 52. art. 2. Postquam dixerat hoc augmentum non fieri, per additionem formæ ad formam, sed per hoc quod subiectum magis, vel minus participet eamdem formam, hoc ex professo declarans, subdit, non tanquam formæ aliquid addatur, si enim per additionem intelligeretur huiusmodi augmentum in formis, hoc non posset esse, nisi vel ex parte ipsius formæ, vel ex parte subiecti. Negatiua illa universalis, non tanquam formæ aliquid addatur; abstrahit ab hoc, et parte. postea impugnans augmentum ex parte subiecti, expresse loquitur, et supponit sermonem esse de additamento per modum partis. =

Denique in hoc articulo, euidentius constat, quam universaliter loquatur illis verbis. Respondeo dicendum quod omnis additio est alicuius ad aliquid. unde in omni additione oportet saltem præintelligere distinctionem eorum, quorum unum additur alteri. Postea inferius prosequitur, assumens principium illud, quod in sua doctrina est commune, quod omnis distinctio est, vel secundum speciem, vel secundum numerum tantum. illam quæ tribuit formæ. Hanque materiæ, prout signatæ quantitate infinitis pene locis, scilicet 1a p. q3. art. 3. q. 30. art. 3. q 50. art. 4. q. 54. art. 3. ad 2. q. 56. art. 1o ad 2. q. 57. art. 4. et 7. 3a p. q77. art 1o. opusc. de ente et essentia. Et opusc. de natura generis. cap. 6. et 2. usque ad 7. et 1o contra gentes cap. 183. quorum verba non affero, quia præter quam quod, non sunt huius loci, sunt ita expressa, ut minime expositione indigeant, sed lectione tantum. In his ergo, et aliis, concludit aperte S. Doctor, tantum duplicem dari distinctionem, seu pluralitatem formalem, seu transcendentalem, quæ consequitur formam, et infert diuersitatem specificam, seu genericam, et materialem seu numeralem, quæ oritur ex quantitate, de cuius ratione est, quod sit distinctio partium eiusdem rationis, et quod tribuat illam substantiæ, cæterisque accidentibus. Hinc infert q 50. art 2. et 4. contra gentes cap. 65. inquit. quod substantia non habet partes, nisi ratione quantitatis, et quod remota quantitate, substantia omnis indiuisibilis est. Infert item repugnare plures angelos sub eadem specie, quia sunt materiæ et quantitatis expertes. Si ergo angeli inquit, 1a p. q. 53. art. 4. non sunt compositi ex materia et forma, sequitur, quod impossibile sit, esse duos angelos unius speciei, sicut etiam impossibile esset dicere quod essent plures albedines separatæ &c. =

Ex hac igitur doctrina, (quæ minime negari potest esse Doctoris Sancti, et Aristotelis quem sæpe ipse citat, ut late dictum in Logica, et metaphisica, et materia de Angelis) hæc ratio in præsenti formari potest, omnis distinctio, aut pluralitas realis, vel est formalis, seu essentialis, vel materialis, seu quantitatiua, nullam istarum habent gradus charitatis, aut cuiuslibet alterius qualitatis: ergo falsa est sententia quæ distinctionem hanc entitatiuam in eis ponit. Maior supponitur ex testimoniis dictis, et ex locis quibus demonstrari dixi, nam in hoc loco eius difficultates expedire non licet. Minor etiam constat, quia gradus non distinguuntur essentialiter, sed dicunt magis, et minus, intra eandem speciem, specialiter de charitate, nemo id negare audebit, nec distinguuntur ratione quantitatis, imo supponunt omnes intensionem et extensionem, esse modos longe diuersos: ergo in via d. Thom. talis distinctio realis, est omnino ficta, quia cum sit in plura eiusdem rationis, deberet ex quantitate oriri, ut ipse semper

docet

docet. Ponderanda sunt maxime ad propositum verba illa quarti libri Contrag.les cap. 65. in fine. Habet hoc proprium quantitas inter accidentia reliqua, quod ipsa secundum se individuatur; quia positio, quę est ordo partium in toto, in eius ratione includitur. Vbicumque autem intelligitur diversitas partium eiusdem speciei, necesse est intelligi individuationem, namque sunt unius speciei, non multiplicantur, nisi secundum individuum. Et postea concludit: et quia sola quantitas dimensiua de sui ratione habet, unde multiplicatio individuorum, in eadem specie possit accidere, prima radix huius modi multiplicationis ex dimensione esse videtur. Vnde constat non loqui solum de individuis completis, sed etiam de partialibus, nam ex hoc quod quantitas est distinctio partium eiusdem rationis, infert omnem individuationem ab illa tamquam a radice procedere, individua completa pertinent ad quantitatem discretam, et incompleta, seu partialia, ad quantitatem continuam, sepeque ex sola divisione continui, resultare individua completa, et discreta. Hinc infert etiam in eodem et in aliis locis, quod substantia, remota quantitate, et albedo similiter, et reliqua accidentia, manent indivisibiles, et quod repugnat esse plures albedines separatas, intelligit ex natura sua, quia individuantur a subiecto, prout quantitate signato: ergo charitas, et quęuis qualitas quantitatis expers omnino simplex, et indivisibilis est in plures gradus entitative diversos, et eiusdem rationis. Hinc ortus fuit communis modus loquendi, non solum in vulgi, sed etiam doctissimorum, qui quoties summum gradum qualitatis in aliquo declarare, aut exagerare volunt, dicunt, esse ipsa albedo, aut frigiditas, supponentes formam in abstracto, includere totam perfectionem possibilem, solumque a subiecto coarctari aut limitari =

~ Optima ratio contra compositionem, et unionem graduum. ~

Declaratur pręterea qualitas corporea, et si in ordine ad diversas partes subiecti, a quo individuatur, suas partes, et extensionem habeat, in ordine tamen ad divisam partem subiecti, nequaquam partes entitative diversas obtinet, quia nec formaliter, nec materialiter seu quantitative diversa, nec unitas per modum actus et potentię, nec termino aliquo communi copulatas =

Nec denique connexionem illam posse habentes, quam ultimus modus dicendi supra relatus proponebat, nam connexio seu adunatio posse graduum ad hoc instituerentur a natura, ut omnes ad aliquam operationem partialiter concurrerent, sed gradus isti non concurrunt partialiter ad actionem intensivam: ergo vana est connexio hęc posse, seu compositio quę in eis imaginatur. Maior constat, quia tantum hic potest esse naturalis finis huius institutionis, ut constat ex qualibet alia partium compositione (nam omne esse est propter operari, cum nihil sit in natura otiosum) Minor vero probatur. Quia vel gradus isti sunt omnino eiusdem rationis, et sic quilibet esset tantum calor ut unum, et coacervatio omnium tantum ad calorem ut unum concurreret, quia virtus in omnibus tantum, extensiue esset maior, non perfectior, ut patet, quoties duo, vel tria agentia, ęqualis virtutis concurrunt ad eundem effectum, quia experitur semper, non recipere ab omnibus, plures, aut perfectiores gradus a quolibet seorsim, vel gradus illi essent diversę rationis, ita ut secundus superet in virtute, et perfectione primum, et secundus secundum, et octavus, cęteros, et sic minus possunt simul concurrere ad eundem effectum: nam ad producendum v.g. calorem ut quatuor, sufficit calor ut quatuor, super-

fluë

fluit quoque primus et secundus, ac tertius gradus. Et si calor ut quatuor, potest calorem aeque perfectum efficere, poterit etiam, et alios gradus minus perfectos, quia eos virtualiter, et eminenter continet, in hoc enim consistit eius maior perfectio. quamvis enim in speciebus diversis non valeat argumentum: hoc est illa eminentia, ac perfectior. Angelus v.g. respectu hominis: ergo potest illum producere, quia non est virtualis continentia in uno respectu alterius, et quando perfectius, et imperfectius sunt intra eandem speciem, quae ipse virtutem habet ad sui propagationem, non est dubium quin perfectius virtualiter ipse contineat, et producat imperfectius; sicut vir imperfectus parvulum et vir integer et sanus mutilum, et infirmum: ergo sic calor ut quatuor, satis erit ad gradus inferiores producendos, iuxta dispositionem, aut resistentiam passi, ac proinde superfluunt gradus alij in rerum natura. Unde in hoc magis consequenter prima sententia Durand. Godefredi procedit, quod scilicet adveniente perfectiori gradu, perfectior abcedat, et corrumpatur, et si hoc etiam sua habeat inconvenientia, ut vidimus, sequitur absolute negari debere hanc graduum inentitativam distinctionem, ac compositionem. =

Quibus testimonijs Authores oppositi sanctum Thomam pro se adducant

Obijcit contraria sententia verba illa articuli quarti praecedentis ad tertium. quidam dixerunt charitatem non augeri secundum suam essentiam, sed solum secundum radicationem in subiecto, sed hi propriam vocem ignoraverunt &c. Idemque ait in 1°. dist. 17. q. 2. art. 1°. q. de virtutibus art. 11. ergo sentit charitatem augeri per additionem novae partis charitatis, quandoquidem augeri secundum essentiam, est augeri secundum propriam substantiam, et entitatem, quod intelligi non potest, sine additione novae partis illius essentialis: tantum ergo abest S. Th. hanc distinctionem graduum exclusisse, quod impugnat eos, qui dicunt solum per radicationem charitatem augeri, et non per essentiam. Sed eodem argumento adversarij probari possent charitatem ex mente S. Th. augeri in essentia, ac proinde essentialiter variari, per intensionem quod ipsi non concedunt, ac proinde, debent solvere idem argumentum. =

Respondetur ergo in primis, ipsum sanctum Doctorem, se explicuisse quodlib. 9. q. 6. art. 1°. illis verbis. Sciendum est. quod hoc propositio, secundum, inter alias habitudines quas importat quandoque denotat subiectum. ut cum dicitur, iste est albus, secundum pedem, quia pes est subiectum albedinis, quandoque denotat formam, ut cum dicitur, iste est coloratus, secundum albedinem: et postea concludit. Sic ergo cum dicimus charitatem secundum essentiam augeri, denotatur ibi subiectum augmenti, hoc est ipsa essentia charitatis augetur, sicut cum dicimus, album augetur secundum essentiam; non autem designatur forma specificans motum, ut sit sensus, augetur secundum essentiam, idest augmentum eius, est in essentia vel inesse. Ecce quomodo S. Doctor, per augeri solum denotat purum subiectum, quod afficitur latitudine intensiva, quod in omni opinione veraciter dicitur. =

Praeterea in loco citato se explicat sufficienter S. Doctor, si omnia eius verba legantur subdit. Cum enim accidens sit, eius esse, est inesse. Unde nihil est aliud, ipsam secundum essentiam augeri, quam eam magis inesse subiecto. Et inferius concludit. augetur ergo essentialiter non quidem ita quod esse incipiat, vel esse desinat in subiecto, sed ita quod magis ac magis

in subiecto

in subiecto esse incipiat, idem que concludit in hoc Articulo. Sic ergo charitas augetur per hoc quod intenditur in subiecto, et hoc est ipsam augeri secundum essentiam, non autem per hoc quod charitas addatur charitati. In quibus verbis ponderandum est, quod non dicit utroque modo charitatem augeri, et secundum essentiam, seu ex parte formę, et secundum maiorem radicationem in subiecto, ut Aduersarij contendunt, sed ait quod magis radicari in subiecto, est ipsam augeri secundum essentiam, quia essentia accidentis, cum sit inexentia ad subiectum, optime dicitur et probatur, magis, et minus illius, per magis inhęrere et radicari in subiecto, hocque repetit iterum, atque iterum, quod tale augmentum in essentia stat precise in maiori radicatione. Miror sane viros doctos hęc verba in suum fauorem adducere, et tam sine attentione percurrere, quod non aduertant potius ipsis se iugulare.=

Obijcitur item. 3ª p. q. 7. art. 12. ubi expresse distinguit augmentum ex parte formę et ex parte subiecti. Et loquendo de hominibus viatoribus, inquit, in illis gratiam augeri ex parte formę, quia non attingunt summum gratię gradum, ubi etiam utitur nomine gradus in augmento ex parte formę. Etiam 1ª 2ª. q. 52. art. 1º circa finem corporis, inquit, quasdam esse formas, de qua ratione est indiuisibilitas, ac proinde necessum esse, quod subiectum illas participet, secundum eandem indiuisibilitatem, et non possit de illis suscipere magis et minus, ut numerus ternarius, figura triangularis &cª. Alias vero esse quę hanc indiuisibilitatem non important essentialiter, et has recipi magis et minus in subiecto, ut habitus, albedo &c. ius pponit qualitates regulariter formas diuisibiles esse.=

Sed hęc, et similia leuissima sunt, ut patebit legenti attente litteram.= Ad primum respondetur. quod S. Th. non distinguit ibi affirmatiue augmentum ex parte formę et ex parte subiecti, sed negatiue ait. Respondeo dicendum. quod aliquam formam non posse augeri, contingit dupliciter, uno modo ex parte ipsius subiecti; quando scilicet attingit ad ultimum gradum in participatione illius formę, secundum suum modum, sicut si dicatur quod aer, non potest crescere in calliditate, quando pertingit ad ultimum gradum caloris qui potest saluari in natura ipsius aeris, licet possit esse maior calor in rerum natura, qui est calor ignis. Ex parte autem formę, excluditur possibilitas augmenti, quando aliquod subiectum attingit ad ultimam perfectionem quam potest forma habere in rerum natura. Sicut calor ignis &cª. Ecce utrumque augmentum explicat consistere in hoc, quod subiectum magis participet talem formam, sed animaduertit optime, quod aliquando de facto limitationis, aut indispositionis subiecti solet contingere, quod forma non participetur ab illo secundum ultimum gradum, quem forma illi conferre potest ex natura sua, sicut aer, non potest ita perfecte calorem in se recipere, sicut ignis, quia defectu naturę non potest ita ibi radicari illa forma, sicut hic, in igne vero postquam pertingit ad octauum gradum quod ultra non possit augeri, prouenit non ex defectu subiecti, sed ex limitatione formę, cuius gradus licet in radicatione in subiecto consistant, habent limitatam sphęram. Ex quo tandem infert, quod quia charitas in hac vita, quantum est de se in infinitum augeri potest, dum non peruenit ad terminum, a diuina sapientia prefixum, tam ex parte subiecti quam ex parte formę, nullum impedimentum, aut limitationem habere.=

Ad 2ᵘᵐ Respondetur. S. Thom. et eius discipulos, non excludere distinctionem et latitudinem, et additionem realem graduum, nec omnino ex toto negari posse, ut in principio huius disputationis animaduerti. Solum potest esse difficultas, an distinctio, et latitudo...

titudo haec, sit tantum penes diversas partes, rigore distinctas, vel secundum diversos modos, maioris radicationis in subiecto. unde omnis forma intensibilis, est divisibilis aliquomodo, sive entitative, sive modaliter iuxta diversas opiniones. quibus suppositis docet optime S. Doctor quasdam esse formas, de quarum ratione et conceptu, est omnimoda indivisibilitas, ita ut in nulla opinione possint subiecto conferre magis, et minus, nec per additionem partium, nec per maiorem radicationem. Ex qua doctrina nihil inferre potest, nec pro hac, nec pro aliqua vis opinione, sed abstrahit ab omnibus =

Sectio 4. fiatne per maiorem radicationem in subiecto. ~

Partem negantem, acriter deffendunt Authores relati pro opinionibus praecedentibus, quorum fundamentum tetigi sect. 2. in principio; nunc autem magis urgeo. quia proprium est qualitatis, suscipere magis, et minus, et quod formaliter denominet subiectum magis tale: ergo hoc fit necessario per additionem praeintellectam, ex parte formae. Antecedens ab omnibus conceditur, et consequentia probatur. Nam forma, non dat subiecto nisi quod praehabet in se ipsa nec causat, nisi dando se ipsam: ergo non potest conferre subiecto, nisi esse, et perfectionem, et virtutem, quam in se ipsa habet: ergo nec poterit de novo maiorem virtutem, aut perfectionem praestare illi, quam antea non praebebat, nisi de novo ipsi formae adveniat. Patet haec ultima consequentia, quia sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis. =

Quod si respondeas, proprium esse qualitatis, suscipere magis et minus, non in abstracto, sed prout in subiecto, quatenus illi confert magis, et minus, et ad hoc quod de novo praestet illi maiorem virtutem, et perfectionem, non est necessario, quod de novo formae adveniat, sed quod forma illam indivisibiliter in se praehabeat, licet eam non subiecto totaliter, et simul communicaverit, sed iuxta dispositionem illius, et iuxta agentis activitatem. =

Contra hoc est. quia sicut causa efficiens, naturaliter agens, agit quantum potest: sic forma naturaliter in haerens subiecto, inest quantum potest, si impedimenta illius removeantur, idque communiter omnes docent, non posse variari effectum formalem, invariata entitate formae, quia non potest semel unita, non se totam exhibere subiecto: ergo si aliquid de novo illi confert, quod antea non praebebat, signum est, quod illud antea non habebat, sed quod illi advenit de novo. =

Secundo, in omni mutatione reali, subiectum aliter se habet realiter: ergo mutatio ad intensionem terminata, aliquid reale acquirit de novo, quod antea non habebat: ergo non habebat antea totam formam, sed aliquid illius de novo recipit. =

Primus modus explicandi maiorem radicationem ~

Nihilominus partem affirmativam tenet S. Thom. locis citatis, et omnis eius schola. Caiet. Herveus in 1° dist. 17. q° 5. Capreol. ibi. q 2. Egidius. quodlib. 2. q 14. Conrad. et Medina 1a 2æ. q 52. art. 2. Soncin. et Fland. 8 Methaph. Iavellus 1° de gen. q 6. Et Albidillo q 8. solo, et alij quam plurimi, qui omnes praedicto fundamento respondent per mutationem ex-

tensivam

extensiuam subiectum realiter mutari, non recipiens nouam formam, aut partem illius, sed eandem, ac perfectiori modo. Vnde licet verum sit, non variari effectum formalem, quin varietur etiam forma, mutatio hęc est tantum per additionem noui modi, maioris scilicet radicationis in subiecto. In quo autem hic nouus modus consistat, vel quomodo sicut forma a primo instanti sui esse, sicut est tota, non sit totaliter in subiecto, varie exponitur ab his authoribus.=

Capreolus, et Astudillo, asserunt essentiam formę manere inuariatam, variari tamen existentiam eius in subiecto, ideoque subiectum reddi magis tale, quia magis habet de existentia formę, quę resolutio potius difficultates auget, quam soluit. Est enim difficillimum intelligere, quod essentia, et existentia realiter distinguantur, et supposita adhuc tali distinctione, quod inuariata illa mutetur ista. Cum existentia non sit aliud, quam actualitas essentię, qua mediante illa ponitur extra causas, et qua terminat actionem productiuam, et mutatur in sensu quo essentia distinguitur ab existentia, est ingenerabilis, et incorruptibilis, et sic non solum in qualitatibus, sed in cęteris formis dicitur per actionem solum accipere modum existendi in re, non ergo est proprium qualitatis, ac proinde nec eius intensio in tali modo potest consistere.=

Pręterea, existentia est effectus formalis prouenient a forma: ergo inuariata forma, et radice, eius effectus immobiliter debet poni. Dato etiam quod essentia, multiplice hac potiatur existentia, explicari non potest quo pacto augeatur per illas, sicut non augeretur, si reproduceretur, per duas, vel plures actiones totales, et in pluribus locis constitueretur, nam existentia cum non sit amplius, quam actualitas essentię, solum potest illam actu in reponere, sicut ipsa in se est, si simplex, vt simplex, si remissa aut intensa eodem omnino modo, si tota, totaliter.=

Quapropter Caiet. 1a 2e. q. 52. art. 2. ingenue fatetur formam, quę intenditur, reddi perfectiorem, non solum in existentia, sed etiam in essentia. Et S. Th. citatus ait ignorare propriam vocem, qui dicunt charitatem magis radicari in subiecto, et non augeri magis ipsius essentiam. quia eius essentia est, inexistentia in subiecto, vel inexistentia in illo, quod idem est.=

Potest tamen in bono sensu intelligi hic modus dicendi, ita vt sicut dicimus per per motum localem, corpus non mutari quoad entitatem, sed quoad nouam existentiam in alio loco, et sicut dicimus corpus Christi desinere esse sub hac ostia, quando corrumpuntur species, vel incipere esse sub illis, quando adsunt consecrationis verba, in quibus casibus non mutatur modus intrinsecus existendi substantię, sed habitudo accidentalis, qua talis existentia connotat, hunc, vel illum locum, et sit pręsens in illo; sic dicere, quod per intensionem inuariata entitate charitatis, variatur existentia illius in tali subiecto, quatenus nouo modo existit in illo, scilicet tenacius vel perfectius, tantum est dicere, connotationem seu habitudinem accidentalem, qua forma est nouo modo in subiecto, scilicet per maiorem radicationem in illo. Sub quocumque modo aliqua res de nouo constituatur dicitur existere nouo modo. Hic fuit sine dubio sensus Capreoli, sed quia non est amplius quam conclusionem repetere restat explicare, quod aduersarij petunt, qua ratione si tota forma per primam sui productionem fuit vnita, et radicata in subiecto, sit capax maioris vnionis et radicationis in illo.=

Secundus

Conuenit valde haec sententia cum praecedenti de additione graduum.

Hi Authores et si omnino loquendi thomisticam doctrinam doceant, suamque intensionem, maiorem radicationem, appellent, et phrasim S. Thomae in explicando sectentur, reuera additionem gradus ad gradum ex parte formae, et praeintelligibilem ad subiectum, et ante vnionem ad illud euidenter docent; siquidem aiunt, necessariam esse talem realitatem, et efficacitatem maiorem in forma, ut eam possit communicare subiecto, sicut opposita asserebat opinio. Solum differt ab ea quod haec ponit gradus entitatiue diuersos, illa vero solum modaliter distinctos. Vnde absolute loquendo, media quaedam sententia est inter opinionem S. Thomae, et Scoti, conuenit cum S. Thoma et sua schola in quantum partes rigorose distinctas qualitati negat, omnemque diuisibilitatem in plura eiusdem rationis, quantitati tribuit, differt vero quatenus non in praecise modo maioris radicationis intensionem explicat, sed in modis alijs maioris actualitatis in forma, ante radicationem illius in subiecto, praesuppositos, in quo cum oppositis authoribus conuenit, eorumque defenditur ac protegitur argumentis, ne eorum offensione laedatur.

Impugnatur ut sancti Thomae contraria.

Vnde primo contra illam insurgo, salua pace tantorum virorum. Non vere nec secundum D. Thomam, ab vnione, seu in[?]haerentia ad subiectum modum maioris radicationis discernere, et modo actualitatis ex parte formae, ab eis praesupposito attribuere. Quid enim est formaliter in subiecto radicari, nisi illi inesse inhaerere, ac vniri. Et quid frequentius apud D. Thomam, quam his terminis intensionem explicare? in hoc art. ait. Hic enim est augmentandi modus proprius cuiuslibet formae, quae intenditur, eo quod esse huius formae totaliter consistit in eo quod inhaeret susceptibili, et ideo cum magnitudo rei consequatur esse ipsius, formam esse maiorem, hoc est, eam magis inesse susceptibili, et concludit tandem: Sic ergo charitas augetur, per hoc, quod intenditur in subiecto, et hoc est ipsam augeri secundum essentiam. Et solutione ad 3. Sed augmentatio charitatis importat, mutationem, secundum magis, et minus habere; et ideo non oportet, quod aliquid insit, quod prius non infuerit, sed quod magis insit, quod prius minus inerat; et hoc est quod facit Deus, charitatem augendo, scilicet, quod magis insit, et quod perfectius similitudo spiritus sancti, participetur in anima. Quid clarius? In ipsa mea formali in sententia, ponit praecise S. Th. intensionem, et magis, ac magis qualitatis, imo excludit gradus praeexistentes additos ex parte formae in illis verbis. Et ideo non oportet quod aliquid insit, quod prius non infuerit, sed quod magis insit, quod prius minus inerat. Sententia vero contradictoriam adstruit propositionem. Oportet, quod forma crescat in entitate, vel modo aliquo actualitatis illius, ut vniatur, et insit subiecto, cum noua illa perfectione, quae illi antea non inerat.

Rursus 1a. 2ae. art. 2. excludit iterum, atque iterum omne augmentum ex parte formae, solumque ait intensionem fieri per hoc, quod subiectum magis vel minus perfecte participet vnam, et eamdem formam. Ergo non tamquam formae aliquid addatur, et ad primum, per solam intensionem absque omni additione. Haec vero opinio additionem vere ponit ex parte formae, modos scilicet actualitatis, et quantitatis virtutis, quibus qualitas in se, maiorem accipit perfectionem, ut eam possit subiecto de nouo communicare. Item innumeris alijs locis, semper repe-

tit

tit S. Th. hęc verba, vel equivalentia: per hoc quod subiectum magis participat, magis subdi-
tur formę, magis reducitur ad actum illius &c. quę omnia eundem modum unionis, seu infor-
mationis significant, excludendo semper varietatem ex parte formę in actu primo, et solum consti-
tuendo illam in actu secundo, quem ut in Philosophia traditur, semper per unionem, seu in-
formationem dicimus. Hoc eodem loquendi more, utuntur omnes eius discipuli, ut fatentur Autho-
res isti, et propter hoc ipsos eo uti aiunt, sed debebant uti etiam re significata per ipsum.=

Respondent. quod sicut agens, introducendo qualitatem in genere causę efficien-
tis, arctat subiectum, et subdit, ac subiicit illud sibi, facitque participari ab illo; sic qualitas
seu forma introducta, quo est in se magis perfecta, et intensa ratione modi superadditi iam ex-
plicati, eo magis in genere causę formalis, subiicit sibi subiectum, radicatur illi inest &c. Ido-
que his testimonijs explicari intensionem D. Thoma, et alijs Authoribus. Sed idem omni-
no dicere possunt, Scotus, et omnes, qui additionem plurium graduum realiter distinctorum do-
cent, scilicet intensionem consistere in maiori radicatione formę in subiecto; nam quo plures par-
tes in se habet, eo plus ac tenacius inhęret, ac radicatur in subiecto, quia plures in eo infi-
git radices partiales, sicut arbor, in omni enim opinione, negari non potest intensionem affe-
rre secum radicationem in eadem mensura, ac proportione. Solum est controversia, an pri-
mario, et omnino intrinsece, maior radicatio, intensionem constituat; an vero concomitan-
ter, aut consequenter se habeat. Nam authores qui additionem graduum realiter aut moda-
liter distinctorum docent, iam prę intelligunt latitudinem intensivam, et gradus distinctos
ex parte formę, prout in actu primo, eatenusque in actu secundo; seu effectu formali, seu
actuali radicatione magis, et minus intelligunt, quatenus in forma, in actu primo prę exi-
stit, absque subiecto communicatur, quod est dicere maiorem radicationem consequenter se
habere, illique convenire, quantitatem gradualem ratione formę, cui primario inest.
Hoc autem S. Th. nec veri Thomistę docent, sed in precisio radicationis modo, quo
forma subiecto inest essentialiter, et in recto intensionem consistere.=

Impugnatur etiam sententia hęc, quatenus convenit etiam cum opinione Durandi.

Arguit ista sententia contra se: quia vel ille modus maioris radicationis
v.g. ut quinque, permanet quando advenit modus radicationis ut sex, vel non. Primum
dici nequit, quia si illi modi distinguantur solo numero, iam duo accidentia numerice
tantum distincta erunt in eadem parte subiecti, quod inconveniens semper vitare inten-
dunt. Si vero differant specie, non poterunt terminare unum, et eundem motum conti-
nuum, siquidem ad continuationem, et unitatem motus, requiritur unitas numerica ter-
mini. Si tandem secundum dicatur, incidit iam in primam sententiam Durandi, et Godfre-
di, supra impugnatam. Urgeturque a fortiori ratio de continuitate motus intensionis, quę
penitus e medio tollitur. Si illi gradus species sunt omnino discretę, et simul incompossibi-
les, imo et indivisibiles, quia omnis divisibilitas, quę illis posset tribui, cum sit gradua-
lis et intensiva, debet eundem motum diversitatis specificę in gradibus participare, ac quę-
libet alia intensio: sicut ergo motus continuus, et quęlibet alia quantitas ex solis indi-

visibilibus

indiuisibilibus non constat, sic nec eius terminus in quo eadem latitudo, et diuisibilitas debet esse, ita ut parti motus, pars termini; et indiuisibili motus, indiuisibile termini, cum proportione respondeat. =

Confirmatur rursus. primo quia isti gradus specie diuersi, et indiuisibiles, non possunt componere unum in per se: ergo nec terminare motum continuum, cuius terminus debet ad minus esse per se unus. =

His rationibus respondet praedicta sententia, quod licet hi gradus in esse entis considerati, et materialiter non efficiant, ens unum numero, nec per se unum, tamen formaliter et in ratione termini, sufficientem unitatem habent ut terminent eundem motum: sicut enim ubicationes, terminantes motum localem, possunt diuisiue sumpte, et in esse entis considerari, uel in esse termini successiue pertransibilis per eundem motum, et secundum priorem considerationem, plura ubi permanentia efficere possunt, et unum in ratione termini secundum posteriorem: sic gradus, si considerentur, non in esse entis, sed ut successiue pertransibiles, seu acquisibiles, per eundem intensionis motum quem terminant. sic habent sufficientem unitatem, et diuisibilitatem illi correspondentem, quia successiue, et continue acquiruntur sicut partes temporis, et loci. sic etiam motus ab albo in nigrum per ceruleum, et fuscum, dicitur eiusdem speciei, quia non inspicitur color ceruleus, aut fuscus, prout in esse entis, sunt species diuersae, sed quatenus sunt participationes quaedam nigri, et ad illud tendunt, tamquam ad finem talis motus. =

Discrimen valde notandum, inter actiones respectiuas, aut pure productiuas.

Haec tamen responsio, meo iudicio, omnino insufficiens uidetur. deceptique sunt Authores philosophantes eodem modo in actionibus pure productiuis, ac respectiuis, quarum termini sunt obiecta, ut statim declarabo, in primis de actionibus specialiter productiuis loquendo, si uera esset haec doctrina posita, destrueretur illa principium illud commune de specificatione omnium actionum a suo termino, quod cum proponatur tamquam regula certa ab omnibus Philosophis, omnino redderetur incerta, nam si quaerimus semper diuersitatem terminorum, ad discernendas actiones, si semel admittamus, res specie diuersas posse uniri in ratione termini, quia terminant eandem actionem, iam committitur circulus, repetiturque principium, explicaturque, ac probatur idem per idem. Nam statim quaeretur, unde constet esse eandem actionem. cui respondere nequit, nisi quia eiusdem termini, et quare eiusdem termini, si in ratione entis, sunt species totales, ac diuersae? quia in ratione termini uniuntur, quatenus eadem actione attinguntur. Ecce quam manifesta est circuli repetitio. sic ergo in proposito. si gradus in ratione entis, specie differunt, quare non in ratione termini? si dicas, quod quia terminant eandem actionem, unde scis eandem esse et non plures, nam ex ipsis terminis, eas debes discernere? sicut enim ex diuersitate specifica graduum arguens, infert diuersos terminos, sic et actiones. =

Respondebit. ex intensione per se naturae, colligitur, quisnam sit terminus per se, et primario intentus, quis uero secundarius, et illum specificatiuum actionis esse, non

illum

istum. Contra. Nam aliud est aliquid esse intentum primario a natura, vel ab agente, aliud vero esse primario intentum, ab hac, vel illa actione: sicut enim natura in ordine ad aliquem finem principaliter intentum assumit diversa media; sic et actiones diversas quibus talia media, prius in re ponat. Unde eadem subordinatio, et ordo qui est in rebus, est in actionibus, maxime si de pure productivis sit sermo. Alteratio, v.g. et generatio, et corruptio sunt mutationes omnino diversae, licet ita inter se coniunctae, quod ex sola terminorum diversitate discernantur, addere ne aliquis eandem actionem dicere. Et terminos earum, licet diversos in ratione entis, esse unum perse in ratione termini? valeret ne confugere ad finem principaliter intentum, a natura, quod est compositum substantiale genitum? nequaquam. Sed dices, quod sicut dispositiones praecedentes generationem, secundario intenduntur, et in ordine ad illam; sic et alteratio illa praevia, quae ad illas terminatur, tamquam actio omnino distincta. calefactio v.g. praevia ad generationem ignis, in voluntate etiam docet frequentissimum, quoties enim intendit finem, et in ordine ad ipsum eligit media, intentio, et electio sunt actiones specie diversae, in intentione, et similiter in executione actiones quae terminantur ad media. Ruit ergo doctrina posita =

Distinctio autem illa in genere entis, et in genere termini, solum actionibus respectivis accommodatur, non pure productivis. Cuius discriminis ratio est; quia actio productiva respicit principaliter suum terminum, prout in genere entis, et ut illum in re ponat extra causas, et ideo non potest terminari ad illum nisi sub hac ratione, neque est capax talis actio respiciendi alium finem principaliorem, ad quem rem per ipsam productam ordinet: hoc faciunt Author naturae, vel intellectus, seu voluntas agentis, actio vero illa phisice productiva, solum rem quam producit, et in re ponit, ut intrinsecum, et primarium terminum attingit. At actio respectiva, cuius terminus principalis est obiectum, sub ratione cognoscibilis v.g. seu appetibilis, non se accomodat semper rebus prout in se existunt a parte rei, res enim singulares considerat, sub ratione aliqua communi et universali, quae licet in re sit multiplex, prout obijcitur intellectui est una, et e converso, id quod in genere rei est unum, in genere obiecti consideratur ut plures, et cum plures multiplici conceptu intelligitur. Respectu enim huius secundi actionum generis, non sequitur circulus, et repetitio principij supra illata respectu aliarum. Nam unitas quam res aliquin distinctae, habent in genere obiecti, non probatur ex eo quod respiciuntur per eandem actionem, sed ex unitate obiectiva, quam aliás in illis ingenius praeponit cum fundamento in re, quae habet distinctam definitionem essentialem, et operationes distinctas a parte rei. Animal v.g. respectu specierum, et individuorum, habet rationem obiectivam, ratione distinctam &c. =

Sectio quinta. Exponitur verior sancti Thomae sententia.

Iam a sufficienti partium enumeratione, satis constat, quid in hac difficili quaestione, dicendum sit, nimirum charitatem, et in universum formam quamlibet intensibilem, aut remissibilem, esse in entitate sua, omnino simplicem, absque ulla partium compositione

compositione, in ordine ad idem indiuisibile subiectum (nam in ordine ad diuersas partes subiecti, dubium non est, a quantitate extendi, sicut accidentia cetera) eius que intensionem, et remissionem, in hoc solum consistere, quod eadem forma indiuisibilis, magis, aut minus perfecte afficiat idem subiectum informando, seu actuando illud perfectiori modo, quod idem est, ac magis radicari in ~~subiecto~~ illo, illi que magis inesse. Itaque cum in forma, sicut in quolibet alia causa, sit considerare actum primum, et secundum, latitudo hec gradualis, non in forma, ut pre intelligitur in actu primo, sed in eius actuali exercitio est, seu causalitate, que consistit in vnione, seu formali inherentia ad subiectum. = aut imperfectiori

Hec est indubitata Sancti Th. sententia de qua meo videri, nullus est qui dubitet, sed propter illius reuerentiam illam quisque in suum placitum, adducere contendit, ne aperto marte tanto doctori oppositus appareat. Sed qui omnia eius testimonia in locis sepe iam citatis, et in hoc articulo percurrerit, videbit luce clarius, quam constans, et firmus semper est, in his duobus, primum quod ex parte forme, nulla est varietas, additio aut latitudo secundum quod tota intensio in hoc solo consistat, quod forma magis insit subiecto, magis sibi subiciat, perfectius actuet illum, perfectiori modo ab eo participetur, hec enim omnia et similia, vnicum tantum modum explicant inhesionis, aut radicationis, aut informationis accidentis, de cuius ratione est, vt repetit S. Doctor, quod inhereat subiecto. Accidentis esse, est inesse. sic art. 4. precedenti in corpore, et ad textum, et alibi sepe =

Preterea, multis in locis ait, abstracta in qualitatibus, non suscipere magis et minus, sed concreta, qui modus loquendi habetur etiam in Arist. circa de qualitate et 5 Metaphisice. tex. 10. et alijs locis: negat igitur omnem intensionem, seu additionem ex parte forme, vt pre intelligitur ad subiectum, si enim saltem modalis esset, etiam in abstractis salvaretur intensionis modus, et magis, et minus in dicium: ergo euidens est illum negare forme in abstracto, et soli concreto, concedere, quia in vnione eiusdem cum subiecto consistit. ~~Hec~~

Ad hoc aliqui respondent. quod per formam in abstracto, intelligat rationem specificam illius, que abstrahit, ab omni latitudine, et quantitate graduali, hanc que ait optime illi competere prout est in subiecto, vel per ordinem ad illud, in quo, et ex quo talis forma indiuiduatur, et varietatem, et affectiones accipit accidentales, sicut in speciebus substantie, humanitas v.g. vt sepe inquit, si consideretur secundum se, idest secundum suam suam essentiam, est omnino equalis in omnibus indiuiduis, et non suscipit varietatem aliquam, nisi prout contrahitur ad singularitates. =

Sed contra est. quod tota doctrina S. Thome in his locis inepta esset ad probandum quod intendit, si loqueretur de abstractis reduplicatiue prout in vniuersali, nullus enim est qui dubitet, genera, et species prout vniuersalia, dicere vnam rationem communem pluribus, ac proinde in illa, non esse varietatem, aut magis et minus, ex hoc autem ridiculum esset inferre, principium indiuidualitatis esse materiam quantitate signatam, omnem que diuisibilitatem, tam continuam, quam indiuidualem, seu discretam ex quantitate tamquam ex prima radice prouenire, ideoque plures Angelos sub eadem specie multiplicari esse impossibile. Hec omnia intendit probare S. Doctor, dicens, indiuiduationem prouenire ratione materie, non ratione forme, si per formam ipsam, formaliter pro vniuersali. quis Author ex contraria sententia, hoc vnquam dubitauit, quod vniuersalitas sit radix singularitatis, cum omnes supponant omnimodam illius indifferentiam, et quod

esse

esse non petat magis, hanc quam illam? loquitur ergo de forma, que subest vniversalitati, et singularitati, et quærit ex quo capite illi vnitas, et differentia numerica, seu individualis proveniat, sicque ait quod humanitas, albedo et cætera abstracta, si ex natura rei essent formæ separatæ a subiectis, sicut species Angelicæ, non multiplicarentur sub eadem specie, quia deficeret illis materia quantitate signata, a qua talis individuatio eis provenire debebat. Vnde sicut species Angelicas docet, intrinsece individuari per suam essentiam, et quod non sunt vniversales; sic ait, quod humanitas, et albedo si separatæ esse essent individuæ, per suas essentias, ac proinde incapaces multiplicationis sub eadem specie, quia vnitas individualis esset illis essentialis. =

Sic ergo in proposito philosophatur de qualitatibus quod natura formæ specificæ, nulla eis competit diuisibilitas, alias formalis, et specifica esset: ergo ratione materiæ, sed hæc, non nisi quantitati diuidibilis: ergo tantum extensiue potest, sic diuidi: ergo diuisibilitas intensiua a sufficienti partium enumeratione, solum in vnione formæ ad idem subiectum, potest consistere. Patet hæc vltima consequentia, quia si non ratione formæ, nec ratione materiæ prout quantitate diuisæ, solum superest quod ratione vnionis ad eamdem partem indiuisam materiæ. =

Exponitur vno verbo totius puncti difficultas,

∼ Et ad solutionem, prænotantur aliqua. ∼

Quomodo autem si forma est omnino simplex, et indiuisibilis, et materia etiam licet sit alias diuisibilis, respectu intensionis, indiuisa est, et nihilominus vnio vtriusque sit diuisibilis in varios gradus et suscipiat magis et minus, est quod explicandum restat, et in quo solo insistunt omnes Authores oppositi. =

Sed ad hoc ex Philosophia suppono, quod cum forma non causet, nisi dando et vniendo seipsam, vel per exhibitionem sui ipsius, vnio, seu inhærentia illius ad subiectum est idem quod informatio, seu causalitas. Vnde non debet sic intelligi vnio hæc, quod tantum sit nexus coniungens duas entitates materiæ, et formæ, vt eas inter inseparabiles efficiat, sicut vulgariter imaginatione concipitur, et sicut ad oculum inter partes quantitatis experitur, quarum nexus est tantum pure vnitivus, absque causalitate vnius partis in aliam. Est igitur vnio hæc philosophica, non aliud quam mutua causalitas materiæ, et formæ siue substantialis, siue accidentalis, qua mediante materia recipit, et participat formam, et forma actuat materiam illi tribuens suas proprietates, virtutem, et agendi principia. Propter quod multi satis probabiliter existimant, hanc vnionem non esse modum realiter distinctum ab extremis vnitis, sed tantum puram vtriusque causalitatem, quæ prout est ex parte formæ dicitur informatio connotando materiam, et prout est ex parte materiæ, dicitur receptio, connotando formam. Sed quia hoc multis videtur difficile, ne augeamus difficultates absque necessitate, abstrahimus ab vtraque opinione, difficultatis resolutionem; quia siue talis vnio, aut inhærentia sit nexus physice distinctus siue non, est tantum vera causalitas vtriusque actus, ~~...~~ scilicet, et potentiæ vt dixi. Neque est necessarius alius modus iungendi entitates vtriusque, nam eo ipso quod materia est essentialiter receptiua formæ, et forma actus materiæ, habent naturalem, et mutuam inclinationem, se

inuicem

amplectendi inseparabiliter, ita ut naturaliter una ab altera dimoveri non possit, solum in entibus artificialibus, vel non essentialiter inter se connexis requiritur modus, cuius officium sit tantum res huiusmodi copulare, aut concatenare, caeterum ubi est naturalis, ima essentialis connexio, ut sunt materia et forma, ipsis ipsis nectuntur, per hoc quod una alteram recipiat, et altera eam actuet &c. An autem unibilitas haec causalitas, modus sit phisice distinctus, parum refert hic examinare.

Ex hoc ergo suppono secundo, quod cum omnis materia, ut formam recipiat et eius effectum formalem egeat dispositionibus, defectu illarum potest accidere, quod non plene recipiat totam virtutem, et rationem formae. Sic anima rationalis propter varias corporis dispositiones, innumeris et varijs modis actuat et informat, non solum prout est in pluribus suppositis, sed etiam prout in eodem diversimode dispositis in salute, et infirmitate, et propter diversas temporum aetates, ut in varijs, et inaequalibus experimur operandi modis tam intellectus, quam voluntatis, tam sensuum externorum, quam membrorum. Sic igitur in proposito loquendo maxime de formis invicem contrarijs facile intelligitur haec varietas, et inaequalitas in modo actuandi, et informandi formae, et in modo recipiendi ex parte materiae, oriri ex indispositionibus, seu obstaculis formae contrariae, a quibus impeditur subiectum, ne integrae formae perfectionem participet, ideoque experimur, tanto perfectius formam sentiri et suam virtutem communicare, quanto magis depuratur a gradibus formae contrariae, non quod existimemus formalem intensionem esse in depuratione a contrario, sed quod inde resultet, et occasionem sumat. Forma caloris v.g. retardatur in sua causalitate, a gradibus frigiditatis in subiecto inhaerentibus, et charitas a voluntate propria, ne penitus in Dei voluntatem transformetur.

Quando etiam formae contrarium non habent, vel quod habent est iam penitus a subiecto expulsum, non desunt alia indispositionum genera, quae in ipso impediant, vel retardant plenam formae virtutem, ac perfectionem. Sic calor in aqua, vel in aere non potest ita integre dominari, ac participari, sicut in ligno vel ferro, sic fides ubi non est infidelitas, et charitas ubi non est odium Dei, a vitiis et voluntate propria possunt retardari, ne integrum incrementum accipiant. Quinimo etiam si nullum sit huiusmodi obstaculum, ut in beata virgine, et in beatis ubi lumen gloriae, potest phisice suscipere magis et minus (et si de lege ordinaria, non in eodem subiecto, suscipit tamen in varijs subiectis) supernaturalitas formae, et extraneitas subiecti, et naturalitas non parum opponuntur, habent enim huiusmodi formae infinitatem quandam, et subiectum limitationem, et potentialitatem infinite distantem, ac perfectibilem, et inde illi provenit, quod possit magis ac magis actuari, ac participare tandem formam, quam non parum retardat, et resistit sua naturalis ruditas, et incapacitas.

Satis fit iam difficultati propositae

Ex dictis apparet iam quomodo unio et radicatio haec, et si formae simplicis, posset suscipere magis et minus, si esset tantum pure unitiva, ita ut tantum coniungeret partes, et inseparabiles redderet, sicut facit unio partium quantitatis, convincerent revera fundamenta opposita, quod talis unio consistat in indivisibili, et quod semel unita tota entitate formae cum materia, non possit magis ac magis uniri, quia tota forma est intime in tota materia, nec una, nec altera partes habent, secundum quas amplius uniri possint, quod totum

tum admittimus, si puram rationem coniunctionis, aut intime existentię prius intra alia con:
sideremus. Cęterum vnio hęc primario in mutua causalitate vtriusque consistit, vt explicui, quę
licet ex parte formę, petit in actu primo indiuisibilitatem, et omnimodam simplicitatem dicat,
ex parte materię constat, potentialitatem diuisibilem in varios gradus, et modos partici-
pandi magis aut minus perfecte eandem formam, quia non est ex re proxime disposita, et
expedita, ad vltimam illius perfectionem, statim recipiendam. =

Vnde quando arguis: forma non causat, nisi dando seipsam: ergo forma in:
diuisibilis, non potest nonnisi communicare, vel secundum se totam, vel secundum nihil: ergo
non potest in hac ratione suscipere magis, et minus. — Respondetur si per dare seipsam intel-
ligas solum suam entitatem cum subiecto copulare, annectere, vel ab illo indistantem
reddere, sicut facit vna pars quantitatis cum alia, sic negatur, si vero non quomodo:
cumque intelligas dare seipsam, sed specialiter conferendo subiecto suam virtutem, ita
vt reddat illud potens agere per ipsam, faciatque virtuosum, sic conceditur, sed ex hoc
non sequitur quod forma iure indiuisibilis per solam coniunctionem cum subiecto
reddat illud totaliter potens aut virtuosum, nam ex defectu subiecti potest esse inca-
pacitas, aut indispositio, ratione cuius licet iure habeat totam formam, non possit re-
cipere integre totam virtutem, et causalitatem suam, ita vt possit operari per illam, vt
dixi de aere, aqua, in quibus forma caloris non potest prestare, quod in ferro aut lig-
no. Et patet in verbo mentis, et amore, qui si diuinitus ponerentur in lapide, tota
entitas formę lapidi vniretur, et non faceret illum intelligere, aut velle. Anima etiam
rationalis est omnino indiuisibilis, et totaliter ex parte sui omnibus membris vnita, et
nihilominus propter variam eorum dispositionem, tam in eodem, quam in diuersis tem:
poribus, diuersimode operatur in illis, quas operationes non causat, nisi dando seipsam.

Dices: hoc exemplo potius nos iugulari: nam infertur ex illo, quod sicut ani:
ma reddit corpus de nouo potentius ad operandum, absque eo quod dicatur magis
intendi, radicari, aut vniri; sic charitas, aut calor, ex hoc solum quod subiectum
virtuosius reddat, non dicetur magis intendi, aut radicari: signum ergo est, aliquid
amplius ad intensionem requiri, additionem scilicet nouę formę aut partis illius. =

Respondetur distinguendo duo genera indispositionum, ratione cuius
quantitas impeditur materia aliqua ad operandum. Alię sunt omnino intrinsecę
quę auferuntur formaliter, per ipsam formam, hoc est per causalitatem formę propriam
actuando, et informando illam, sicut frigiditas, quę formaliter per calorem expelli-
tur. Alię sunt extrinsecę, quę ab aliis agentibus auferuntur, vel si a forma, non in
genere causę formalis, sed efficientis. quando ergo materia potentior ad operandum
redditur ex remotione impedimenti extrinseci quod ab alia causa, vel in alio gene:
re causę aufertur, non arguit nouum informandi modum, siquidem non pertinet ad
formam, vel ad eius informationem illam maiorem expeditionem prestare, vt contingit
in exemplo de anima (quod non adduxi, vt teneret in omnibus) secus vero quando
maior illa expeditio, ex ipsa informatione communicatur. =

Ex hoc constat iam solutio ad secundum argumentum quod princi:
paliter vrgent Authores oppositi. quod noua actio debet habere, nouum termi=
num, quod ergo prestat intensio, si totam formam, et totum subiectum inuenit pro-

ducit

ductos, et mitos: = Respondeo. quod sicut generatio hominis, et si supponat totam animam, et materiam, terminatur ad utriusque unionem, et dicitur revera hominem producere, quia mediante hac unione, corpus vivi fiat, et potens facit ad operandum secundum rationem: sic intensio, et si charitatem, et subiectum, et aliquam utriusque unionem, iam inre inveniat, habet tamen quod de novo efficiat, scilicet subiectum virtutem, ac potentius ad operandum per maiorem radicationem, et informationem charitatis, solum est discrimen inter duas actiones dictas, quod generatio hominis, quia nullam invenit unionem simpliciter dicitur producere, et gignere hominem intensio vero, quia iam supponit charitatem, solum dicitur augere. Ideoque exemplum illud proposui, ut ostendam, quod sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, hoc est, sicut ad esse simpliciter satis est actio unitiva formae iam praeexistentis, sic ad magis tale esse, satis erit actio quae solum sit magis inductiva, et radicativa formae, conferendo subiecto maiorem virtutem, et operetur per illam, per novum modum quo illam unionem attingit. =

~ Sectio 6. solvuntur obiecta aliqua, contra dicta. ~

Obiicies: vel modus ille realis terminans novam actionem intensivam est nova unio partialiter addita praeexistenti, et cum illa componens, vel expellens unionem praeexistentem, illique succedens, quodcumque dicatur est incidere in inconvenientia aliarum opinionum, quae non est necesse iterum hic repetere. =

Respondetur in sententia quae nullum agnoscit modum phisice distinctum ab extremis uniti, sed solum addere novam connotationem materiae quam actuat, et novo modo logico, aut metaphisico informat (sicut in relatione, et duratione, et ubi, philosophari solet) facile expeditur difficultas, dicendo, quod nec sit nova unio componens, aut praeexistentem destruens, sed causalitas eadem formae de novo connotans perfectiori modo communicationis materiam. In sententia vero quae talem unionem, modum phisice distinctum docet. Respondetur etiam, non esse novam unionem, sed extensionem eiusdem, ad hoc quod forma perfectiori modo, semper illam communicet subiecto. licet enim ut dixi, forma simplex sit, potentialitas materiae est divisibilis, seu diversimode perfectibilis, et sicut eadem forma absque additione novae entitatis, potest magis, ac magis perficere, et actuare subiectum, ut probatum est, sic per eandem unionem, potest hanc novam causalitatem exercere, et per illam suam virtutem, magis materiae communicare. =

Quod dupliciter ab hac sententia explicari potest. Primo, supponendo unionem non esse formalem causalitatem materiae, et formae, sed solum vinculum pure mixtivum, quod se habet ut conditio applicans causam formalem ad materialem, ad modum quo se habet approximatio agentis ad passum; et sic facile declaratur, quo pacto sub eadem unione forma magis aut minus perfecte actuat materiam, absque additione novi modi, realiter distincti, quia necessarius non est, sicut nec ex parte agentis datur, quando actio prorumpit in suum effectum, et sicut duratio hominis ad hoc quod extendatur ad tres vel quatuor, vel quadraginta annos, petit novum modum. Vel secundo. iuxta communionem sententiam asserentem, unionem hanc esse formalem, et mutuam causalitatem materiae, et formae, et constitutivam compositi, dicetur consequenter, eo magis perfici hanc

unionem

vnionem, et dici maiorem radicationem, quo forma magis perfecte actuat, et communicat se materiae, ac proinde augeri per nouos modos realiter superadditos, quibus forma perfectius actuat, et informat, et radicatur in materia, nam perfectius informare materiam, est perfectius illi vniri, et annecti, et cum illa perfectius, vnum tertium constituere =

Et ad replicam, quo pacto vniantur inter se illi modi. Respondetur. Modum se ipso vniri, absque vnione aliqua superaddita, cum de essentia illius sit actualis inexistentia. Nec est inconueniens, quod modus, modum modificet, et in illo fundetur, ynamque relatio potest in alia fundari, et in vbi, et in actione, et duratione, et sic innumera exempla adducerem, si opus esset. =

Quo pacto actio realis supponens materiam, et formam, et vnionem, respiciat nouum terminum.

Itaque sententia est probabilis. Sed quia contra primam, et primum modum explicandi secundam, potest quaeri, quid producunt actio generatiua, et calefactiua et actio intensiua sine forma nec materia, nec vnio ab extremis realiter distincta producitur? = Respondetur. quando nec forma, nec materia producitur vt in generatione hominis, inducitur forma in materiam, ens in potentia, fit ens in actu per illam, et fit de nouo in rerum natura, substantiale compositum, quod est homo, quid amplius desiderabis, si antea non erat homo, et ex vi suius actionis fit homo, et si tantum componendo, res praeexistentes inter se illum generet? Et si non efficiat materiam, et formam efficit compositum, et etiam vnionem inducendo formam in materiam, et sinon per modum realiter superadditum, quia necessarius non est. =

Nec infertur ex hoc, quod agens sit tantum applicans formam ad materiam, non generans, si ipsis sunt vnibiles, absque modo superaddito. Non enim actuat, aut se communicat forma materiae, neque materia formam recipit, nisi in virtute agentis sola enim applicatio, vel adductio vnius ad locum alterius, non satis esset. Vt quae latius in Philosophia. =

Idem ergo proportionabiliter dicendum est in actione intensiua, quod licet nihil formae, vel modi de nouo producti per illam fiat, est verus motus, quia per illam accipit subiectum magis, et minus, maiorem scilicet virtutem ad operandum, quam antea non habebat, quia participat formam perfectiori modo; ac proinde mutatur realiter, de virtute, et habilitate imperfecta ad perfectam. Ad hoc vero, quod actio sit productiua, aut mutatio realis, generaliter loquendo, non est necesse quod entitatem aliquam de nouo efficiat praeter compositum: nam actiones sunt suppositorum, vnde si semel admittatur, vel non impugnetur, compositum vere saluari per mutuam partium causalitatem, et connexionem, quam per se habeant, absque modo alio realiter superaddito, nullum argumentum ex vi actionis realis, vel ex termino, nouum suppositum, vel mutatio realis ex parte illius. =

Concretu

Concreta non abstracta suscipiunt magis, et minus.

Secundo principaliter objicies ex nostra sententia inferri abstracta non suscipere magis, et minus, sed tantum concreta; hoc autem apparet falsum, tum ex communi Philosophorum principio, qualitatis proprietas est suscipere magis et minus, ubi ipsi in abstracto id tribuunt, et tanquam proprietatem illi ratione formae convenientem, non ratione materiae. Tum etiam, quia in Sacramento Eucharistiae, ubi accidentia sine subiecto existunt, experimur albedinem hostiae, vel humiditatem, aut siccitatem suscipere magis, et minus: signum ergo est quod etiam ex parte formae in abstracto sumptae, suscipiunt magis et minus absque ulla radicatione in subiecto. = Respondetur tamen, concessa illatione, negando sequelam. Et ad primam illius probationem, dicendum, quod propositio illa est sano modo intelligenda, qualitas suscipit magis et minus prout in subiecto, non prout in se, sed prout apparet in illo. =

Nec infertur, quod ratione subiecti, sed ratione sui communicativa subiecto illa inaequalitas gradualis, quatenus perficit, et actuat, seu communicat se illi ~~ma~~ magis ac magis. =

Addo tamen, potius retorqueri posse argumentum in ipsos Authores. Nam Aristoteles de qualitate, et alibi saepe, solum concretis concedit suscipere magis et minus, ~~[illegible]~~ suscipiunt ait qualia magis et minus, quod infra negat de abstractis, sicque loquuntur S. Thom. et omnes Philosophi. =

Ad 2am probationem respondetur, solam quantitatem panis esse prorsus absque subiecto, in ea vero tanquam in subiecto quo, imo et tanquam in vice materiae subiectari accidentia cetera, quod etiam de forma substantiali de novo genita post corruptionem specierum, et desitionem corporis Christi sub illis, docet S. Thom. ac proinde latitudo illa gradualis, quae experitur, convenit illis prout in subiecto, et non aliter. =

Stat optime inaequalitas iustorum, et Beatorum in nostra sententia.

Solet tertio obijci, quod siquidem gratia, charitas, et lumen gloriae, sunt in se ipsis formae simplices, et indivisibiles in substantia, omnes iusti et beati sint aequales, solumque modaliter differant, quoad maiorem radicationem eiusdem formae, quod est error manifestus. Item quod novis meritis, non conferatur novum praemium, quod impugnabimus infra. =

Sed his et similibus respondetur. tam inaequales esse iustos et beatos in nostra sententia, sicut in opposita, quae admittit gradus entitative diversos. Nam parum refert, quod forma in se sit tota simul, et omnino perfecta, si subiecto non communicatur, nisi modo imperfecto, unde sive sit defectus ex parte ipsius formae, sive ex parte radicationis, et informationis illius, eadem redundat in subiecto imperfectio, in modo participationis illius. Nec sequitur ex hoc, tantum modaliter iustos differre, sed etiam in ipsamet forma sanctitatis aut virtutis, prout inaequaliter ab eis participata, et in causalitate,

Seu

seu informatiuè, vel radicatiuè, sit tantum modus, effectus formalis ex illo subsequens, est participare magis de forma, et de illius virtute.=

Ex quo ulterius sequitur, quod pacto nouis meritis, nouum correspondeat praemium. Parum refert, quod subiectum virtuosior et sanctior euadat? quod magis Deum diligat, et videat.=

Art. 6. Utrum quolibet actu charitatis, charitas augeatur.

Ad sextum sic proceditur, videtur quod quolibet actu charitatis, charitas augeatur. quod enim potest id quod maius est, potest id quod minus est. Sed quilibet actus charitatis, potest mereri vitam aeternam, quae maius est, quam simplex charitatis augmentum: quia vita aeterna includit charitatis perfectionem: ergo multo magis quilibet actus charitatis, charitatem auget.=

Secundo. Praeterea, sicut habitus virtutum acquisitarum generatur ex actibus; ita etiam augmentum charitatis, causatur per actum charitatis. Sed quilibet actus virtuosus operatur ad virtutis generationem: ergo etiam quilibet actus charitatis operatur ad charitatis augmentum.=

Tertio. Praeterea, Gregorius dicit, quod in via Dei, stare, retro cedere est. Sed nullus dum mouetur actu charitatis retro cedit: ergo quicumque mouetur actu charitatis procedit in via Dei: ergo quolibet actu charitatis, charitas augetur.=

Sed contra est. quod effectus non excedit virtutem causae. Sed quandoque aliquis actus charitatis, cum aliquo tepore, vel remissione committitur: non ergo perducit ad excellentiorem charitatem, sed magis disponit ad minorem.=

Respondeo dicendum. quod augmentum spirituale charitatis, quodammodo simile est corporali augmento. Augmentum autem corporale in animalibus et plantis, non est motus continuus: ita scilicet, quod si aliquid augeatur in tanto tempore, necesse sit quod proportionaliter in qualibet parte illius temporis aliquid augeatur, sicut contingit in motu locali, sed per aliquod tempus natura operatur, disponens ad augmentum, et nihil augens actu: et postmodum producit in effectum id ad quod disposuerat, augendo ipsum animal, vel plantam in actu. Ita etiam non quolibet actu charitatis, charitas actu augetur: sed quilibet actus charitatis, disponit ad charitatis augmentum in quantum ex uno actu charitatis homo redditur promptior iterum ad agendum secundum charitatem: et habilitate crescente, homo prorumpit in actum ferventiorem dilectionis quo conatur ad charitatis profectum: et tunc charitas augetur in actu.=

Ad primum ergo dicendum. quod quilibet actus charitatis, meretur vitam aeternam: non quidem statim exhibendam, sed suo tempore. Similiter etiam quilibet actus charitatis, meretur charitatis augmentum: non tamen statim augetur, sed quando aliquis conatur ad huiusmodi augmentum.=

Ad 2um dicendum. quod etiam in generatione virtutis acquisitae, non quilibet actus complet generationem virtutis, sed quilibet operatur ad eam ut disponens:

et ultimus

et ultimus, qui est perfectior agens in virtute omnium præcedentium reducit eam in actum; sicut etiam est in multis guttis cavantibus lapidem. =

Ad 3.um dicendum quod in via Dei procedit aliquis non solum dum actu charitas eius augetur, sed etiam dum disponitur ad eius augmentum. =

Conclusio est affirmativa, et intelligenda de augmento proveniente ab actibus, tamquam a causa morali, et meritoria (nam causalitas, et dependentia phisica, iam exclusa est.) sic ergo definita est in Concil. Trident. sess. 6. cap. 10. ubi etiam probatur. Et can. 24. dicitur. Siquis dixerit, iustitiam acceptam non conservari, neque etiam augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo, et signa esse iustificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam, anathema sit. Patet ex Apocalipsi. cap. ultimo. qui iustus est iustificetur adhuc &c. Et ad Ephes. 4. veritatem facientes crescamus. Et cap. 1.o oro, ut charitas vestra, magis ac magis abundet. Et alia huiusmodi testimonia adducit Concilium, ad probandam hanc veritatem. Atque optima congruentia, quod sicut operibus nostris crescunt habitus adquisiti, sic et augentur infusi: quia ordo supernaturalis in quantum possibile est, naturali accommodatur; et sicut nostris pravis actionibus deteriores efficimur, sic bonis redderemur meliores. =

Neque potest limitari conclusio, quod solum sit vera de augmento dispositive causato, ab actibus, sicut prima gratia ex nostris actibus tamquam ex dispositionibus pendet. Nam concil. non tantum docet, bona opera esse causam huius augmenti. cap. 10. et can. 24. sed addit, can. 32. vere mereri illud, hincque declarat esse sensum sacræ scripturæ, quando asserit bonis operibus augeri iustitiam. Ratio item est, quia in actu charitatis, ac cæteris operibus ab ea imperatis, concurrunt omnes conditiones ad meritum de condigno requisitæ; quod scilicet sit actus liber bonus, in obsequium Dei factus, ab homine iusto ex motione charitatis, ut late dicitur 1.a 2.æ quæst. de merito. =

Nec possunt limitari ad meritum vitæ æternæ; loquuntur enim concilia, etiam de augmento gratiæ, et constat etiam ex lege ordinaria, neminem acceptari ad gloriam, nisi ratione gratiæ, quæ tribuit ius ad illam: nec augeri gratiam, nisi simul cum illa cætera augeantur supernaturalia dona, luminis scilicet gloriæ, pro statu patriæ, charitatis &c quæ sunt proprietates phisice, vel saltem moraliter emanantes ab illa; ac proinde per modum unius præmij, simul cum illa conferuntur. =

Quamvis autem hæc omnia, sic in communi dicta, certa sint, occurrit difficultas. An intelligenda sit hæc doctrina de omnibus actibus, etiam remissis, unde solis actibus charitatis, vel etiam de alijs aliarum virtutum. Unde augmento statim conferendo, vel tantum in alia vita. quæ omnia sequenti disputatione discutiam. =

Disputatio 39. quibus actibus, habitus charitatis mereatur augeatur?

Sectio 1.a An actibus remissioribus, ipso habitu? =

Prima sententia negat, hos actus mereri augmentum, gratiæ, et gloriæ, et

consequenter

consequenter nec habitum charitatis per ipsos augeri. Docuit olim S. Thomas in 1º. dist. 17 q. 1º. art. 3. ad 2. Bonau. in 2. dist. 42. art. 2. q3. Bassol. et alij, idque admittit Durand. quoad actus remissiores ipso habitu, non vero quoad aequales. Addit 2. Durand. in 1º. dist. 17. q. 8. hos actus mereri augmentum gloriae, non tamen gratiae. quae sententia probabilis non est, quia cum gratia tribuat ius ad gloriam, et propter hoc non datur gloria sine gratia, sic nec augmentum gloriae, sine augmento gratiae. Nam iuxta mensuram huius illa confertur.

Tertia et vera sententia, quae nunc communiter ab omnibus amplectitur. Asserit quemcumque actum charitatis, quantumuis remissum augmentum gratiae et charitatis promereri. Docent illam expresse sic S. Thomas. Caiet. Azumel, [illegible] 1ª. 2ª. q. 114. art. 8. et caeteri expositores. Scotus etiam in 4. dist. 21. q. 2. et disp. 22. q. 1º. eius que discipuli. =

Vera sententia probatur

Constat primo ex Sacra Scriptura. Concil. Trid. et alijs Concilijs ac Patribus, qui vniuersaliter et absolute omnibus operibus bonis, vim merendi tribuunt, nulla distinctione facta inter intensos, et remissos: gratis ergo, et non sine magno inconueniente, restringitur haec vniuersalis assertio, excipiendo actus remissos. Antecedens patet manifeste ex 1º. Chorint. 15. Abundate in omni opere bono, scientes, quod labor vester, non est innanis in Domino. Sed actus charitatis quantumuis remissi, sunt opera bona: quia charitas vt inquit Paulus, non agit perperam: ergo labor eorum non erit inanis, sed obtinebit suum praemium. =

Item ponderanda sunt verba Concilij. Postquam sess. 6. cap. 16. sigillatim recensuit omnes conditiones, ad meritum requisitas, subdit. Nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quominus plene illi quidem operibus, quae in Deo sunt facta, diuinae legi, pro huius vitae statu satisfecisse, et vitam aeternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam vere promeruisse censeantur: ergo cum inter conditiones requisitas, non opponatur maior intensio, et illis conditionibus appositis doceat expresse Concilium, nihil deesse vt promereantur, manifeste illi contradicet, qui aliquid deesse affirmauerit, maiorem scilicet intensionem. =

Habemus rursus ex sacra scriptura, nullum opus, quantumcumque exiguum, fraudari mercede sua. Marc. 9. et Math. 10. qui dederit minimis meis potum aquae frigidae non perdet mercedem suam. Potus aquae, adducitur in exemplum minimi operis, vt perpendat Concil. Trident. citatum dicens. Neque vero illud omittendum est, quod bonis operibus in sacris litteris, vsque adeo tribuatur, vt qui vni ex minimis suis potum aquae frigidae dederit, promittat Christus eum non esse sua mercede cariturum. vbi notanda sunt verba exagerationis Concilij. vsque adeo, et vt etiam. quibus quasi admiratur, nullum opus quantumuis exiguum a merito excludi. =

Legatur etiam Can. 24. 26. et 32. vbi damnat eum qui dixerit bona iustorum opera, quae per Christi gratiam fiunt, non mereri augmentum gloriae, et sanctitatis sed actus charitatis remissus, est bonum opus hominis iusti, factum ex gratia, et mere charitatis, nec deficit illi conditio aliqua ex requisitis ab ipso Concilio, ad hoc quod actus sit meritorius: ergo non est vnde ratio meriti, ei negari possit. =

Solutio Magistri Banez reijcitur.

Respondet Concilium, tantum heresim lutheranam damnare, que dicebat nulla opera hominis iusti esse causam augende sanctitatis, et ideo Concilium contra ipsam propositionem contradictoriam, non contrariam definire voluisse, scilicet aliqua opera iusti meritoria esse. Sed licet concilium primario contra hereticos coactum fuerit, potuit etiam Catholicos comprehendere, quatenus eos cum hereticis convenire animaduertit in propositione eorum sententie subalterna. Heretici dicebant, nulla opera bona esse meritoria. Catholici vero, saltem aliqua opera bona remissa scilicet, dicunt, merito=ria non esse. Concilium vero vniuersalis contraria vtramque expresse damnat, dicens: ni=hil deesse bonis operibus, vt promereantur, si in illis conditiones illi appositae interueniant. quid vniuersalius dici potuit. Adducit item testimonia vniuersalia sacrae scripturae. Abundate in omni opere bono. Ponderat que nec opera exigua valde excipi ab hac communi regula: manifeste ergo opponitur Concilio Banez. =

Denique si Ecclesia tantum damnasset hereticorum dogma, definiendo propositionem contradictoriam, et non contrariam, vt exerta illa, et non ista: alias non aduersaretur Cannoni 24. qui diceret, aliqua bona opera hominis iusti, esse so=lummodo signa, et fructus acceptae iustitiae. Neque contradiceret can. 26. qui affirmaret ho=mines iustos pro aliquibus bonis operibus in gratia Dei factis, non debere sperare aeter=nam retributionem. Neque incideret in sententiam Can. 32. qui ~~contradiceret~~ tenderet aliqua opera bona hominis iusti, ita esse dona Dei, vt non sint ipsius iustificati merita quae omnia absurda sunt, et nemo audebit admittere: ergo. =

Non solum de merito gloriae accidentalis, sed essentialis asser=tio intelligitur.

Propter hoc alij respondent, actus remissos, meritorios esse gloriae accidentalis vt eorum labor, non sit inanis coram Domino, contra Apostolicum dogma, et ver=ba Concilij vniuersaliter, omnibus operibus bonis meritum attribuentis, negant ta=men gloriam essentialem his actibus promereri, sed contra illos vrgent verba Conci=lij. cap. 16. et can. 32. expresse, et vniuersaliter, de merito vitae aeternae, et augmento gra=tiae loquentis. Sic que verba Pauli, et sacrae scripturae intelligentis, verba eius sunt. Non vero mereri augmentum gratiae, vitam aeternam, et ipsius vitae aeternae consecutio=nem, atque etiam gloriae augmentum, anathema sit. In alijs etiam locis in quibus Concilium docet iustitiam et gratiam augeri, idem de vita aeterna, et gloria essen=tiali asserit, quia gratiae eorum pondere debet. Neque heretici, premium accidenta=le negabant vt Concilium tanto verborum, et testimoniorum pondere contra illos ageret. =

Nec satis est actibus meritorijs, idem premium nouo titulo conferre.

Respondent alij actu remissos, mereri quidem præmium essentiale, non ta-
men novum, sed idem novo titulo. quæ solutio tantum verbis evadere contendit testimonia
adducta. Nam eodem præmio, et finito non potest satisfieri duobus operibus, si alias utrum-
que est ex meritoriis: si ergo primum opus condigne totum præmium promeruit, se-
cundum caret mercede sua. Mereri namque idem præmium novo titulo, non est augeri
præmium, sed augeri meritum, quod esset contra illud theologicum proverbium. Deus
præmiat supra condignum: et contra concilium citatum, et sacram scripturam di-
centem iustos per bona opera crescere in ipsa iustitia, et non tantum in meritis
illius, Deumque redditurum unicuique iuxta opera sua. Apocalipsis ultimo. Solutio
enim contradictoria esset vera, nam æquale præmium hominibus inæqualia merita
habentibus daretur, si opera meritoria remissa quis adderet, postquam iam per opus
intensum totum præmium, quod alter promeruisset. Ex quo rursus sequeretur, quod
inutiliter quis opera bona remissa elliceret, inanis que esset eius labor, si nihil am-
plius adquireret ex ipso, quam si tunc ab omnibus his operibus cessaret. Sequeretur
item, quod prima gratia caderet sub merito, quod nemo concedit. Patet sequela:
nam si primus actus meritorius hominis iustificati, sit remissus, et propter hoc non suffici-
ens ad augmentum gratiæ de novo promerendum, vel penitus præmio carebit, vel me-
rebitur primam gratiam præexistentem novo titulo: quia non est alia præexistens nisi
prima. Hoc etiam valde impugnat Reverendissimus noster Turnel 1 p. ad q. 62. art.
4. ubi ait. Nullus audebit dicere, quod gratiam prius acceptam aliquis postea promereatur.

Rationibus assertio nostra probatur.

Prima est, quod maior intensio in actu solum exigitur, quando physice concur-
rerit ad habitum, ut virtutem proportionatam ad eius augmentum habeat, sed efficatia, et
virtus, quam habent opera iusti, ad augendam gratiam et charitatem, non est physica
sed moralis, et meritoria, quæ virtus, non tantum sumit efficatiam, et valorem ab in-
tensione actus, sed etiam ex pluribus alijs circunstantijs, ut ex præcedentibus con-
stat, et ex materia de actibus humanis: ergo quantumuis actus sit remissus, potest ex
circunstantia obiecti, vel finis, vel ex duratione, aut frequentatione pluriorum efficere, id
quod actus intensior, imo excedere in virtute meritoria actus intensiores: nam excessus
in intensione ab alijs circunstantijs superari poterit: ergo non poterit illi negari præmi-
um essentiale, siquidem virtute proportionata ad tale præmium illi conceditur, qui-
nimo, et superexcedens virtutem intensioris actus. v.g. si ex duobus hominibus, quorum
unus sit dives, et alter pauper, dives charitate ut quinque, eleemosinam unius argentei
ex superfluis largiatur: pauper ex necessarijs triginta argenteis inimico suo, et si cha-
ritate remissiori subveniat, quis dubitet huius eleemosinam digniorem esse apud Deum.?

Præterea, si quis gratiam habens ut centum, actum exerceat ut nonaginta,
iste actus respectu illius remissus erit; respectu vero habentis charitatem ut octo, actus iste
novem erit intensus; quis vero dicat hunc meritorium, illum vero non.? vel hunc ita
exiguum præmio essentiali dignum, illum vero ita eximium accidentali tantum satis-
fieri.? Unde rursus sequitur peioris conditionis esse hominem iustum ad magnam gra-

tiam

tiam et charitatem suis operibus euectum. si eius opera subsequentia nullius essent meriti apud Deum, ex quod nequeat suis actibus, tanto conatu, et intensione operari vt adequet perfectionem adeptam sui habitus. =

Item, Deus punit peccata, quamtumuis remissa, et minima, et non eadem pena, nec titulo, sed diuersa peccatis diuersis correspondente: ergo si punit infra, et premiat supra condignum, dici non poterit opera remissa irremunerata relinquere. vel quod in nobis iniustitia videretur, multiplicatis meritis non correspondere multiplex premium. =

Confirmatur denique. quia respectus eiusdem stipendij ad plura merita minuit liberalitatem, et premium, quod tanto minus est, quanto pro maiori opere tribuitur vt colligitur Math. 20. ex parabola vinee, vbi operarij murmurabant aduersus patrem familias, dicentes. Hi nouissimi vna hora fecerunt, et pares illis nobis fecisti qui portauimus pondus diei, et estus. quasi idem denarium datum pro labore totius diei, minus stipendium esset, quam datum pro labore vnius hore. Neque reprehensi sunt operarij, ex quod falso existimasent, stipendium esse minus; potius enim taute hoc pater familias concessit, negauit tamen habere iustam causam querele, quia cum ex denario conuenissent, seruabatur cum illis iustitia, et cum alijs exercebatur liberalitas, reddendo illis maius stipendium, quam pro suis meritis: ergo in casu nostro, quod habenti magnam gratiam, non remunerentur nouo premio actus remissi, premiantur quemimores actus aliorum, esset illi iusta causa querele, quia seruatis conditionibus ex communi lege cum omnibus ad meritum requisitis, fraudatur mercede, que alijs minus operantibus conceditur. =

Sectio 2a. Argumentis oppositis satisfit.

Parum vrgent, que in oppositum obijciuntur sacre scripture testimonia, in quibus reprehenditur remissio, et negligentia in operibus charitatis. Apocalip 3o. reprehenditur Episcopus quidam, quia eius opera, non erant plena coram Deo; opera autem non plena, solum videntur esse opera remissa, que non adequant intensionem habitus. Adducuntur etiam communiter verba illa eiusdem capitis: vtinam frigidus, aut calidus esses sed quia tepidus es, incipiam te euomere. In quibus non solum frigiditas, que causatur per peccata, sed tepiditas que per opera remissa significatur, despicitur a Deo. qua propter Gregorius Magnus 3 p. pastor. Admonit. 35. ex hoc loco grauiter reprehendit eos qui in exercitio virtutum, tepide, ac remisse se habent. Atque communis solicitudo Patrum, ac virorum spiritualium hanc tepiditatem arguere, et a cordibus fidelium abijcere: ergo potius reprehensibilis est, quam premio digna. =

Ratione item id confirmari solet. quia qui negligenter vtitur donis acceptis, non est dignus maiora recipere, nam videtur gratiam Dei negligere, que ad maiorem profectum animam vocat, et inclinat. Deus item accommodat semper supernaturalem ordinem naturali, sed in ordine naturali constat habitus non augeri, actionibus remissis: ergo nec in supernaturali. =

Facile tamen his omnibus occurritur. Ad primum respondetur. opera

non

non plena non esse actus remissos, sed actus virtutum, pravis circumstantiis infectos. Ait enim D. Thom. 1a 2ae q. 18 art. 1o de bonitate morali, quod consistat in plenitudine essendi in genere moris, quae consurgit ex hoc, quod concurrant ines omnes circumstantiae debitae &c. ergo optime dicitur opus, non plenum illud, quod hac plenitudine caret, defectu alicuius circumstantiae, aut requisiti: requiri autem intensionem ad bonitatem operis, neque in sacra Scriptura, aut Conciliis, neque in doctrina de merito hucusque inventum est. Neque poterit unquam rationabiliter ~~[illegible]~~ affirmari, quod idem omnino actus ut novem v.g. in homine sanctiori, et intensioris gratiae sit inhonestus et irvirtuosus, et in subiecto minoris sanctitatis, sit bonus, et meritorius, potius enim maior sanctitas subiecti auget quam minuit valorem actus. =

Ad 2um Respondeo tepidum dici in sacra Scriptura et Patribus, qui negligens est in exercendis bonis operibus debitis, vel in vitandis venialibus, vel qui abscondit talentum domini sui, ita ut nihil ex eo lucretur. Unde simpliciter frigidus dicitur, qui est in peccato mortali; et calidus qui ex charitate operatur quantum vis remisse; quia cum charitas ignis sit, Luc. 12. ignem veni mittere in terram, non potest hoc igne licet exiguo succensus calidus non esse. Praesertim cum dicat S. Thom. 3 p. q. 10. art. 4. quod minima charitas plus meritoria est, quam cupiditas millia auri, et argenti. Ex contextu testimoniorum aperte constat, non argui dictos Episcopos de operibus bonis remissis, sed de peccatis, siquidem admonentur, ut poenitentiam agant; quinimo et de mortalibus notantur; dicitur enim habenti opera non plena, nomen habes, quod vivas, et mortuus est, et de tepido, quia tu es miser et miserabilis pauper et caecus et nudus, et infra: non appareat confusio nuditatis tuae, quae omnia peccatum mortale significant. Episcopus item qui cap. 2o reprehenditur, quod charitatem reliquerit, quamvis ex laudibus ibi adiunctis colligatur sermonem non esse de amissione primae gratiae, sed de charitatis fervore relicto, non accusatur de operibus remissis, sed de amissione operum quae antea exercebat. =

Ad primam rationem Respondetur neminem teneri ad operandum secundum ultimum suae potentiae. Hoc enim est Angelorum proprium, homines autem nec agnoscunt suos actus internos, nisi valde confuse, et a posteriori, ac proinde eorum intensionem ignorant, latitudinem que gradualem habitus, cui actus commensurari debebat. Est item eorum libertas multis contrariis etiam inculpabiliter exposita, distractioni scilicet carnis infirmitati, hebetudini naturali &c. Modus etiam operandi humanus propter suam limitationem, et imperfectionem plures multiplicat actus, tam in intellectu quam in voluntate, paulatim se disponens ab imperfectioribus ad perfectiores, efficitque per plura, quod per pauciora praestare nequit, sicut Angelus: ideoque non erit negligens, nec eius charitas otiosa, si in operibus bonis se exerceat, et quod unico actu simplici, non potest, pluribus perficit, ac supplet, sicque ad maiorem profectum a Deo intentum, et sibi paulatim perducitur. Secunda ratio, sequenti sectione commodius dissolvetur. =

Altera adversariorum obiectio, multipliciter dissolvitur

Obijcit item contraria sententia. Si quodlibet opus quantumuis remissum est meritorium, cum actus intensus includat infinitas partes proportionales latitudinis intensiuę, ęquivaleret infinitis actibus remissis, essetque meritorius premij infiniti: hoc autem est falsum: ergo et illud ex quo sequitur. Rursus, si duratio et cęterę circunstantię augent valorem actus cum actus in quolibet instanti mereatur certam portionem premij; et in vna hora v.g. sint infinita instantia, sequitur quod premium illi correspondens, sit infinitum, quod est absurdum =

Sed hoc argumentum retorquet Reuerendissimus noster Zumel 1a. 2ę. q. 114. art. 8. contra Bañes, qui saltem premium accidentale fatetur, cui etiam infinitas repugnat, sicut essentiali: omissis autem multis quibus inutiliter aliqui laborant, et importunis replicis retorquent. Respondeo, primum concedendo, quod meritis nostris correspondeat infinitum premium, eodem tamen genere infinitatis, secundum partes scilicet proportionales, et se inuicem communicantes. Quinimo et alia longe maiori, nam duratio premij et totius augmenti illius, est ęterna, et simpliciter infinita; duratio autem meriti momentanea. Substantia item actus beatifici, et eius latitudo incomparabiliter supperat omnem perfectionem actus meritorij. Propter quod Deus dicitur semper premians supra condignum. Et Apost. ad Rom. 8. quod non sunt condignę passiones huius temporis ad futuram gloriam quę reuelabitur in nobis, et quia momentaneum, et leue tribulationis nostrę, supra modum in sublimitate ęternum glorię pondus operatur. vt dicit 2. Chorint. 4. =

Non est eadem ratio de latitudine, et augmento phisico, et in genere moris.

Secundo dico. Nihil irrationabilius, quam velle commensurare premium cum partibus proportionalibus, quia infinities repetuntur, et se communicant, ac proinde earumdem repetitioni, non debet correspondere nouum premium, imo nec cuilibet parti phisice diuisibili etiam et determinatis, et non se communicantibus correspondet nouum, et speciale premium, quia vt dixi materia de bonitate, et malitia, non quęlibet pars phisica intensionis, aut durationis, auget moraliter valorem, aut meritum actus, sed tantum partes notabiles, quę percipiuntur ab intellectu, et acceptantur a voluntate, quę secum afferunt nouum libertatis exercitium saltem partiale, non sunt autem perceptibiles omnes partes minimę intensionis, nec instantia durationis; quin potius facto priori impetu, et conatu tam intellectus, quam voluntatis in aliquod obiectum, naturaliter, et necesiario durant pro aliquo tempore, ita vt talis duratio, non sit formaliter, et inmediate libera, quo ad omnes partes sigillatim, et instantia illius, sed mediante substantia actus ex qua naturali sequela oritur illa duratio, vt illius proprietas. Sic etiam per multum tempus, solent intellectus, et voluntas inaduertenter manere suspense circa sua obiecta bona, vel mala. Quapropter duratio aliqua, vel intensio computatur, quasi substantia moraliter indiuisibilis actus, et non vt circunstantia illius, nisi tantum in esse phisico =

Sed demus omnino indiuissibilem primum actum in genere phisico, non merebitur propter hoc indiuisibile premij, sed vitam ad minus ęternam: ergo neque e contra, rationabilis comparatio fieret, aut consequentia, a quolibet instanti, aut parte

phisica

phisica meriti ad novum premium. Et si enim pro portionabiliter, et Geometrice Deus tanto maius premium conferat, quanto magis crescit bonitas moralis meriti, nec una, nec altera mensurabitur instantibus, aut partibus phisicis. Ponamus etiam actum notabiliter crescere in intensione, et duratione, ita ut sint circunstantie in genere moris sub nova libertate et advertentia rationis, regulariter non correspondet circunstantijs maius premium, quam substantie indivisibili actus, quia essentia potior est, quam proprietates, que illi tanquam radici sunt connaturales. Unde et si duratio sit per unam horam, et in ea sint infinita momenta, toti illi correspondet certa, et determinata mensura premij; quia infinita illa instantia materialiter, et pure phisice, ibi se habent, nec addunt novam libertatem, laborem, et advertentiam, nova estimatione morali dignam, sed addant quantam volueris. Hec, et beatitate premij etiam dixi sufficienter compensatur. Ex hoc tandem infero, quod. =

Actus intensus ut octo. vel durans v.g. per unam horam non equivalet tot remissis, quod sint partes intensionis aut durationis illius.

Quia in pluribus actibus remissis multiplicatur substantia actus simul cum nova libertate, industria, et labore, advertentia que rationis, ex quibus principaliter valor meritorius resultat. At quando actus est idem sub nova intensione, aut duratione, est eadem substantia actus, cui tantum additur circunstantia intensionis, aut durationis, cuius meritum est minoris momenti, et cuius mensura, et proportio cum premio soli Deo cognita est. =

Dices: ex hoc sequeretur, consulendum esse homini, quod non continuet actus, nec conetur ad intensiores eliciendos, sed ad plures remissos interruptos, quod nemo audebit dicere. = Respondetur negando sequelam: quia non possunt in eodem temporis spatio tot actus interrupti elici, quot sunt partes intensionis aut durationis unius continuati per idem tempus; sicut nec possunt tot ignes accendi, et extingui, quot sunt partes unius accensi, et continuati per idem temporis spatium. Ratio manifeste constat ex novis difficultatibus quas patitur voluntas in inceptione cuiuslibet operis, et ex mora temporis, que inter actum, et actum, necessario intervenit, sicut in exemplo posito, esset inter ignem extinctum, et denuo accensum. Voluntas item postquam frigescit cessatione actus, non est secura de reditu ad illum, nec de victoria tentationum sepius illi obstantium, ideoque semper timere debet distractionis periculum, infirmitatem que ac tepiditatem suam, ut iterum calefiat. =

Sectio 3.a de lure ne statim premium, pro actibus remissis.

In hac re due sunt satis celebres sententie. Prima est quod quamvis actibus remissis, augeantur meritorie, gratia, et charitas, non tamen statim, donec actus adsit intensior, qui solum est connaturalis, et proporcionata dispositio ad augmentum habitus. Do-

cet

cet S. Thom. hic et 1a 2ae. q. 114. art. 8. ad 3. eumque sequitur Caiet. Capreolus, et alii antiqui Thomistae. Insuper Scotus, eiusque familia. Sequitur tandem illam Reverendissimus noster Lumel. 1a p. tomo 2. q. 95. art. 4. ubi dicit communem fuisse apud antiquos Theologos, et expressam S. Thomae. Fundamentum huius sententiae est, quod inter ordinem supernaturalem, et naturalem semper est servanda proportio, quoties commode, et sine inconvenienti fieri potest, et ex sacris litteris oppositum non constat. Sed in naturalibus agens remissum, non auget effectum intensiorem, nec actus disponit ad habitum excedentem in quantitate graduali: ergo neque in supernaturalibus. Maior constat ex communi Theologorum consensu, qui ad plures alias resolutiones, in ea solum fundantur. Ex ea enim inferunt habitus supernaturales infusos ad opera supernaturalia, per quas quaedispositiones adipisci. Ex ea colligunt innumeri primum actum supernaturalem, non produci ab habitu, sed ab auxilio eius vicem gerente; quia sic in naturalibus accidit. Deum autem semper naturalem ordinem imitari de facto, et ex communi lege. Secundo, similis dispositio quae requiritur ad introductionem formae, exigitur ad augmentum illius, sed ad introductionem gratiae requiritur dispositio proportionata in intensione adaequans omnes gradus habitus: ergo similis dispositio necessaria est ad augmentum, ac proinde non sufficiet actus remissior, unde quamvis creatura ob suam imperfectam libertatem a modo connaturali defficiat in suis dispositionibus, cum Deus sit causa principalis particularis infusionis, et augmenti gratiae tenetur illam infundere, et augere perfectissimo modo possibili benigne ac suaviter expectando creaturae dispositiones.

Secunda sententia, statim praemium, conferri docet.

Estque hoc tempore communior, et plausibilior apud iuniores, quos non affero, quia satis noti sunt. Docent etiam illam graves Thomistae. Victoria scilicet relect. de augmento Charitatis. 1a p. num. 4. Sotus in 4. distinct. 15. q. 2. art. 2. et 2. de nat. et gratia cap. 17 in fine. Et vega lib. 7. in Tri. cap. 26. et lib. 15. cap. 16. quamvis hi tres Doctores sine fundamento distinguant inter gratiam, et charitatem, concedentes singularis actibus remissis gratiam augeri, charitatem vero minime. Cum enim charitas sit inseparabilis gratiae proprietas, abeaque phisice dimanans. (Ut latius disp. sect. et 1a 2ae. materia de iustificatione demonstro) non potest una statim augeri, et non alia. Ridiculum quaeest, quod propter servandum ordinem connaturalem inter actus, et habitus, invertatur ordo naturalis in re gravissimi, scilicet inter naturam, et suas proprietates.

Probatur iam haec sententia, non levibus rationibus. Prima sumitur ex differentia quae inter habitus infusos, et adquisitos intercedit. Adquisiti enim cum augeantur efficienter a suis actibus, postulant necessario actus intensiores, quia a proportione minoris virtutis, non est actio. Habitus vero infusi, meritorie tantum a suis actibus pendent. Vis autem meritoria non est in sola actus intensione, sed etiam in actibus aliarum virtutum a charitate imperatis in duratione, et aliis circumstantiis: ergo vis et negandum est his actibus meritum, quod non audent oppositi Authores, vel sine fundamento illius prae-

-mium

rium differtur, cum hoc sit diuinæ bonitati, ac liberalitati magis consentaneum.=

Neque satisfacit dicere, quod quamuis in genere causæ meritoriæ sint sufficientia, non in ratione dispositionis proporcionatæ, et connaturalis. Contra hoc enim est, quod non sunt dispositiones phisicæ, sed tantum morales, sed nulla maior dispositio excogitari potest in genere moris, quam meritoria: ergo si conceditur actus remissos esse condigne meritorios, etiam admitti debet sufficientes dispositiones esse. Minor probatur. quia sicut in naturalibus ille actus est sufficiens dispositio, qui est causa proportionata augmenti habitus, ita in moralibus, qui est sufficiens causa moralis meritoria, erit in eodem genere dispositio sufficiens.=

Secunda ratio; si semper est necessarius actus feruentior, tamquam dispositio; sequitur, quod actus remissi, nunquam remunerentur, ac proinde quod non sint meritorij, contra Concilium Trident. cuius est doctrina opposita, vt iam præcedenti sectione demonstraui: ergo. Sequela probatur. Ponamus hominem habentem charitatem vt octo et elicere plures actus remissos vt quatuor, si postea se disponat, actu intensiori vt decem augebitur habitus charitatis vsque ad decimum gradum; quia sic in naturalibus accidit: ergo actus remissi præteriti suo præmio carebunt, quinimo et actus intensus vt decem cum supponat octo gradus in habitu, et solum vsque ad decimum illum augeat quoad duos gradus remunerabitur tantum. cæteri vero suo præmio carebunt; frustrantur ergo et actus intensi suo merito semper.=

Responderi solet, dari in instanti mortis, vel in alia vita totum illud præmium. Sed contra. quia ibi idem argumentum vrget. vel datur tunc præmium, sufficiente dispositione intensiori præsupposita, et sic actus remissi, non concurrunt ad tale præmium, neque intuitu illorum confertur. vel nulla adest noua dispositio, et si qua ratione tunc immutatur naturalis ordo in alia vita, poterit in ista, in qua non erit tantum inconueniens hunc defectum admittere, libertati quæ creaturæ attribuere, quam in altera vbi soli Deo tribuendus est. Idem argumentum fieri potest de ipsa dispositione intensiori tunc adueniente quoad reliquos gradus, quos non causat, quia supponit in habitu, si talis dispositio ponitur in fine huius vitæ, vbi adhuc est locus merendi.=

Tertia ratio. Actus intensiores regulariter, et iuxta connaturalem modum non possunt ab alio principio procedere, quam ab habitu; sed habitus cum sit remissior vt supponitur, non potest ad illos concurrere; ergo neque homo tenetur intensiorem actum elicere, quia per se loquendo, non habet proporcionatam virtutem ad illum.=

Quod si dicas. Deum supplere per auxilium defectum habitus, iam inuertitur hic ordo naturalis, nec pro vna, vel altera vice, sed regulariter, et semper quoties homo operatur: non est autem rationi consonum, propter seruandum vnum ordinem naturalem alium peruertere maioris, vel æqualis momenti: ergo.=

Dices iterum. Habitus infusos, cum se habeant vt potentiæ, et causæ æquiuocæ, et si habeant minorem latitudinem gradualem, posse in virtute essentiali excedere actus intensiores, eosque emminenter, seu virtualiter continere, ac proinde virtute propria et sine speciali Dei auxilio eos producere.= Sed contra. licet hoc verum sit in potentijs quæ in indiuisibili consistunt, et a radice substantiali, et indiuisibili dimanant, vt illius proprietates, vt sunt intellectus et voluntas pullulantes ab anima. At quando tales

virtutes

virtutes habent latitudinem graduatem in sua perfectione, proceduntque ex radice similiter capaci latitudinis intensivæ, cui commensurantur, ut sunt habitus infusi, et gratia sanctificans, signum evidens est, non sufficere ad quodlibet actus, quemcumque gradum habitus, sed quod virtus illius est dispersa in varios illos gradus, quibus recipit magis et minus, quo supposito, de quo nullus est qui dubitet, negari non potest intensiores actus, non nisi ab intensiori habitu procedere. et quod sicut ad intensionem habitum phisice disponunt, ut contendit semper opposita sententia, sic illi commensurentur in causalitate.=

Supponuntur aliqua ad huius resolutionem difficultatis.

Utraque tamen sententia, taliter explicari potest, ut ad concordiam, et veritatem meo iudicio reducantur. Suppono igitur valorem meritorium actuum, non tantum sumi ex intensione phisica, ut dixi, sed etiam ex multis aliis capitibus, obiecto scilicet formali, et materiali, ex duratione, sanctitate personæ, ex ipsorum actuum frequentatione, difficultatibus et aliis circunstantiis. qua ratione stare potest cum minori intensione phisica, maior vis meritoria: actus v.g. remissus efficaciter imperans martirium, meriti longe maioris esset, quam actus intensior erogans eleemosinam, vel quid ipsam simile. Plures etiam actus phisice remissi moraliter possunt intensiorem excedere.=

Secundo animadverto, intensionem, aut remissionem actus accipi, vel pro phisica, vel pro morali, quæ denotat quantitatem valoris meritorii, quæ ex obiecto, et omnibus aliis circunstantiis consurgit, quæ quantitas non molis, sed virtutis est, suscipi magis, et minus in eo genere, ad modum qualitatis. Et in hoc sensu ille actus dicetur moraliter remissus respectu gratiæ, ut octo, qui non tantum quoad intensionem phisicam, sed quoad moralem, valorem scilicet meritorium, quinque gradus meriti dumtaxat continet, ille vero dicetur intensior, qui novem gradus valoris continet, et si alias sit phisice remissus.=

Tertio suppono, quod sicut in peccato transacto actu, permanet illius malitia formaliter per modum habitus; ita in meritis, transacta eorum entitate phisica, manet dignitas, et dispositio moralis ad gratiam, eamque comitatur. Nam communiter hos actus esse dispositiones, ad gratiam, et charitatem, docent omnes, et omnis dispositio ex natura sua petit non solum antecedere, sed comitari formam, ad quam disponit, quia requiritur non tantum adesse, sed ad conservari, ut patet in phisicis: ergo cum huiusmodi actus, non possint phisice, ac semper comitari gratiam, propterea dicuntur dispositiones morales, debent illam saltem moraliter comitari, in hac vita; nam in patria ubi gratia erit omnino perfecta, talis dispositio per totam æternitatem, erit phisice permanens.=

Constat item hoc doctrina ex ratione amicitiæ: sicut enim amicitia humana est status habitualis, moraliter resultans, ex benevolentia mutua, vel quod idem est ipse amor reciprocus, et frequentatus, quatenus moraliter permanet. Sic amicitia divina inter Deum et homines, præter habitum gratiæ, consistit in mutua utriusque venebolentia, illiusque frequentatione, quatenus moraliter permanet: et ergo dispositio, semper gratiam comitans talis amor ad Deum, omniaque obsequia illi exhibita, ex vi talis amicitiæ, et consequenter omnes ac-

tus

tus meritorij, quia ex tali amore proficiscuntur. =

Est item communis Theologorum doctrina, merita post mortale peccatum mortificata, actu contritionis reuiuisci, sed non possunt phisice reuiuiscere, ut patet: ergo moraliter viuebant ante peccatum, et moraliter post penitentiam resurgunt. =

Sectio 4. statim semper confertur premium, etiam seruata proportione, cum dispositione intensiori.

Dispositis, primo dicendum est, per actus phisice remissos, eo ipso quod sint intensiores in genere moris, et merita de condigno, sufficienter disponitur quis ad augmentum gratie et charitatis statim recipiendum. Hanc amplecti debent omnes Authores secunde sententie. Docetque illam Reuerendissimus noster Zumel. 1a. 2e. super art. 8. q. 114. disp. 3. Et sic exponit D. Th. Capreolum, et alios antiquos Thomistas. Et reuera nullum est verbum quo S. Doctor significet se loqui de intensione phisica, prout distinguitur a morali; sed quod loquitur iuxta subiectam materiam, videlicet in genere moris. Ratio cuius efficax est. quia actus in eo genere proportionem habere debent cum augmento habitus in quo illud causant, et ad illud disponunt, sed moraliter causant illud actus phisice remissi, ratione virtutis moralis meritorie, in qua illud continent: ergo satis est quod sint intensiores, et proporcionati in genere moris, et in virtute per quam illud causant, ut statim ac connaturaliter sortiantur effectum. que ratio confirmatur satis argumentis secunde sententie =

Dico 2o. Non est necesse, quod actus intensior connaturaliter disponens ad augmentum charitatis statim conferendum sit phisice unus, sed plures actus remissi, siue preteriti, siue presentes, si equiualeant moraliter uni intensiori v.g. ut decem, disponunt ad decem gradus gratie et charitatis statim conferendos. Docet Reuerendissimus noster Zumel citatus 1a p. et in 1a. 2e disp. 2 in responsione ad fundamenta 4 opinionis. Refertque pro ea Capreolum in 1o. dist. 17. q. 2. art. 1o. ad 2. Principaliter Aureoli et victor. in relectione de augmento charitatis. =

Preterea: hanc esse S. Th. doctrinam, constat primo ex eo quod in hoc art. asserit, quemlibet actum charitatis, disponere ad charitatis augmentum, licet non adequate, et sufficienter, donec fiat actus feruentior: Adducitque exemplum de dispositionibus naturalibus, que paulatim disponunt ad augmentum animalis. Et in solutione ad 2. art. quod sicut in generatione virtutis adquisite, non quilibet actus complet generationem virtutis, sed quilibet operatur ad eam disponens, et ultimus qui est perfectior perducit eam in actum: sicut etiam est in multis guttis cauantibus lapidem. que duo exempla, sunt valde notanda, nam omnes gutte cauant, et omnes actus causant virtutem adquisitam, licet per priores actus, non accipiat statum, et denominationem virtutis perfecte sicut nec priores gutte absolute cauare dicantur propter imperceptibilem effectum quem causant. Sentit ergo ex pluribus actibus remissis unam intensiorem dispositionem coalescere, alias actus remissi, nihil causarent ad augmentum, quod ipse negat, concludens in corpore, quolibet actu remisso charitatem augeri. =

Ratione item probatur. quia in dispositionibus moralibus, solum attendendum est

dum est

da est maior intensio in genere moris, idest maior quantitas valoris moralis, sed plures actus remissi moraliter æquivalent in intensione morali, et quantitate dispositiua actui feruentiori: ergo possunt proportionate, et connaturaliter disponere, sicut actus phisice intensior. Maior et Minor constant ex notabilibus positis, et consequentia euidenter infertur. =

Confirmatur quia nec in phisicis est necessarium, quod dispositio ad vnam formam, sit vna simplex, sed ex pluribus regulariter coalescit, vt patet in alteratione materiæ quæ ad generationem præcedit, et in iustificatione ad quam plures prærequiruntur dispositiones quas Concil. Trident. enumerat sess. 6. cap. Ergo etiam in augmento talis iustificationis, nullum est inconueniens, plures actus remissos vnam adequatam dispositionem intensiorem, et proportionatam conferre. quæ sane dispositio, non erit tantum extensiue maior, sed etiam intensiue moraliter, quatenus virtutem auget ad merendum eosdem gradus quos actus intensior. =

Ex dictis colligitur 3º. dicendum quolibet actu quantumuis remisso gratiam et charitatem statim augeri. Probatur quia phisica remissio, non obstat vt augmentum tunc statim conferatur, vt iam satis probatum est. Si vero actus sit etiam moraliter remissus respectu totius quantitatis gratiæ, quæ augetur v.g. si quis habens gratiam vt octo elliciat actum meritorium vt quatuor, nec tunc obstabit, quod statim conferatur augmentum, nam sic actus vt quatuor coniunctus cum cæteris præcedentibus, moraliter quæ permanentibus, vt dictum est, vnam adequatam dispositionem efficit vt gratia augeatur vsque ad duodecimum gradum iuxta modum naturalis augmenti, per quatuor quos affert talis actus, concurrit ratione sui ad quatuor de nouo additos gratiæ, et ad reliquos octo, quos antea præhabebat gratia concurrit ratione dispositionum præexistentium, cum quibus moraliter iungitur. =

Argumentis oppositis satis fit

Obijcies. Licet hæc verba sint in adultis, qui propria dispositione fuerunt iustificati, in paruulis, quorum prima gratia, non fuit ex propria dispositione collata, postquam in statu discretionis augent gratiam, omnes actus illius erunt remissi etiam moraliter respectu totius quantitatis gratiæ, quæ augetur, quia saltem gradus primæ gratiæ numquam poterunt adequari per subsequentes dispositiones, quæ suum proprium meritum afferunt. =

Respondetur quod sicut Adam Pater noster, et caput, potens fuit peccatum suum moraliter in homines transfundere; sic Christus Dominus, qui multo potentior est ad influendum nobis bona, in quantum caput est corporis Ecclesiæ, nos que membra eius hanc dispositionem pro paruulis efficit, eos in baptismo reconcilians Deo. nam sicut Adami peccatum, moraliter nobis imputatur ad culpam, fuit que nobis voluntarium, vt materia de peccato originali dicitur. Sic satisfactio Christi, et voluntas moraliter reputatur et acceptatur a Deo, vt voluntas nostra. Applicatur hæc Christi satisfactio, non in finito modo, sicut fuit in persona Christi, sed iuxta mensuram gratiæ baptismalis quæ illi confertur. In huius significatione, Ecclesia nomine paruuli baptizandi, Respondet, Abrenuntio. =

Ex dictis soluta manent fundamenta primæ sententiæ. Concedimus ordinem supernaturalem, naturalem imitari in quantum commode fieri potest, et ideo sicut in augmen-

to

to habitu phisice producibili a suis actibus requiritur proportio et intensio phisica, ut actu contineant virtualiter omnes gradus habitus, qui per illa augetur: sic proporcionabiliter in augmento habitus infusi; quia moraliter tantum, et non phisice a suis actibus causatur, requiritur quod in eodem genere, quo est causalitas sit proportio, scilicet morali, quia maioralia in gratia non est possibilis, in patria autem ubi status merendi et augendi cessat, gratia que consummate perficitur, habebit dispositiones phisice proporcionatas, eam que inseparabiliter comitantes per totam eternitatem, qua mensurantur actus beatifici. =

Sectio quinta. Mens exponitur Divi Thome.

Obiicitur tandem S. Th. expresse oppositum in hoc art. 6. affirmans: Ad primum ait, quod sicut quilibet actus charitatis meretur vitam eternam, non quidem statim exhibendam, sed suo tempore, ita meretur charitatis augmentum, non tamen statim augetur, sed quando aliquis conatur ad huiusmodi profectum, et in corpore, quod sicut per aliquod tempus operatur natura, nihil augens actu, sed disponens ad augmentum; ita etiam non quolibet actu charitatis charitas augetur, sed disponit ad charitatis augmentum: sentit ergo manifeste oppositum. =

Respondetur primo ex mente principalium discipulorum eius, et Reverendissimi nostri Zumel iam citati, quod in hoc articulo ut constat ex eius titulo, hoc unum principaliter intendit S. Doctor scilicet, quolibet actu charitatis mereri quemlibet charitatis augmentum, et disponi ad illud, quia sic constat ex Concil. Trident. et est certa doctrina que negari non potest, ut in superioribus visum est. — Sed ne veritas solida huius sententie pendeat ex opinionibus minus certis, saluat, et defendit illam in omni opinione gratis admittens, eamque a Scoto, multis que aliis gravissimis huius temporis amplectebatur, ut ostendat nec per illam labefactari hanc veritatem de merito omnium actuum charitatis etiam remissorum, quia licet non statim detur premium, suo tempore dabitur ut patet ex merito glorie: unde liberum est eius discipulis, qui hoc secundum punctum ex professo discutere volunt, eligere partem, quam maluerint. =

Secundo in gratiam eorum, qui litteram S. Thome intelligere volunt cum omni rigore ut sonat, exponam modum satis probabilem, quo sustineri possit, simul que respondeam rationibus secunde sententie. Ad primam dico solum probare, non esse necessariam intensionem phisicam in actibus, ut habitum infusum augeant, sicut nec est in illis causalitas phisica; quod totum verum est, et non negat S. Th. est tamen necessaria intensio in genere moris ut saltem moraliter proportio servetur inter dispositionem et habitum augendum ad modum quo phisica in augmento servatur naturali. =

Ad replicam autem contra hoc, proporcionata dispositio in genere moris est causa meritoria: ergo si actui remisso conceditur, quod sit meritorius augmenti, etiam quod sit dispositio ad illud. = Respondetur concesso antecedenti, distinguo consequens: actus remissus est causa meritoria augmenti quantum ad excessum de novo conferendum, concedo. Est meritoria quantum ad omnes gradus habitus qui augetur, nego: quia tamen dispositio debet commensurari cum tota forma, ac proinde cum omnibus gradibus illius tam preexistentibus, quam de novo additis, hinc est quod actus remissus,

non

non possit esse proporcionata dispositio:=

Urgeri iterum: Coniungatur moraliter actus hic remissus, cum actibus praeexistentibus ut ame probatum est praecedenti sectione, et sic erit dispositio sufficiens ut statim remuneretur.=

Respondetur tamen. quamuis nuper verius indicauerim, quia non excludo, sed etiam defendo probabilitatem sententiae oppositae, distinguenda esse duo genera actuum praeteritorum. Aut enim sunt iam remunerati, et suum praemium sortiti, et sic transierunt iam phisice et moraliter: nam licet manere dicantur in suo effectu scilicet gratia, in quantum illa mediante conferunt ius ad gloriam, iam sunt vere praeteriti in ratione dispositionis, sicut et in ratione causae meritoriae, et sicut vniuersaliter omnis effectus, qui tantum in fieri pendet a causa, et non in conseruari, manet in rerum natura transacta causa, aut ergo isti actus suam mercedem nondum receperunt, sed propter suam remissionem expectant alios actus, cum quibus vnam intensiorem et proporcionatam dispositionem efficiant, et si speciali titulo moraliter manere dicuntur, donec suam remunerationem accipiant, nam viuit causalitas, et vis meritoria dum vrget donatorem, et illum obligat, ut ita loquar ad praemium elargiendum. Cum his ergo actibus coniungi possunt actus remissi subsequentes, ut ad praemium recipiendum integre disponant.=

Ex quo ad secundam rationem fatendum est, quod cum omnis mereatur tantus gradus excessus de nouo conferendi, et dispositio debeat insuper continere omnes gradus habitus praeexistentis, qui augetur (quia debet commensurari toti formae cuius est dispositio) numquam actus nec intensius, neque remissus poterit adequatum praemium suum statim recipere. Nam omnes gradus meriti de nouo aduenientes, eo ipso quod disponant ad gradus gratiae praeexistentis impediuntur pro illa vice a retributione noui praemij, quia non possunt simul disponere ad gradus de nouo conferendos, sed cum charitas non sit otiosa, possitque homo iustus facillime frequentare actus saltem remissos, aliosque aliarum virtutum, ut postea dicam, imperare, illisque plures circunstantias apponere, hinc est, quod facillime possit se disponere, ut continue crescere possit in ipsa iustitia, de die in diem, ut ait Concil. Trident. citatum.=

Numquam tamen ~~pre~~ praemium totum debitum in hac vita recipiet propter rationem dictam, recipiet tamen in ingressu alterius, siue transferatur in purgatorium, siue inmediate rapiatur ad caelum; quia tunc anima, cum primum corpore egreditur, prorumpit in feruentissimum Dei amorem, iuxta mensuram gratiae, et charitatis, quae correspondet meritis totius vitae, et cum talis dispositio meritoria non sit, quia iam est anima extra statum merendi, et amplius crescendi, confertur ex vi illius tota quantitas gratiae, debita actibus huius vitae, sine eo quod noua alia debeatur.=

Nec sequitur ex hoc, quod detur profectus in alia vita, augmentum scilicet gratiae et charitatis; nam solus progressus meritorum ex parte nostra. ut docet D. Th. art. 4. est qui nos formaliter ambulantes, et viatores constituit, quia sicut corpus pedibus, ita anima mouetur affectibus. ut etiam docet S. Augustinus. Et hic est qui negari debet in alia vita. Alioquin profectum intelligatur retributio praemij ex parte Dei, non solum non est inconueniens, imo et necessario dicendum, nam in altera tribuitur animae gloria, et gratiae consumatio, aliaque supereminens dispositio gloriae proporcionata, et accommodata.=

Nec derogat aliquid summae Dei liberalitati, quod differat his actibus suum debitum praemium, potius enim eam extollit, quia confert illis maius praemium, quam

assequerentur

assequerentur ipsi si ad illius augmentum, phisice concurrerent. Praeterea cum meritum pendeat ex pacto Dei, si Deus ordinavit non conferre praemium, nisi dependenter a connaturali dispositione saltem morali, non dicetur proprie differri praemium actibus remissis: quia sicut gloriam, non statim illis debetur, sed pro suo tempore (ut ait S. Doctor ad 1³.) et dependenter ab aliis requisitis: sic et augmentum gratiae, non statim datur, nisi pro tempore quo fuerit proporcionata dispositio.=

Fortasse etiam habuit Deus plura alia motiva ad differendum in hac vita totum gratiae augmentum, meritis correspondens, quia forte maioris intensionis est, quam permittitur in hac vita, siquidem qualibet, quantumuis minimo, obsequio augetur. Nec videtur ita rationi consonum, quod charitas viae adequat in intensione charitatem Patriae. Praesertim cum in via numquam operetur actu, secundum totam latitudinem suae virtutis, necessaria non est tanta latitudo in habitu, nam ex defectu clarae visionis obiecti nullus in hac vita, quantumuis iustus, poterit Deum tota amplitudine, et perfectione habitus, omnibus meritis huiusmodi correspondentis. Piissimus que, ac liberalissimus Deus, ideo meritis exiguis, sicut potui aquae frigidae, gratiae augmentum spopondit; quia attendit ad statum perfectissimum gloriae, in quo summa intensio est necessaria, non ad hanc vitam.=

Sectio 6. Utrum solis actibus charitatis, tribuatur charitatis augmentum

Bañes hic, dub. 5. et relect. de merito, et augmento charitatis actibus aliarum virtutum, etiam si a charitate imperentur sic excludit a merito, ita ut doceat iustum, non consequi per illos maiorem gratiam, aut gloriam essentialem, nisi eam tantum quae praecise correspondet charitatis imperio, tantum accidentale gaudium ab illis mereri fatetur. Unde infert conclusione 6. eiusdem dubii, quod si iustus ex quali affectu charitatis paruam tribuat eleemosinam, non minus merebitur gloria essentiali, quam si eodem affectu martirium pro fide Christi subiret. Videtur aperta D. Th. sententia. 1^ap. q 95. art. 4. ubi distinguit in merito duas rationes. Alteram ex radice charitatis, et huic affirmat respondere gloriam essentialem. Alteram ex labore operis susceptis, et huic tribuit praemium accidentale. Et 2^a2^e. q 124. art. 1. ad 3. docet. Patientiam martirum, non habere aliam perfectionem, praeter perfectionem charitatis, a qua imperatur martirium. Articulo item 4. huius quaestionis, docet. Solam charitatem esse, qua ad Deum tendimus, et appropinquamur, et qua mediante habitus charitatis augetur. Ideoque in hoc articulo, tantum quaerit. Utrum, quolibet actu charitatis, charitas augeatur, nulla facta mentione, de actibus aliarum virtutum, quasi supponens, ex antecedente articulo, solo actu charitatis augeri.=

Ratione item probatur. Quia ratio formalis merendi est charitas, sine qua actus aliarum virtutum, meritorii non sunt, ut patet 1^a Chorint. 13. Sine charitate nihil sum, nihil mihi prodest &c^a. Docetque S. Th. infra. q 83. art. 15. Oratio, sicut et quilibet actus virtutis habet efficaciam merendi in quantum procedit ex radice charitatis: ergo tota quantitas meriti ex charitate pensanda est. Actus vero aliarum virtutum, solum materialiter se habent ad meritum.= Confirmatur. Quia perfectio christianae vitae, simpliciter in

charitate

charitate consistit, et in aliis virtutibus secundum quid. vt q. illa 184. art. 1. docet S. Th. quia per illam formaliter respicit homo vltimum finem, ad quem eleuatus est: ergo iuxta mensuram charitatis, erit retributio gloriæ essentialis, quæ respondet perfectioni vitæ Christianæ.

Secunda sententia, extreme opposita, ita extendit merita, vt putet cuicumque actui bono, dum modo sit hominis iusti, et si non habeat charitatis imperium, nec ordinem aliquem ad supernaturalem finem constitutum, esse præmium augmenti gratiæ, et essentialis gloriæ. Diuisi sunt in duas classes illius Authores. quidam id tantum de operibus supernaturalibus docent. quidam etiam ad opera naturalia extendunt. scilicet meritoria esse absque relatione charitatis ad vltimum finem supernaturalem, per hoc quod gratiæ habitus, sit in subiecto. fundamentum vtriusque est. quia sequeretur totam rationem meriti in sola charitate constitui, actus vero aliarum virtutum a merito vitæ æternæ excludi, quod est plane falsum, contra sacram scripturam, et Concil. Trident. asserens omnia opera in gratia Dei, facta esse meritoria.

Contra vtramque copiose disputatur, materia de merito. quia tamen hic etiam suum locum habet. Dico primo contra secundam sententiam.

Nulla opera naturalia, absque relatione actuali charitatis sunt meritoria.

Est communis, et fere omnium, paucis exceptis. Patet ex concilijs, et Patribus, qui semper ad opera meritoria, gratiam requirunt. sic Trident. sess. 6. cap. 16. docet. vt actus sit meritorius, necessarium esse, vt Christus tamquam vitis in palmites, iugiter influat, et eius virtus, bona eorum opera præcedat, comitetur, et sequatur. Et multo ante Concil. Arausic. can. 18. debetur merces bonis operibus si fiant, gratia autem quæ non debetur, præcedit vt fiant. legatur caput 4. eiusdem, et alibi sæpe, tamen ipsum, quam cætera concilia hunc influxum gratiæ requirunt. Propter quod omne opus meritorium, procedere ex charitate, vel ex fide, quæ per dilectionem operatur, fidemque esse humanæ salutis initium, et fundamentum. legatur etiam Aug. lib. de gratia Christi, cap. 12. et 22. de gratia. et lib. Arb. cap. 16. et 17. et de spirit. et litter. cap. 14. vbi post alia concludit: non est fructus bonus actus qui ex radice charitatis non surgit. vel vt alij legunt: non enim fructus est bonus, qui de charitatis radijs non surgit. Multa etiam sacræ scripturæ testimonia afferuntur a Patribus, et doctoribus, materia de merito, in quibus non possum hic immorari. solum adverto, propter hæc. Vasquez qui tomo 2. in 1a. 2æ disp. 217. meritum tribuit operibus naturalibus. docet item cap. 9. vt censuram conciliorum euadat, ad omne opus moraliter bonum gratiam per Christum requiri, vt sic saluet etiam testimonia sacræ scripturæ, quibus Deus vitam æternam promittit, si fiant opera in nomine Christi. quæ suppositio, latissime ibi impugnatur, a fere omnibus tamquam sine fundamento excogitata ad eludenda sacræ scripturæ, et Patrum testimonia, ad opera enim naturalia, vires naturales sufficiunt.

Ratio item conclusionis est, a instantia et summa improportio inter ordinem naturalem, et supernaturalem, et independentia, quam Sti. Patres, et Concilia semper docent in gratia, respectu virium naturalium. ideo enim gratia dicitur, quia omni naturæ indebita,

idcoque

ideoque supernaturalis, quia supra omnes vires illius; si ergo opera naturalia essent meritoria gratiæ, et vitæ æternæ, iam gratia caderet sub naturæ viribus, illis quæ esset debita mensura gratiæ et gloriæ, et decessus vnius sancti supra alium regulariter refunderetur in bonum vsum naturalem liberi arbitrij, quod pelagianum est. =

Confirmatur. quia res inferioris ordinis, qualis est naturalis, nullam proportionem habent etiam in genere causæ moralis, aut meritoriæ, vt res ordinis diuini promereantur, quales sunt gratia, et visio beata: quod facile constat; quia res naturales non habent apud Deum æstimabilitatem, vt illis prudenter tribui possit gloria, nec adoptio filiorum Dei, vt condignum præmium. Cum enim tantum respiciant obiecta creata, nec ordinentur in Deum tanquam vltimum finem, aut in obsequium retributionis, sunt vilissima respectu illius: ergo indigna prorsus supernaturali præmio. =

Declaratur hoc: quia bonum creatum, non potest esse prætium condignum, respectu summi boni, quod in præmium elargitur, et tanquam Pater, et sponsus per sui ipsius vnionem possessionem, et fruitionem nobis communicatur, vt ex ipsis terminis constat. Nec bona naturalia dicunt ordinem ad vltimum finem supernaturalem, vt tanquam media illum respicere possint. Nec possunt per se conferre aut disponere ad iustificationem, quia nec illam respiciunt, vt obiectum, aut finem: ergo multo minus possunt esse dispositiones, aut media, aut merita ad augmentum gratiæ. Patet consequentia. Nam omnia media, et merita, sunt inter se, et cum vltimo fine subordinata, et inter se connexa; opera autem naturalia, sunt valde disparata, si præcise secundum se spectentur, absque vlla relatione charitatis ad Deum: ergo inepta de se ad promerendum illum. =

Aduersariorum euasio dissoluitur.

Hæc omnia euadere contendit opposita opinio, dicens, sufficere habitum gratiæ, et charitatis dignificantis subiectum; nam per hoc elleuantia omnia illius opera vt tanquam filij, et amici Dei, sint diuinæ maiestati accepta, ac proinde remuneratione digna. =

Sed contra: quia omne esse est propter operari. Parum refert, quod sit filius Dei, et amicus, si non operatur formaliter vt talis, sed vt filius Adami: actiones enim taliter sunt suppositorum, quod non denominent ipsa, nisi mediante natura, vel forma quæ est illis ratio agendi. quapropter si opera non procedunt ex gratia tanquam ex radice, et ex charitate tanquam ex formali principio, non erunt formaliter opera filij, et amici, nec amittunt suam naturalem improportionem, et conditionem seruilem: erunt ergo ita inepta ad merendum, ac si gratia ibi non esset. =

Confirmatur. quia cum gratia sit formalis participatio, et imitatio naturæ diuinæ, debet primario consistere, in hoc quod sit radix, et principium influens, medijs suis virtutibus, aut proprietatibus, vel quasi potentijs in operationes diuinas, quia non est otiosa vt ait Apostol. 1. Chorint. 13. sed medijs operibus suis intendit ad vltimum finem supernaturalem, vt Patri assimiletur, quia hoc est de ratione filij. Dignificare autem subiectum, secundario illi conuenit, vel concomitanter. =

Declaratur hoc amplius: quia si in his operibus naturalibus, ratio agendi et

formale

formale principium, non sunt ipsa gratia, et charitas, sed tantum materialiter se habent ex parte subiecti, nec finis illorum poterit esse vita æterna, ut illam promereri possint. Patet consequentia: quia principium, et finis debent inuicem sibi correspondere, et proportionari, ut semper repetunt S. Th. et omnes methaphisici, sic que in gratia, et in omnibus dispositionibus ponunt omnes theologi, transcendentalem respectum ad ultimum finem supernaturalem, initium que totius progressus, et mediorum adipsum in fide constituunt, ut talem finem voluntati proponat: ergo quod intrinsece naturale est ex parte sui formalis principij, nec ex fide proponente finem supernaturalem procedit, nullatenus talem finem potest respicere, nisi eleuetur ab aliqua ratione agendi supernaturali. Debent ergo gratia, et charitas actu influere in opera, ut ad finem ultimum tendant. Habitibus enim otiosis non meremur aut demeremur, nec anima appropinquatur ad ultimum finem, nisi per actuales affectus illorum, ut art. 4. optime docuit S. Doctor. = Dico secundo. =

Nec opera supernaturalia sunt meritoria sine actuali relatione charitatis.

Hæc non est ita certa, sicut præcedens. Est tamen verissima et expressa S. Th. doctrina, omniumque expositorum illius, satisque confirmata q. 23. art. 1.° et 8. ubi ait S. Doctor sine charitate veras virtutes, non esse. Charitatemque esse omnium formam, eas ordinans, et dignificans ad vitam æternam promerendam. =

Potest autem contra illam urgeri, quod huiusmodi opera intrinsece finem supernaturalem respiciunt, procedunt que ex gratia, quæ etiam media fide, et spe operatur, cæteris que virtutibus infusis, ergo nihil deest illis ut sint meritoria. =

Confirmatur ex Concilio Trident. sess. 6. cap. 16. ubi ait. Nihil deesse credendum est, operibus quæ in Deo sunt facta &c.ª homini operanti ex gratia per Christum. Nos item propter hoc excludimus a ratione merendi naturalia opera, quia naturalia et improporcionata, respectu ordinis supernaturalis; quia non ex gratia; quia non finem ultimum respiciebant, sed hæc omnia in actibus his supernaturalibus independenter a charitate concurrunt: ergo illis rationem merendi, negare non possumus. =

Suppono, pro huius explicatione, res supernaturales esse in duplici ordine. Quædam directe pertinent, et in recto ad ordinem Diuinum, quia proprie, ac formaliter naturam participant, aut perfectiones Diuinas secundum modum soli Deo proprium; quales sunt gratia, et charitas, lumen gloriæ, et visio beata, quæ gradum redolent quasi specificum Diuinæ substantiæ, et si perficiunt creaturæ, et supra lineam creaturæ, tribuendo illi esse Deificum, siquidem illam similem Deo faciunt, sponsam, filiam, et amicam, imo et Deum per participationem, quæ rationem omnem conditionem seruilem creaturæ supergrediunt. =

Aliæ sunt res quæ etsi supernaturaliter creaturam afficiant, est intra lineam creaturæ, et intra limites seruitutis illius, a qua non extra sunt eam, ideoque repugnant formaliter Deo, ac per consequens non sunt formales participationes Diuini esse. In hoc gradu sunt fides, et spes, Penitentia, Obedientia, Religio, ac cæteræ virtutes in-

-fusæ

fusæ, quæ intrinsece in suis conceptibus essentialibus, limitationem, et conditionem seruilem Deo repugnantem includunt, obscuritas enim intrinseca fidei, arduitas, et absentia obiecti spei, subiectio Religionis, et obedientiæ, plane indicant gradum valde inferiorem. Euidentius pænitentia quæ peccata supponit, virtutes infusæ, quæ partem sensitiuam, et corpoream perficiunt, et illud quod habet corpus Christi sub speciebus sacramentalibus. =

Ratio fundamentalis nostræ conclusionis.

Hinc iam efficaciter probatur nostra resolutio. Gloria, et præmium essentiale ad quod homo adspirat per merita huius vitæ, est supernaturale, supremi ordinis, diuini scilicet; ergo merita debent pertinere ad eundem ordinem, vt proportionem condignitatis habeant. Patet consequentia: nam res ordinis inferioris, non potest proporcionatum pretium esse respectu præmij ordinis diuini: præsertim quando distantia vtriusque ordinis est tanta, quod inferior pertineat ad lineam creaturæ, et superior spheram, et modum proprium creatoris ascendat. Tunc sic; sed gratia, et charitas pertinent tantum directe ad ordinem diuinum in hac vita: ergo merita omnia debent charitate, et gratia eleuari, vt illis gloria debeatur in alia. =

Confirmatur quia causa moralis debet virtualiter moraliter continere effectum, quem causat, causa autem meritoria eatenus præmium potest obtinere, quatenus rem offert, ita prudenter æstimabilem a remunerante, sicut est præmium, alias non erit meritum condignum, neque est necessaria æqualitas phisica, satis est moralis æstimabilitas: tunc sic: ergo sola opera ex charitate elicita, aut imperata, beatitudinem essentialem de condigno merentur. Probatur consequentia. quia Gloria est perfectissima vnio animæ cum Deo, vt sponso, Patre et amico, quo pacto est finis supernaturalis, et ipsum respicit visione, et charitatis amore, sed per charitatem anima Deum respicit sub istis rationibus. (vt sæpe disp. 32. probaui) petitque ab ipso reddamari, quia charitas est amicitia perfecta, et reciprocus amor inter Deum, et hominem: filiatio, huiusque effectus vehementer mouent voluntatem Patris, et amor sponsæ, cor sponsi vulnerat, ergo cum sola charitas, rationes istas in se contineat, solum illius opera æstimabilitatem hanc secum afferunt, vt a Deo reciproco remunerentur affectu; nam sponsus naturaliter optat vnionem cum sponsa, Pater cum filio, et amicus cum amico. =

Ex hoc patet iam ad fundamentum oppositum. Dico enim cætera opera supernaturalia formaliter esse opera serui, non amici, et ideo non petunt reddamationem a Deo, quæ est propria gloriæ essentialis. quantumuis seruus obsequia, multiplicet in cultum Domini sui, numquam merebitur cum eo amicitiam inire, filiumque eius constitui, aut in sponsam assumi: ergo cum cæterarum virtutum opera, seruilia sint, vt explicui, præmiumque essentiale, et vltimus finis ad quem homo eleuatus est in hac perfectissima vnione amicitiæ cum Deo consistat, hinc est, quod nec condignitatem habeant cum tali præmio; nec talem finem vltimum respiciant, ad quem homo eleuatus est, sed alio modo valde inferiori, illum attingant, fides enim si præcise spectetur, non respicit Deum vt videndum, quo pacto est vltimus finis noster, sed vt credendum, neque est gratiæ proprietas phisice manans ab illa vt mediante illa gratia dicatur operans, sicut mediante charitate. vt late disp. 4. sect. 2. monstraui

monstraui. Sed demus quod ex gratia procedat, non sistit mea gratiae influxus, sed per illam ad Charitatem transit. Nam fides, ut ait Apostolus per dilectionem operatur, et sine operibus vel mortua, vel insufficiens est. quapropter II. Chorint. 13. dicitur. Si habuero tantam fidem, ita ut montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil sum. =

Spes item, cum Deum ex amore concupiscentiae respiciat, propriaeque commoditatis intuitu, non meretur redditionem ex amicitia, in qua praemium essentiale consistit, nec finem ultimum respicit, nisi tantum materialiter, rem videlicet quae est ultimus finis noster, non tamen eo modo, quo ad ipsum homo elevatus est. =

Sectio 1. Conclusio tercia, directe responsiua quaestioni.

Jandem asero, et colligitur ex dictis, solus actus Charitatis est, cui primario, et in recto competit meritum vitae aeternae, caeteri tamen actus aliarum virtutum, tam naturalium quam supernaturalium, prout informantur, seu imperantur ab illa, secundario, seu ratione illius id habent. Haec doctrina est expressa D. Th. 1a. 2ae. q. 114. art. 4. ubi docet, et ex professo probat, Charitatem esse adaequatam rationem merendi, per ipsamque actus aliarum virtutum ordinari ad ultimum finem, concluditque: et ideo meritum vitae aeternae, primo ad Charitatem pertinet, ad alias autem virtutes secundario, secundum quod earum actus a charitate imperantur. Et in solut. ad 2. ait. quod magnitudo laboris, pertinet ad augmentum meriti, ex parte operis imperati. Et ad 3. quod fidei actus, non est meritorius, nisi per dilectionem operetur. ut dicitur ad Galat. 5. similiter actus patientiae, et fortitudinis nisi aliquis ex charitate hoc operetur, et affert verba Pauli citata II. Chorint. 13. =

Prima pars huius asserti de merito primario Charitatis, constat ex argumentis primae sententiae, quae hoc tantum conuincit, et ex dictis contra secundam, ubi in sola Charitate rationem formalem merendi inueniri declaraui, et inde ad caeteras virtutes deriuari. =

Secunda pars de merito aliarum virtutum, ratione tamen Charitatis, constat innumeris sacrae scripturae locis. ubi meritum vitae aeternae, actibus aliarum virtutum tribuitur Math. 25. Marc. 9. II. ad Thimot. 6. II. Chorint. 15. Abundantes in omni opere bono, scientes, quod labor vester, non est inanis in Domino. et alibi saepe. Concil. Trident. sess. 14. cap. 2. et sess. 6. cap. 6. ubi definitur iustos fieri iustiores de die in diem, mortificando membra carnis, et exhibendo ea arma iustitiae in sanctificationem per obseruationem mandatorum Dei, et Ecclesiae. cap. item 16. Pauli verba citata ad Chorint. 15. proponenda iubet hominibus iustificatis &c. =

Ratio a priori. quia bonitas moralis actus humani, (ut dicitur materia de bonitate et malitia) quamuis principaliter in actu voluntatis consistat, crescit nihilominus moraliter ex magnitudine obiecti, tam formalis, quam materialis, et ex aliis circunstantiis, fine scilicet extrinseco, duratione, labore, &c. ergo ita pariter, et si sola Charitas, sit ratio merendi et actus amicitiae, quo ad Deum accedimus, et illi unimur, potest crescere eius valor ex actibus aliarum virtutum, tanquam ex circunstantiis illius, nam omnis actus imperatus est materia et circunstantia respectu imperantis. =

Nemo item poterit negare, magis augeri amicitiam, magisque placere amico eum

qui

qui obsequia multiplicat, variisque officiis illum prosequitur, quia amare est velle bonum alicui, ideoque magis amat, qui maiora bona alteri vult: ergo licet charitas sit formalis amicitia et ratio merendi apud Deum, quo maiora obsequia aliarum virtutum Deo obtulerit, tanto erit maior dilectio, et meritum apud ipsum. =

Secundo aposteriori probatur. quia omnis actus malus cuiuslibet vitii est demeritorius, illique correspondet diversa pęna essentialis: ergo omnis actus bonus, si a charitate imperetur, erit meritorius novi pręmii essentialis, augmenti scilicet gratię, et glorię. Patet consequentia: quia pronior est Deus ad pręmiandum, quam ad puniendum, magisque lucescit semper misericordia, quam iustitia eius. Eadem est proportionabilis ratio de conversione, et aversione; sicut enim tanto magis avertitur aliquis a Deo, quanto magis inordinate convertitur ad creaturam; ita e converso, tanto magis in Deum convertitur, quanto magis a creaturis avertitur, et quanto maiora obsequia (ut dixi) illi exhibet, sed aversio a creaturis, et obsequia et signa amoris Deo pręstita, competit aliis virtutibus, ideoque charitas illis utitur, ut amorem suum, magis, ac magis exerceat, et ostendat: ergo per ipsas eius meritum augetur. =

Ex quo infero implicare, quod actus charitatis sit ęqualis in duobus hominibus, et quod virtutes imperatę per ipsos, et alię circunstantię, inęquales sint. Solum quoad intensionem phisicam quę est una ex circunstantiis humani actus, poterit esse ęqualitas, cęterum valor moralis, qui ex omnibus aliis consurgit, semper erit simpliciter maior in actu, qui plures ac graviores circunstantias respexerit, ut ex materia de actibus humanis constat. Unde durissimum est, et incredibile, quod ęqualiter placeant, et mereantur apud Deum, ille qui martirium pro fide Christi ęque intenso charitatis actu perpessus fuerit, ac ille qui potum aquę frigidę pauperi ministrauerit: dabitur ergo illis inęqualitas pręmii essentialis ratione diversorum actuum, quos assumunt ad placendum, et serviendum Deo. =

Argumentis primę sententię satis fit.

Testimonia S. Th. non urgent, quando tam aperta est eius mens. Ad primum illud quo asserit pręmium essentiale correspondere charitati, et accidentale operi imperato. Respondetur, tantum significare, quod charitas sit ratio propter quam opus imperatum sit meritorium pręmii essentialis, ideoque soli charitati dicitur correspondere, non quia sola charitas illud mereatur, sed quia sola charitas ratione sui, et cętera ratione charitatis illud merentur. Solum accidentale pręmium, dicitur correspondere actibus aliarum virtutum ratione ipsarum. Simili modo intelligitur alia propositio eiusdem doctoris, videlicet pęna damni correspondet malitię aversionis, et pęna sensus, malitię conversionis. Revera utraque malitia, utraque pęna mulctatur, explicatur tamen id quod primario, et ratione sui uni competit, et quod secundario ratione alterius, conversioni ad creaturam pęna damni convenit, sed ratione aversionis a Deo in ipsa imbibitę: et e contra, aversio pęna sensus punitur sed propter conversionem. =

Reliqua testimonia ex dictis soluta manent ad omnia in genere, communis solutio est, quantumvis reduplicetur tota ratio merendi, et soli charitati adscribatur, non excludi virtutes reliquas, si ratione charitatis, et prout ab ipsa informatę id habent, sic enim sunt aliquid charitatis, dicunturque charitatis actus, quatenus ab ea imperati, et si quid

mirum

mirum quod sola Charitas, dicatur ratio merendi adequata; ratio enim formalis non excludit obiectiuam, et materialem, reliquas que circunstantias: et in genere moris materia confert cum cæteris ad valorem actus, vt dixi.

Sectio octaua. Alijs argumentis occurri- tur secundæ sententiæ.

Adhuc vrgent nos quidam secundæ sententiæ nouis defensores, et doctrinæ S. Th. semper aduersus. Obijcit primo verba illa Math. 10. qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet, et qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet &c. vbi distinguit Christus merita, quæ fiunt ex motiuo aliarum virtutum, ab illis quæ ex motiuo suæ diuinæ bonitatis procedunt. Verbum illud in nomine, motiuum formale, et specificatiuum reduplicat, vt notant Chrisost. in Cattena D. Th. et alij Patres: ergo etiam actibus aliarum virtutum independenter a charitate conuenit meritum. Probatur consequentia. quia quando adest charitatis imperium, iam motiuum est diuina bonitas et actus fit in nomine Christi, debetur que illi merces Dei, aut Christi: ergo quando promitit Christus mercedem prophetæ, aut iusti dumtaxat, supponit eos actus tantum creata obiecta respicere, et absque charitatis imperio tunc exerceri.

Respondetur. His et alijs similibus, tantum conuinci, quod absque imperio formali charitatis aliarum virtutum, opera meritoria sint, ex proprijs motiuis solum virtualiter ad Deum relatis; quæ virtualis relatio satis est ad meritum, vt sepe dixi. Colligitur que solutio ex eodem loco, nam immediate prædicit. qui recipit vos me recipit. quæ propositio, vera non esset, si saltem virtualiter propheta, et iustus, non reciperetur propter Deum, aut Christum. Hæc autem virtualis ordinis non tollit propriam eorum actuum specificationem, et inequalitatem in ratione &c.ᵃ in ratione mercedis, vult ergo in illis animaduertere Christus, ita sibi placita esse misericordiæ opera, vt etiam si intuitu creaturæ fiant, in sui obsequium exhibeantur, et ad ipsum saltem virtualiter referantur, ex suppositione quod illa recipit, vt sibi facta, ideoque vt propria illa recipit, vt eis valorem meritorium tribuat.

Secundum argumentum.

Secundo vrgentius obijciunt contra hanc ordinationem, seu imperium virtuale; Quia licet verum sit actus externos moraliter pertinere, ad actus imperantes, quando ita oriuntur ab illis, vt saltem per causas intermedias connectantur. At si exerceantur cum actuali distractione a fine intento, nec sunt morales, quando exercentur, neque merentur nouum præmium essentiale. v.g. si sacerdos intermisit intentionem religiosam consecrandi, et postea prosequitur actiones sacrificij omnino distractus, tunc illæ actiones nullum superaddent valorem actui præterito imperanti, quia tunc cum exercentur, nulla est libertas, seu aduertentia rationis ad meritum requisita. Neque possunt dignificari, aut valorem accipere ab imperio præterito, quia iam non existit, ac proinde non potest denominare libertas, et morales actiones postea aduenientes. Requiritur enim coexistentia

simultanea

simultanea utriusque actus, ut unus sit capax denominationis alterius, quia unus se habet ut forma, et alter ut materia. Unus, ut effectus formalis primarius, et alter ut secundarius effectus autem secundarius praestari non potest sine primario, nec materia esse sine forma: ergo:

Doctrina valde notanda ad intelligentiam nos= tre Conclusionis.

Respondetur ergo supponendo prius ex materia de bonitate et malitia, tripliciter actum externum comparari ad actum imperantem, vel tanquam obiectum volitum, vel tanquam effectum causatum, vel tanquam materiam constituentem cum illo unum tertium actum in genere moris, triplex haec acceptio est omnino certa: nam, et voluntas est respectiva primario sui obiecti. Est etiam causa rerum applicans, tanquam regula caeteras potentias, et movens efficaciter ad opus, donec assequatur, quod vult. Est tandem, quando obiectum, vel effectus volitus est actus eiusdem suppositi, naturaliter illi subordinatus, constituit cum eo unam tertiam operationem, sicut et intellectio cum operatione phantasiae, ut sicut natura hominis ex anima, et corpore constat: sic eius operationes ex spiritualibus, et sensitivis coalescant, cum inter esse, et operari debeat esse proportio.

His ergo tribus modis actus externi aliarum virtutum, quantumvis naturales ipse sint augent valorem, et vim merendi charitati imperanti, praeter tamquam habet per ordinem ad obiectum primarium, quod est Deus propter se summe dilectus. Patet ex tertia ratione Conclusionis. quia actus moralis, sumit valorem, et moralitatem non solum ex obiecto primario, sed etiam ex secundario, et omnibus circunstantiis illius. quis enim dubitet tanto amorem Dei, quo aliquis eleemosinam pauperi erogat, plus meritorium esse, quanto eleemosina in quantitate, et aliis circunstantiis excreverit. In actu malo evidentius hoc cernitur in actu etiam, qui cum sit ex suo obiecto primario bonus, ex secundario, aut circunstantiali vitiatur: ergo bonitas aut malitia actus ab exterioribus, et secundariis obiectis, vel actibus, vel effectibus augmentum suscipit, sine dubio a bonitate substantiali, et specifica diversum.

His ergo praeiactis. Ad argumentum dico primo. Actus externi cuiuscumque virtutis, si considerentur saltem post obiecta, vel effectus causati ex imperio charitatis, non petunt simultaneam existentiam cum illa, ad hoc. quod augeant illius valorem meritorium, et dicantur in suo genere (dico iuxta sensum secundae Conclusionis) mereri vitam aeternam. Patet manifeste, quia voluntas sive expectetur, ut vitalis respectu ad obiectum, sive in ratione causae respectu sui effectus, non petit cum illo simul existere; quia non est causa immediate illum in re constituens, sed applicans, et movens alias intermedias, in quo saepius non modica temporis spatia pertranseunt, antequam ad desiderata perveniat. Iunc enim applicatis causis intermediis contingit physice intensionem voluntatis cessare, quia non potest longo tempore continuari. Cum quis v.g. alicuius negotii causa, toletum pergit, saepissime ab hac intensione mittit; quae omnia negari non potest, effectus esse illius prioris intensionis, dum non retractatur, quia non nisi ratione illius, habent esse in rerum natura. unde haec causalis est vera; ideo sunt, quia voluntas sic ad illum finem destinavit. Declaratur tandem. quia deno=

minaliō quę prouenit a forma extrinseca abstrahit in suo conceptu prę̄cisiuo aquacumque dis-
tantia temporis aut loci, vt patet in actibus intellectus de rebus prę̄teritis seu futuris; sic ergo
voluntas potest actus externos futuros, velle, et causare per instrumenta et causas intermedias
quarum effectus illa, nonjam existente sequitur, in quibus casibus satis est, quod materia illa
futura intentionaliter prę̄existat, et coexistat, vt possit eleuari ad habendum valorem merito-
rium. Dico secundo. =

Etiam prout actus imperati habent vim merendi diuersam ab ea, quę in actu imperante prę̄cessit. —

Dependenter tamen ab imperio, seu ordinatione virtuali charitatis. Probatur:
quia hęc intentio imperans, permanet moraliter dum non retractatur, vt fatetur arguens, quia
non potuit illud negare: ergo jam habet sufficientem coexistentiam, vt possit huiusmodi actus
externos liberos, et morales denominare. Consequentia, in qua est solum difficultas. Proba-
tur. quia cum hęc compositio actus interni, cum externo, sit tantum in genere moris, solum mo-
ralem vnionem, et existentiam formę denominantis postulat: si ergo forma moraliter existit
vt aduersarius humiliter confitetur, non potest actum externum cum illa coexistentem, non
moraliter denominare, cum alias sit eius obiectum, et moraliter liberlas non abest, quo euanescit
totum argumentum positum. =

Miror tamen, quod Author illius habitum gratię, et charitatis sufficere dicat, vt actus
naturales habeant vim sufficientem merendi absque mutatione aliqua, quá intra suam line-
am operationis eleuentur ad supernaturalem finem; et quod virtualis relatio, et ordinatio mo-
raliter permanens, non sufficiat, sufficit quod est minus, et non sufficiet quod est magis, et ab
illo concedituri? quanto magis idoneus erit ad hanc eleuationem actus moraliter permanens
qui potest intra lineam operationis actum externum perficere, et ad finem vltimum ordina-
re, quam habitus otiosus, nihil influens in actum. =

Sextum Argumentum. —

Sexto principaliter obijcies. Deus per statum gratię, non vult priuare naturam
rationalem sua propria perfectione, sed potius legem naturalem illi imposuit, prę̄cepta scilicet
decalogi, et prudentiam naturalem, quorum fere omnia impleri possunt independenter a lege
supernaturali, vt honorare parentes, non mentiri, non furari, non occidere, non mechari &c.
quibus indubitanter impletur diuina voluntas, et si adest status gratię, et filiationis adop-
tiuę placet quia Deo siquidem sua prę̄cepta exequitur, innumerabiles que tentationes et diffi-
cultates pro impletione diuinę legis patitur. De imperio autem charitatis prę̄ceptum Domi-
ni non habet, sed consilium dumtaxat: si ergo tota hęc naturalis perfectio, et immunitas ape-
ccatis Deo non potest non placere: ergo nec aliqua retributione carere, quę non potest esse
alia, nisi vita ęterna in filijs Dei. =

Gratia etiam naturam perficit, cęterum eleuando

dum

eam ad superiorem statum.

Respondetur. Concedendo prius primam illam propositionem, quod Deus non vult privare naturam rationalem sua propria perfectione, nam gratia non destruit, sed perficit naturam, et reparat omnes lapsus, et dispendia illius, cæterum voluit Deus perficere, et reparare naturam, non relinquendo illam, intra propriam lineam, et spheram naturæ, sed elevando eam ad superiorem statum finis supernaturalis, et sicut ad finem supernaturalem, eam destinavit, sic virtutibus, et auxilijs supernaturalibus, in ordine etiam ad rectum naturæ usum, ipsius que instaurationem eam communivit. Vnde sicut animalitas in homine, ex suppositione quod elevata est per animam rationalem, ad rationis ordinem, debet semper subdi in suis operationibus rationis imperio, et si aliter id faciat, defectuose, et mere bruti procedit. Sic ex suppositione quod rationalis natura ad superiorem gratiæ statum est elevata defectuose agit, quoties sibit in suis naturalibus operationibus, et non subditur charitatis imperio in omnibus: quia semper esse, et operari debent sibi inuicem correspondere, et sicut ex natura, et gratia, fit unum tertium quod est filius, et amicus Dei, ad modum quo ex anima et corpore, fit unus homo, sic ex operibus naturalibus, et supernaturalibus debet una tertia operatio componi, sicut idem in actionibus humanæ naturæ contingit. Hanc doctrinam explicui supra q. 23. art. 7. probans sine charitate non esse veras virtutes, etiam naturales. Quam doctrinam passim invenies apud August. lib. de gratia Art. 6. cap. 18. ait. Præcepta charitatis tanta, et talia sunt, ut quid quid se putaverit homo facere bene, si fiat sine charitate, nullo modo fiat bene. Et lib. 1° de gratia christi. cap. 26. quid boni faceremus, nisi diligeremus.

Sed demus esse, naturamque rationalem, perfecte operari posse intra lineam naturæ, saltem quando ad finem supernaturalem adspirat, qualis est vita æterna, debet uti medijs ad illum finem proportionatis, et proprijs illius status, ad quem divinitus est elevata, quæ media non possunt esse opera naturalia, nisi operibus supernaturalibus sint coniuncta, ad quod habitus non sufficiunt ut dixi, quia tantum pertinent ad esse, non ad operari intra lineam suam. Dum non influunt, dignificant esse, sed non operari. Sicut si homo actiones animales absque usu rationis exerceret, dignior esset bruto, quantum ad esse, sed illi similis, quantum ad operari quia sine fine, et principio rationis viveret, seu ageret. Sic filius Dei per gratiam, si per illam non media charitate operatur, sed actiones exercet mere naturales, dignus erit quantum ad esse, sed quantum ad actiones illas nihil de novo promereri poterit in ordine ad vitam æternam, quia quod mere naturale est, et ex formali principio naturæ proficiscitur (nam gratia illa tantum materialiter, et per accidens se habet) non potest finem respicere supernaturalem. Rursus. Dico tertio.

Ita mansit natura post peccatum læsa in naturalibus, ut non nisi per gratiam regulariter legem impleat, et tentationem vitet.

Supponitur in argumento. Præcepta Decalogi, posse naturaliter impleri,

tentationis

tentationes, et peccata vitari, motus insurgentes apetitus comprimi, alteras que superari difficultates viribus solius naturę, et revera etiam post lapsum, et infirmitatem illius, posset Deus per auxilia ordinis naturalis eam confortare, et sanare; sed ex suppositione, quod eam elevabit ad statum gratię, et ad supernaturalem finem, per eamdem gratiam, quę primario ad actus supernaturales est instituta, subvenit ei in naturalibus. unde ad implenda pręcepta, vitanda peccata, tentationes superandas, armatur semper fide, spe, et charitate, timore gehennę, amore Dei &c.ª Ac proinde raro, aut numquam, prę sertim in homine fideli, datur rectus rationis, et virtutum naturalium usus, absque supernaturalis gratię influxu. =

Sed supponamus dari si sit mere naturalis, nullatenus ad finem supernaturalem conducet, sed ad summum ad retributionem intra eundem ordinem, quia solus gratię habitus, si non influit in talia opera, nihil pręstabit, ut dixi, sed revera talis casus non datur, quia charitas non est ociosa, sed vel deperditur statim, vel refert ad Deum omnia quę illum super omnia diligit. =

Art. 7. Utrum charitas, augeatur in infinitum.

Ad septimum sic proceditur. Videtur quod charitas, non augeatur in infinitum. Omnis enim motus est ad aliquem finem, et terminum, ut dicitur in 2.º methaph. sed augmentum charitatis est quidam motus: ergo tendit ad aliquem finem, et terminum: ergo charitas in infinitum non augetur. =

2.º Pręterea, nulla forma excedit capacitatem, sui subiecti, sed capacitas creaturę rationalis, quę est subiectum charitatis est finita: ergo charitas in infinitum augeri non potest. =

3.º Pręterea, omne finitum per continuum augmentum potest pertingere ad quantitatem alterius finiti, quantumcumque maioris, nisi forte id quod accrescit per augmentum, semper sit minus et minus. Sicut Philosophus dicit in 3. Phisicorum, quod si uni lineę addatur, quod subtrahitur ab alia linea, quę in infinitum dividitur in infinitum additione facta, numquam pertingetur, ad quandam determinatam quantitatem, quę est composita ex duabus lineis diversis, ea scilicet ex qua additur, et ea cui additur, quod ex alia subtrahitur. Quod in proposito non contingit. Non enim necesse est, ut secundum charitatis augmentum, sit minus quam primum: sed magis probabile est, quod sit ęquale, aut maius: cum ergo charitas Patrię, sit quoddam finitum, si charitas vię in infinitum augeri potest, sequitur quod charitas vię possit sibi adęquare charitatem Patrię: quod est inconveniens. Non ergo charitas vię in infinitum potest augeri. =

Sed contra est quod Apost. dicit ad Philip. 3. Non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim: sequor autem, si quomodo comprehendam. Ubi dicit Glosa. Nemo fidelium etsi multum profecerit, dicat, sufficit mihi. Qui enim hoc dicit de via exijt ante finem: ergo semper charitas in via potest magis ac magis augeri. =

Respondeo Dicendum. quod terminus augmento alicuius formę, potest pręfigi triplicitur. Uno modo ex ratione ipsius formę quę habet determinatam mensuram, ad quam cum perventum fuerit, non potest ultra procedi in forma: sed si ultra processum fuerit, pervenietur ad aliam formam. Sicut patet in pallore cuius terminos per continuam alterationem aliquis transit, vel ad albedinem, vel ad nigredinem perveniens. Alio modo ex parte agentis cuius

virtus

virtus non se extendit ad ulterius augendum formam in subiecto. 3° ex parte subiecti, quod non est capax ulterioris perfectionis, nullo autem istorum modorum imponitur terminus augmento Charitatis in statu viæ. Ipsa enim Charitas, secundum rationem propriæ speciei, terminum augmenti non habet: est enim participatio quædam infinitæ Charitatis, quæ est Spiritus sanctus. Similiter etiam causa agens charitatem, est infinitæ virtutis, scilicet Deus. Similiter etiam ex parte subiecti terminus huic augmento præfixi non potest: quia semper charitate excrescente, superexcrescit habilitas ad ulterius augmentum. Unde relinquitur quod charitatis augmento nullus terminus præfigatur in hac vita.

Ad primum ergo dicendum, quod augmentum charitatis est ad aliquem finem: sed ille finis non est in hac vita, sed futura.

Ad secundum dicendum, quod capacitas creaturæ rationalis per charitatem augetur, quia per ipsam cor dilatatur, secundum illud 2° ad Cor. 6. Cor nostrum dilatatum est. Et ideo ad huc ulterius manet habilitas, ad maius augmentum.

Ad 3um. Dicendum, quod ratio illa procedit in his, quæ habent quantitatem eiusdem rationis: non autem in his, quæ habent diversam rationem quantitatis: sicut linea quantumcumque crescat, non attingit quantitatem superficiei. Non est autem eadem ratio, quantitatis charitatis viæ, quæ sequitur cognitionem fidei: et charitatis Patriæ, quæ sequitur visionem apertam. Unde ratio non sequitur.

Expositio litteræ

Quadrupliciter potest præfigi terminus charitati. vel ex institutione Divina, vel ex natura ipsius, aut ex limitatione agentis, vel subiecti. S. Thom. primum supponit ex statu viæ, et tres posteriores probat, cum enim status viæ fuerit ex divina ordinatione institutus, et de ratione viæ sit, quod semper progrediatur usque ad consumationem. Solum fuit illi necesse probare, quod ex parte formæ, vel agentis, vel subiecti charitas non habet terminus in statu viæ, ad hoc quod absolute concludat charitatem in hoc statu terminum non habere ultra quem amplius progredi nequeat. Nam via a Deo instituta in progressu charitatis consistit, ac proinde dum illa durat, permanet ille absque limitatione ulla. Sed quia multa notatu digna, et quæ explicatione, et probatione indigent, tangit S. Th. in hoc, et sequentibus Articulis ea sub unica disputatione comprehendamus.

Disputatio 4a. de quantitate virtutis charitatis ad quam potest pertingere.

Sectio 1a. Utrum charitas semper absque termino augeatur.

Notissimus fuit error Beghardorum, et Beguinarum. Ut refertur in clementina ad nostrum de hæreticis, posse scilicet hominem in hac vita ad talem gratiæ, et charitatis

tatis gradum, peruenire, vt amplius in ea crescere non posset. fundamentum eorum erat, quia alias charitas puri viatoris, posset excedere, vel saltem adequare Charitatem Christi si prefixum terminum non haberet; sed potest vltra in infinitum progredi: hoc autem absurdum esset: ergo. Probatur sequela: quia Charitas Christi phisice est aliquid finitum, et omne finitum per continuum augmentum alterius finiti potest adequari, et excedi. =

Potest confirmari hereticus. quia singulis Angelis, et hominibus prefixit Deus certos gratię, et glorię limites, voluit que directe antecedenter ad cuiusque merita, secundum communem, et veram sententiam, multitudinem, et inequalitatem mansionum Domi suę, et quod stella, ab stella differret in claritate, Christus que vt sol fulgentissimus omnibus prelucerer: ergo non potest quisque transgredi certum, Charitatis, et gratię terminum ad quem predestinatus est. ‡

Adducit etiam pro hac sententia testimonium illud August. lib. de moribus Eccles. cap. 27. vbi inquit, posse nos in hac vita diligere Deum plena Charitate. Per charitatem plenam eam intelligere videtur, cui nequit fieri additio. Et in Enchirid. cap. 21. inquit. minuitur cupiditas charitate crescente, donec perueniatur ad tantam magnitudinem, qua maior esse non possit. =

Hic error damnatus est in concilio. Viennensi, ut habetur in Clem. 5. Est enim de fide certum, hominem dum viuit crescere posse magis ac magis, in sanctitate, et iustitia. Patet ex sacra scriptura manifeste Ecclesiast. 18. Ne verearis vsque ad mortem iustificari. Apocalip. vltimo: qui iustus est iustificetur adhuc. quibus testimoniis Concil. Trident, sess. 6. cap. 13. probat iustos continuo exercitio bonorum operum crescere de die in diem. Item Prouerb. 4. dicitur. Iustorum semita quasi lux splendescens crescit, et augetur vsque ad perfectum diem. Nomine autem perfecti diei statum futurę Beatitudinis, intelligitur ergo vsque ad perfectum diem, quod semper in hac vita vsque ad ingressum alterius proficere possumus. =

Idipsum docuerunt sancti Patres. Leo Mag. serm. 1º de quadrag. S. Aug. serm. 15. de verbis Apost. Greg. lib. 21. mor. cap. 4. Bern. serm. 2 de Purificat. quorum verba adducit Lorca hic. Ratio tandem est. quia non possumus in hac vita egredi statum viatorum: ergo non possumus statum fixum habere vltra quem progredi non valeamus. Patet consequentia. quia de ratione vię est. progressus ad terminum, qui non est materialis, secundum locum, aut tempus, sed passibus mentis, quibus per charitatem Deo appropinquamur. vt art. 4. explicat S. Doctor. quod amplius declaratur: quia nullum est tempus in hac vita, in quo homo bene operari non possit ex gratia accepta cum omnibus conditionibus ad meritum requisitis (sicut et potest demereri, et fieri deterior) et in quo non possit legem Dei obseruare, et ad Beatitudinem Patrię anhelare. quanto magis crescit gratia, appetitus, et inclinatio est vehementior ad sui consumationem, et vltimam perfectionem, et ad possessionem summi boni et dessideratissimi Patris, et sponsi, cuius absentia maxime cruciatur, in quibus affectibus prestantiora merita consistunt. Ideoque optime ait S. Thom. in littera. quod quanto magis augetur Charitas crescit habilitas ad vlterius augmentum, quia per ipsam amplius et amplius, dum crescit assimilatur, cuius fames est immensa, et desiderium infinitum, dum ad possessionem dilecti, et perfectissimam illius reddamationem non pertingit: ergo numquam in hac vita est intelligibilis terminus huius progressus. =

Ad fundamentum hereticorum est aduertendum, non tantum damnari in Clementina

mentiva illorum errorum, sed etiam rationem qua fundabant illum. quapropter non solum est error affirmare iustos pervenire in hac vita ad statum in quo amplius non valeant, sed etiam erit error ex doctrina Catholica inferre posse puram creaturam, quantumvis in gratia et via virtutis currat, excedere, vel adequare Christi sanctitatem. quoniam Christi sanctitas ex unione ad verbum tam superioris ordinis est, ut nec gratia infinita purae creaturae, si esset possibilis, ad illam comparari posset, sicut filiatio adoptiva numquam poterit ad naturalem accedere, et sicut linea, etsi infinite cresceret versus longitudinem, numquam ad quantitatem superficiei accederet; sic nec sanctitas purae creaturae ad Christi sanctitatem attingeret: nam ex unione hypostatica valorem accipit inestimabilem, et inadequabilem a qualibet alia ut dixi constat.

Sed consideremus Christi sanctitatem, quam modo habet secluso unione hypostatica, in quo quid dicitur tam immensum pelagus est, ut a nulla alia adequabilis sit, quoniam nec sanctitas Beatissimae Virginis, aut Sancti Joannis Baptistae, aut Apostol. poterit de lege ordinaria ceteris sanctis adequari, quantumcumque volatu celerrimo proficiant. quia quamvis verum sit, nullum esse gradum, ad quem cum homo pervenerit, non possit ultra procedere: et tamen gradus ad quem pervenire numquam poterit. Hoc est intel. quod alii dicere solent, scilicet charitatem viae non habere terminum intrinsecum, ultra quam non possit progredi, habere tamen terminum extrinsecum ad quem accedere nemo potest. charitatem scilicet Christi. Beatae Virginis. Apost. et similium.

Ratio huius est. quia Deus qui voluit, et decrevit diversos sanctitatis gradus in Ecclesia sua, quamvis nemini auxilia sufficientia neget, imo nec efficacia ordinaria, quibus semper crescere possint, uberiora tamen auxilia, occasiones quae extraordinarias promerendi, per beneficia et media miraculosa, tribuit pro suo beneplacito multiformiter, et inaequaliter ulta munera adque sanctos, et electos suos praedestinavit. Exemplo viae corporalis hoc satis elucidatur. Ponamus tres homines, quorum primus per totam vitam, passu lento, sed continuo sine intermissione superambularet, et secundus semper curreret, et tertius miraculose plusquam aquila semper volaret, de omnibus verum esset, quod sine termino, et sine intermissione semper procederent, et nihilominus, nec primus etiam si per totam aeternitatem ambularet, pertingeret ad secundum, nec secundus ad tertium numquam posset accedere. Sic ergo in via spirituali ambulantes, numquam accederent ad currentes, neque isti ad volantes.

Quod autem obiici solet ex praedestinatione ad certos gradus gratiae, et gloriae inferri terminum intrinsecum, quia nemo potest amplius mereri, quam mensuram suae praedestinationis. Respondetur ex praedestinatione tantum inferri, quod in fine huius vitae gratiae et charitatis ex divina institutione terminus imponatur. Nam Deus statim ac homo pervenerit ad mensuram gratiae illi praedefinitam, finit illius viam, transfertque ad terminum aeternitatis. vel si contingat adhuc in hac vita permanere post talem mensuram consummatam impossibilitas novi augmenti procedet ex negligentia liberi arbitrii, non ex defectu auxilii sufficientis, quod habebit paratum ad crescendum in ea, ac proinde potestatem simpliciter obtinebit, sicut qui peccatis mortalibus obicem ponunt suae saluti, de quibus affirmari nequit quod illis
+ a Deo sit terminus praefixus, aut obstaculum, sed a semetipsis.

Ad testimonia supra adducta respondetur illis, et aliis locis per charitatem maximam, aut plenam, intelligere charitatem perfectam, quae opposita est pro Deo, vel proximo mor

tum

mortem subire, iuxta illud Ioann. 15. Maiorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis &c. non negauit tamen augmentum ex parte subiecti, sed tantum ex parte obiecti, ut ex eius contextu manifeste patet.=

Quæri tamen potest, an etiam de potentia absoluta, gratia, et charitas creata animæ Christi, excedi non valeat a qualibet alia sanctitate puræ creaturæ.= Ad quod breuiter respondeo. quod si præcise consideretur ratio qualitatis physicæ in sanctitate Christi, nullus est gradus, aut perfectio in illa, quam non potuerit Deus sua potentia absoluta ponere in quauis alia anima creata. Nam potentia obedientialis, et capacitas animæ Christi est eadem, ac cuiuslibet alterius creaturæ, nec fuit aucta per gratiam unionis, et qua ratione potuit Deus, cuilibet alteri humanitati hypostatice uniri, potuit etiam omnem sanctitatem animæ Christi; quinimo et maiorem, ac maiorem alteri communicare: quia multo maior capacitas requiritur ad recipiendam sanctitatem unionis, quam ad quamlibet aliam habitualem. Dixi, in esse qualitatis physicæ habitualis; quia si consideretur valor moralis, et gratitudo, ac dignitas quam habet sanctitas Christi ex unione ad verbum, est ita simpliciter infinita in esse gratiæ ut dici solet, ut a nulla alia sanctitate puræ creaturæ etiam de potentia absoluta adæquari possit. Nam æstimabilitas, et congruitas diuinæ dilectionis, quam potest formaliter conferre puræ creaturæ, quælibet gratia etsi esset simpliciter infinita, est tantum filij Dei adoptiui quæ comparabilis non est cum gratia finita existente in filio Dei naturali cuius persona tribuit infinitatem moralem superioris ordinis, tam illius operibus, quam sanctitati, cæterisque virtutibus.=

Denique dubium esse potest. An quæ dicta sunt de lege ordinaria, de charitate viatoris, non habere scilicet terminum ultra quem amplius progredi non possit, etiam de potentia absoluta vera sint, quod nullam Deus possit creare ita maximam, ultra quam maiorem, et perfectiorem producere non valeat. De quo sit.=

Sectio 2.ª An charitas ex intrinseca natura sua, possit sine termino in infinitum augeri.

In hac difficultate multi confuse procedunt non distinguentes inter infinitum in actu, et in potentia, vel sinchategorematice, est enim utriusque ratio longe diuersa. quapropter prius pro explicatione aduertenda est differentia, quæ est inter utrumque infinitum, quam docuit Arist. 3. Phisic. cap. 6. supponens enim ipse in eo loco ex præcedentibus, infinitum in communi in eo consistere, quod est non habere terminum versus eam partem, secundum quam infinitum dicitur, diuidit ipsum in infinitum in actu, et infinitum in potentia. Docetque non distingui hæc duo, sicut statuam in actu, et statuam in potentia; ita ut sicut lignum est in potentia statua, quia est in potentia ut per manum artificis fiat statua; sic etiam dicatur infinitum in potentia id quod nunc est in potentia, ut postea fiat infinitum in actu quia ex hoc sequeretur posse dari infinitum in actu, eo quod talis potentia esset reducibilis ad actum, quod inquit, se sufficienter in præcedentibus capitibus impugnasse. Deinde ait differre inter se, sicut ea quorum unum omnino, et secundum se totum est in actu: alterum vero essentialiter partim esse in actu, et partim in potentia, ita ut repugnet illi secun

dum

dum se totum esse in actu, et quamvis utriusque generis partes requirantur, ut hoc infinitum dicatur esse, quia secundum priores existit actu, et tantum secundum posteriores caret termino, ideo non dicitur infinitum in actu, sed in potentia; quia id quod est de essentia infiniti, scilicet carere termino, numquam convenit ei actu, sed in potentia. v.g. divisiones quantitatis in partes proportionales, cum ipsa sit divisibilis in semper divisibilia, sunt infinita in potentia, quia repugnat illi, etiam de potentia absoluta actu dividi in omnes suas partes. Actus etiam intellectus, et voluntatis creaturarum rationalium per totam aeternitatem sunt infiniti in potentia tantum, quia de illis numquam erit verum dicere, tot dari aparte rei, quot plures alij non sunt futuri: sicut enim de ipsa aeternitate, numquam erit verum aliquando terminum habituram: sic nec de multitudine cogitationum futurarum, quae per totam ipsam aeternitatem attenditur, erit aliquando verum extitisse actu totam earum collectionem, sed semper plures ac plures futuras sine termino.

Hoc ergo supposito. Dupliciter potest controverti, utrum charitas in infinitum augeatur? vel ita ut fiat infinita in actu, vel ita ut sit tantum in potentia infinita, quod nullum intrinsecum terminum habeat suae magnitudinis, sed qualibet data in actu, etiam de potentia absoluta, possit maior, ac maior fieri.

Scotus. dist. 2. q. 1. art. 10. et clarius, et magis ex professo lib. 2. methaph. q. 6. et alibi utrumque infinitum negat tam in actu, quam in potentia, solum in multitudine seu in quantitate discreta infinitum in potentia fatetur. Ipsum sequuntur fere omnes discipuli. Et ratio excipiendi hoc infinitum est, quia multitudo individualis, tantum est penes materiam, quae non addit perfectionem, sed puram extensionem, cui non potest assignari certus aliquis terminus suae pluralitatis, nec inferri ex illo repugnantia aliqua respectu divinae potentiae, dum tamen actu in ea talis infinitas non ponatur, quia sequeretur Dei potentiam exhauriri. Ad infinitum in perfectione entitativa, aut intensiva attenditur secundum formam, seu naturam specificam, in qua non potest in infinitum procedi, sed necesse est ad aliquam supremam speciem devenire, aut gradum praestantiorem illius, ultra quem alius maior nequeat excogitari, et consequenter dari charitatem maximam, qua maior infundi nequit. Fundamentum suius sententiae est. quia si non datur terminus charitatis, sed quacumque data, potest maior ac maior produci, sequitur, produci posse infinitam charitatem in actu; hoc autem est impossibile: ergo et illud ex quo sequitur. Minor probabitur sectione sequenti. Sequela probatur. Quia necesse est, ut Deus videat omnem charitatem producibilem tamquam obiectum suae omnipotentiae: ergo vel videt determinate maximam, et sic habetur intentum, vel videt charitatem augmentabilem sine termino; ergo sine termino eam potest producere, et consequenter infinitam: siquidem omnem quam videt potest producere. His tamen, et alijs omissis. Dico primo.

Non datur maxima charitas, sed quacumque producta, potest maior produci, ac proinde est infinita in potentia.

Doct. S. Th. in hoc art. probat quae efficaciter hac ratione. Quia ex triplici capite

pite potest imponi terminus alicui formæ, vel ex parte ipsius formæ, quæ essentialiter determinatam mensuram habet, ultra quam non potest progredi, nisi in aliam diversam mutetur. v.g. intellectus discursivus non potest crescere in infinitum in perfectione intelligendi, nisi transeat ad intellectum sine discursu, qui forma essentialiter diversa, ac perfectior est, et in hac consideratione charitas nullum habet terminum, secundum rationem suæ speciei: quia est participatio charitatis infinitæ, respiciens summum bonum infinite diligibile, sicut lumen gloriæ, et visio beata respiciunt summam veritatem infinite cognoscibilem.=

Huic rationi opponitur solus: quia multæ sunt participationes perfectionum formaliter existentium in Deo, quæ in creaturis in infinitum augeri nequeunt. Cognitio videlicet, et amor naturalis Dei, substantia, et relatio creata, quæ et similia in Deo formaliter existunt, et in creaturis intrinsecis terminis coangustantur.=

Sed his non obstantibus ratio S. Th. est omnino efficax, quia fundatur non in quavis participatione formali generica perfectionis existentis in Deo. Hæc enim per differentiam contrahentem potest limitari, adeo ut repugnet illi infinitas, ut constat ex exemplis propositis. At gratia, et eius proprietates physicæ, quæ sunt lumen gloriæ, visio beata et charitas participant specialiori modo naturam divinam, et eius attributa, sibi at secundum suum ultimum gradum quasi specificum saltem inadequate, ut latius 1.a 2.æ demonstro. Et hinc est, quod quantum ad illam rationem terminum non habeant, charitas nimirum de qua nunc est sermo respicit in Deo suam infinitam bonitatem, ut summo amore dignam, sicque imitatur a charitate creata, ac proinde nimirum quod secundum talem rationem terminum non habeat.=

Dixi inadequate hanc rationem quasi specificam participari: quia semper repugnat adequata participatio alicuius existentis in Deo. Charitas divina est substantia, et infinita secundum essentiam; ratione cuius nec generice convenit quantum ad hanc rationem cum charitate creata, quæ accidens, intrinsece que limitatum substat ratione. Quoad aliam vero rationem inadequatam etiam specifice ut dixi convenit cum Deo, propter hocque gratia absolute dicitur formalis participatio divinæ naturæ, quia imitatur id quod in Deo habet rationem essentiæ ipsius constitutivæ, aut quasi speciei. Nam participatio solum generica, vel analoga satis non est, alias substantia creata, imo equina, absolute dici posset participatio divinæ naturæ, quod absurdum est, nam hæ voces species significant, non genera.=

Secunda ratio S. Thomæ exponitur.

Secundo probat S. Th. suam assertionem, scilicet terminum posse imponi alicui formæ ob impotentiam agentis, et ex hoc capite charitatem illum non habere, quia eius causa est solus Deus, qui est infinitæ virtutis, cuius potentia exhauriri non potest. Cui rationi etiam obiici solet, Deum esse causam Angeli, et aliorum rerum producibilium, quæ tamen infinita esse nequeunt, nec in infinitum crescere.= Facile tamen responderetur uno verbo quod supposita illimitatione, seu non implicatione ex parte formæ, demonstrat optime S. Doctor, quod ex impotentia, aut limitatione agentis quod est Deus, non imponitur ullus charitati terminus. Calor v.g. ut quibus et si ex natura sua posset crescere usque ad octavum gradum, potest limitari ad hoc augmentum ex defectu agentis, si non adsit nisi tan

tum

tum habens virtutem ut quatuor. Unde ad exemplum Angeli, et cetera que adduci possunt. Respondetur ex limitatione formę ipsius rei producibilis illis procedere impossibilitatem augmenti infiniti, non ex limitatione agentis. Et quia S. Th. ex parte Charitatis supponit demonstratum terminum non habere, infert optime, quod nec ex parte agentis.

Sexta ratio S. Thomę a calumniis etiam liberatur.

Est denique aliud S. Doctor ex parte subiecti, potest ex natura sua rei limitari aliqua forma, ex eo quod non sit capax ulterioris perfectionis, et nec hoc modo charitatem finiri: quia semper charitate excrescente, crescit habilitas ad ulterius augmentum. Confirmatur ex solutione ad 2.3. ex verbis Pauli 2. Chorint. 6. Cor nostrum dilatatum est. quia tanto magis cor dilatatur, et capacius redditur quanto magis augetur charitas, ut patet in aliis habitibus, qui tanto magis habilitant, et perficiunt subiectum, quanto magis augentur, nam unus gradus est dispositio ad alium.

Contra hanc etiam obiicitur. Hoc esse verum loquendo de subiecto, et de ulla forma intra sphęram suę actiuitatis, seu capacitatis, ut instari potest in aliis habitibus aut formis. Propter hoc aliqui senciunt ex parte subiecti terminum charitatem habere, quem transgredi nequit, quia et si forma esse illimitata ... capacitas subiecti est intrinsece finita, ac proinde habet determinatam mensuram ad perandum ex vi formę; nam quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur.

Sed contra hoc est. quod cum esse accidentis, sit inesse subiecto, et dicere essentialem ordinem ad illud, si est possibilis infinitas ex parte formę, etiam ex parte subiecti. Unde est legitima consequentia, repugnat subiectum: ergo accidens, in sententia prę sertim eorum, qui hanc doctrinam exagitarunt, qui tenent intensionem fieri per additionem formę ad formam, et qualitatis ad qualitatem, hoc est euidentius: nam gradus illi superiores et infiniti non haberent subiectum, quia repugnat: ergo ipsi etiam repugnant, quia omne accidens respectu alicuius subiecti, tale dicitur.

In sententia vero Thomistica, quę intensionem in perfectiori radicatione constituit, etiam facile probatur. Quia forma perfecta petit perfectum susceptibile cui adequate communicet suam virtutem, nec potest esse latius potens virtus alicuius causę quam effectus, qui ex illa procedit: sunt enim essentialiter correlatiua, ita ut unum sine alio intelligi nequeat. Si ergo causa formalis habet quantitatem virtutis ut mille, etiam effectus formalis illi debet correspondere eadem latitudine. In hac prę sertim sententia cum intensio in ipsa informatione, seu adhesione formaliter consistat, implicat quod latitudo illius aliqua intelligatur ex parte formę, et non ex parte subiecti.

Est ergo firma ratio S. Thomę. Supposito enim, quod non est repugnantia ex parte formę, neque ex parte agentis, non potest illa esse ex parte subiecti, quia minus requiritur ad recipiendum, quam ad agendum, maxime in potentia obedientiali, quę solum dicitur per ordinem ad agens infinitum cui est possibile, quidquid non implicat, et cui est proprium res ex nihilo educere, quanto magis ex aliquo subiecto.

Septima

Ad reliqua, non ait S. Th. quod Charitas est, aut potest esse infinita in actu (de quo potius) sed quod potest in infinitum augeri sine termino, quod tantum sincategorematice seu in potentia infinitum dicitur, cum quo stat, quod in actu numquam sit, nisi simpliciter finita.

Denique non est ita repugnans infinitas in accidentibus, quod non admittant illam multi in scientia infusa animae Christi, qua omnia possibilia et existentia per totam aeternitatem cognoscit, et quod de facto conceditur animae Christi, quaeris, de potentia absoluta negari non potest, quia in omnibus est eadem capacitas obedientialis. Item maior incomparabiliter est infinitas divinae virtutis, quae clare videtur per unionem beatam, quam collectio creaturarum sensibilium, et actuum beatorum per totam aeternitatem: si ergo illa attingibilis de facto, [illegible] illis non impossibilis.

[illegible] arguendo commendat infinitatem sincategorematicam, seu in potentia, quae est tantum secundum quid infinitas, non est cur charitati negetur quando formis conceditur longe inferioribus. Ignis enim potest in infinitum absque ullo termino ignire et calorem producere sibi [illegible], sed augetur eius virtus si combustibilia ei applicentur: quod [illegible] de anima. cap. 4. tex. 41: ergo charitas, qui ignis spiritualis semper dicitur, et virtutis divinae sine termino poterit amplius, et amplius augeri. Beati etiam, et animae in limbo, et in inferno existentes actus intellectus, et voluntatis per totam aeternitatem sine termino multiplicabunt, numerosque augere possunt absque numero; si ergo in creaturis haec infinitas naturaliter cernitur, quo pacto de divina potentia potest in dubium verti, quod charitatis ignem sine termino augeat?

Satis sit argumentis oppositis.

Dices, non est dubium de divina potentia, sed de re creata, quae in se non est possibilis, quia repugnat ei infinitas, cum sit essentialiter limitata. Neque exemplum ignis est ad propositum, cuius virtus est pure extensiva, et multiplicatio individuorum sub eadem specie non auget, et pure materialis. Augmentum autem charitatis de quo loquimur est intensivum, [illegible] formam, augens infinite illius perfectionem.

[illegible] tamen arguens, colligens ex infinito in potentia, infinitum in actu, ignorat essentialem rationem huius infiniti, quod quantum ad actum, semper est finitum, siquidem semper potest illi fieri additio, ut ex eius diffinitione constat, cuius non est quin plura. Unde solum [illegible] divinae virtutis potentiam amplius, et amplius illi addere ponimus infinitatem, quae minime negari debet. Sed Sosa [illegible] exponitur S. Doct., ut salvet infinitatem divinae potentiae, [illegible] illi (in Comment. 10. art. q. 28. dist. 28.) quod possit tantum circa multitudinem discretam, seu individualem amplius, et amplius crescere sine termino, quia haec multiplicatio solum penes materiam attenditur, quae perfectionem non auget, sed puram extensionem.

Sed vilissime sentit de divina virtute, qui solum illimitationem in ea constituit, quam in igne, et potentiis creatis omnes admittunt, et quod extensio individuorum, nec in causa, nec in effectu arguit maiorem perfectionem, ac proinde, nec infinitatem. Arguit item contra Vasquez. num. 42. quod exhauriretur, et limitata demonstraretur potentia Dei si infinitum in actu produceret de facto, sed quanto magis limita

tur

tur, ab ipso, si nec infinitum in potentia potest, sed in qualibet rei natura dabitur determinate maxima, ultra quam divina virtus præstantiorem aliam creare nequit. Non re est maior virtus, quæ ad magis extenditur.

Unde iam ad fundamentum Scoti negatur sequela, quod scilicet ex infinito in potentia sequatur posse dari infinitum in actu. Namque Scotus, eiusque expositores fatentur infinitum in potentia secundum multitudinem, seu quantitatem discretam, et tamen negant infinitum in actu eiusdem generis. Qua ergo ratione negant ... consequentiam, vel quia ... divina potentia, vel quia repugnat ... ... possumus illis respondere, negando, quod sit dabilis charitas ... ... tur, quod intra limites finitæ charitatis divina virtus ... ... plures gradus addere, numquam tamen deveniet ad infinitatem in actu, quæ impliceat in se ipsa contradictionem, ut sequenti sectione probabitur ... ... videt infinitos gradus ab ipso producibiles sine termino, nullam ... ... inter ipsos, aut impedimentum extrinsecum, a quo eius potentia ... ... est unde impediatur eorum infinitas in actu, si conceditur ... ... omnes.

Respondetur distinctione. Scilicet Deus videt infinitos gradus producibiles sine termino, divisim, et distributive, non tamen collective omnes producibiles. Ratio autem quare repugnat omnium collectio, nec est incompossibilitas inter ipsos, nec obstaculum aliquod quo retardetur virtus divina, cui nullum contrarium potest resistere; sed ex alio capite, sectione sequenti magis declarando, videlicet, quod eius potentia, manet ita integra et expedita post quamlibet rerum creationem, ac si nihil produxisset. Sic etiam respondebit, aut respondere tenebitur Scotus, obiicienti illi infinitam multitudinem in actu, quam in potentia infinitam admittit, et in divina scientia omnia individua illius obiective præsentia.

Dices iterum, quicumque gradus augmenti, et perfectionis ... qui magis ... ... a charitate: aut ergo videt Deus ultimum, qui finite distet, ... quod talis charitas non sit augmentabilis sine termino. Aut ergo videt gradus infinite distantes sine termino, et sic erunt iam infinite perfecti, quod ... ... conceditur. Respondetur. Concedo omnem gradum charitatis et perfectionis ... quo magis elongatur a minima charitate, nego tamen ex hoc sequi charitatem quæ infinite distet a primo gradu, aut sit in actu infinita, sed intra distantiam finitam, et intra latitudinem perfectionis finitæ posse Deum plures ac plures sine termino producere. Nam eo ipso quod eius potentia expedita, et integra manet ad amplius producendum, et addendum, erit iam finitum totum id quod productum supponitur, quia infinito nequit fieri additio.

Sectio 3ª. An habitus charitatis secundum intensionem possit esse infinitus in actu.

Concedunt multi iuniores, non tantum possibilem, sed de facto animæ Christi concessum, cetera vero infinita in quantitate continua, et discreta, in multitudine &c. esse divinitus possibilia, eamque opinionem esse suo tempore communem in academia complutensi

Complutensi, refert Almainus in 3. dist. 13. q. 1.a Praecipuum huius sententiae fundamentum est: quia nulla potest assignari implicationis ratio, ac proinde non est denegandum Diuinae potentiae. =

Communis tamen sententia, negat tam in gratia, et charitate, quam in qualibet alia materia creata, posse dari infinitum in actu, nec secundum essentiam, nec secundum quantitatem molis, aut virtutis. quam veram, et amplectendam existimo. Conueniunt in ea cum Arist.le vtriusque scholae Parentes. S. Th. et Scotus cum suis expositoribus. Reuerendissimus Noster Cumel. q. sua vnica. Caietan. Banes, et alij insignes Thomistae. =

Docuit ex professo, et multis probauit Arist.es 3o Phisicor. a textu 40. vsque ad 56. vbi S. Th. Et etiam expresse 1a p.te q.e 7. art. 3. et 4. quidam ex opposita sententia respondent authoritatem negatiuam Arist.is in quaestionibus de potentia absoluta, aut de rebus supernaturalibus nullius ponderis esse, quia ordinem supernaturalem ignorauit. valde tamen friuola euasio. Nam vbi ostenditur implicationis ratio, quae Philosopho est nota, parum illi interest, quod res supernaturales ignoret, aut latitudinem Diuinae potentiae. quidquid ipse implicat, nec sub diuinam potentiam cadit. Ideoque S. Th. qui tam profunde semper sentit de Diuina potentia: Philosophum in hac assertione sequitur. Praeterea, non ignorauit Arist.es infinitatem primae causae, et infinita secundum quantitatem molis, aut virtutis in rebus naturalibus naturalia essent quoad totam entitatem suam, et aliae tum semper ex definitionibus essentialibus rerum legitime ducurrerit, sicut in definitionibus non exclusit res supernaturales, ita nec in consequentijs deductis ab illis, praesertim quando sunt immediate in ipsis fundatae, sicut praestat in praesenti, quod cum ipsa ratione, ac definitione infiniti, rationes repugnantiae, et contradictionis probat. =

Fundamentum praecipuum nostrae assertionis.

Ratione item (omissis alijs inefficacibus) sic Probo. Ex speciali gratiae, et charitatis natura (de quibus est ratio eadem, cum se habeant vt radix, essentia, et proprietas) si essent possibiles gratia, et charitas actu infinitae, etiam possibile esset lumen gloriae infinitum: ex hoc autem comprehenderetur Deus, quod nullus Catholicus audet concedere: ergo nec illud ex quo sequitur. Prima sequela de lumine infinito est manifesta: propter hoc enim materia de iustificatione, gratia participatio formalis dicitur Diuinae naturae, et in supernaturali intellectualitate, sicut ipsa consistens; quia ex illa tamquam ex radice oritur, et hince lumen gloriae, et illi, et charitati commensuratur in quantitate virtutis, sicut in Angelis, et animis datur intellectus iuxta mensuram substantiae, et voluntas iuxta proportionem intellectus propter connexionem per se, quam ad inuicem habent. quanto enim, qui est iustior per gratiam et charitatem, tanto erit beatior per gloriam quae in visione consistit, tantoque magis diligens, et dilectus a Deo per charitatem. =

Secunda sequela de comprehensione ex priori aperte deducitur. quia ad plenam Dei comprehensionem, tantum requiritur, quod clare videantur omnia quae in Deo sunt formaliter et eminenter, vel quod videatur Deus infinita claritate, et intensione, vt alij Theologi explicant. (de quo late in 1a p.te materia de visione) sed

tanto

tanto magis penetratur, clariusque videtur emminentia divine virtutis, ac perfectionis, quanto magis, quantitas gratie, et luminis crescit ut fatentur omnes: ergo si quantitas gratie, et luminis sit infinita, visio Dei erit infinita, ergo comprehensiua. Et ultima consequentia, in qua tantum potest esse difficultas probatur. quia tatenus Deus est incomprehensibilis, quatenus est infinite visibilis, ex eo scilicet, quod perfectiones, que in eo formaliter et emminenter latent sunt infinite: sed infinita visio adequat infinitum visibile, et illi correspondet: ergo si infinita visio est possibilis etiam comprehensio.

Respondent aliqui, infinitatem divine perfectionis, esse altioris ordinis, ac est infinitas visionis, quia illa est infinita simpliciter, hec vero secundum quid, ideoque alteram adequare non valet, ut ad comprehensionem requiritur. Sed si hoc ita esset, nec cognitio increata, qua Deus ipse se intuetur, comprehensiua esset; quia non est simpliciter infinita in omni genere entis in suo formalissimo conceptu, sicut est divina essentia, sed tantum secundum quid, in speciali genere sapientie aut visionis: hoc autem valde frivolum est, quia adequatio comprehensionis respectu rei comprehense, non est intelligenda in genere entis, sed quod in ratione visionis, et obiecti visibilis sit omnimoda proportio, et equalitas: nam hec tantum ex definitione comprehensionis colligitur. quod sit visio rei in quantum visibilis est, hoc est quod ejus visibilitas formalis adequet et exhauriat visibilitatem obiectiuam. Rursus si visio creata, et accidentalis, qualis est beata attingit clare divinam, et increatam substantiam, et quo intensior huius visionis perfectio, eo magis penetrat de infinito divinarum perfectionum abisso, quamtumcumque altioris ordinis sit: ergo si lux, et visio infinita esset possibilis, totam illam intelligibilitatem Dei adequaret, et proinde illum comprehenderet, vel si non adequaret, eo ipso non esset actu infinita, sed in potentia tantum: quia si post visionem infinitam amplius, amplius esset visibilis essentia divina, amplius, et amplius lumen, et visio augeri possent adeo, ac proinde non infinitatem in actu haberent, cui non potest fieri additio, sed in potentia tantum.=

Ex quo secundo efficaciter arguo contra authores oppositos. quantitas gratie, et luminis, est infinita in potentia: ergo non in actu. Patet consequentia ex rationibus utriusque infiniti iam declaratis, nam infinitum in potentia, est id quod numquam potest reduci ad actum. cuius non licet, quin plura. Et antecedens patet ex dictis, quia si numquam est comprehensibilis divina essentia, sed est amplius et amplius visibilis sine termino, similiter et lumen maius, ac maius tali ~~lumine~~ augmento visionis correspondens, quia dum non peruentum fuerit ad comprehensionem qua attingitur quantum visibilis est, potest magis ac magis videri.=

Probatur etiam conclusio in ceteris infinitis aliorum generum.

Hec ratio probat etiam de infinitis aliorum generum, presertim quantitatis continue, et discrete, et individuorum cuiuscumque speciei, sunt enim infinita in potentia: ergo non in actu. Patet enim magnitudines, aut multitudines cum sint eiusdem rationis, et extrinsece tantum differant, ita ut nec in effectu maiorem perfectionem

tionem addant, nec in causa arguant, aut illimitationem supponant, possunt sine termino multiplicari etiam a potentia creata, ita ut quantum est ex parte sui, numquam possint exhauriri, ut de igne, et potentijs rationalibus, sectione antecedenti dixi: ergo multo magis a virtute divina erunt multiplicabiles huiusmodi res sine termino. Cuius ratio est, quod talis virtus est infinita simpliciter, et alias cum sit aeterna non redditur operatione debilior; nec producendo aliquid aret, sed semper integra manet post quamcumque productionem ac si nihil produxerit. Ex parte item rerum extensive differentium nullus potest certus terminus pluralitatis intelligi, sed possunt, sicut numerari sine termino multiplicari, quod exemplum valde nota.

De speciebus creatis est maior difficultas, sed illis proportionabiliter applicatur ratio supra facta de comprehensione, sicut enim ex eo quod Deus sit incomprehensibilis, ita ut a nulla creatura possit adequate videri, infertur evidenter esse sine termino amplius, et amplius visibilem, dum non pervenitur ad comprehensionem; sic ex eo quod Deus numquam est adequate imitabilis, aut participabilis ab aliqua creatura, sequitur manifeste quod semper sit amplius, et amplius participabilis eius ~~perfectio~~ perfectio, dum non accedatur ad perfectionem divinam, in sententia praesertim eorum theologorum, qui negant contra Scotum dari speciem creatam maximam, ultra quam Deus alteram perfectiorem creare non valeat. Haec ratio est efficacior quia si alias in productionibus specierum non pertingitur ad perfectionem divinam, nec est possibilis ita magna, quin maior, erit infinitus in potentia tantum progressus, et non in actu =

Denique omissis multis alijs rationibus propter vitandam prolixitatem, et quia magis philosophorum sunt, quam theologorum, sufficiat ratio, qua utitur Aristoteles citatus text. 39. et S. Th. ibi lect. 1. quia si esset infinitum secundum magnitudinem absolute posset in partes finitas, posset enim Deus discontinuare illud in partes finitas, quis neget? sed ex partibus finitis non potest infinitum coalescere, est enim divisibile in semper divisibilia, ideoque philosophi quantitatem sic definiunt, quatenus illam infinitam considerant; repugnat ergo talis magnitudo actu infinita. Idemque argumentum fit de multitudine, quae esset distributiva incerta et determinato numero, posset quae designari prima et ultima unitas, non tantum in quolibet numero, sed etiam in tota collectione quia prima et ultima accipitur semper ad arbitrium numerantis, et cum Deus distinctissime omnes unitates illius collectionis comprehenderet, nec indiget successiva earum numeratione, collectio illa absque numerabilis esset, haberet que principium, et finem, ac in numero finito esset resolubilis quae omnino a ratione infiniti longe distant =

Sectio 4. Argumentis oppositis satis fit.

Multa obijciunt contra dicta authores oppositi, efficaciora solvemus alijs omissis quae ad philosophos magis spectant discutienda. Primo ergo eadem repugnantia infinitatis in potentia quam probavimus in infinitate actu quantitatis, aut multitudinis, nimirum quod ex quantitatibus coniungat finitis terminis quae finitis claudatur, sit numerabilis, atque Deus supponitur quod distincte, et clare illud comprehendit. = Respondetur negando paritatem, nam infinitum in potentia non dicitur simpliciter, sed tantum se-

cundum quid infinitum: et ideo quoad partes existentes est finitum, et principium habens; solum a parte post infinitum dicitur, quia caret termino etiam de potentia absoluta, quantum ad partes, quas potest habere, quae infinitas ita extenditur versus eam partem, sicut divina duratio, nam est possibilitas obiectiva, quam res habet respectu illius, unde potius se tenet ex parte Dei, quam ex parte creaturae. Neque potest Deus etiam si clare videat omnes partes suas infinitas in mente sua aliquam ultimam cernere, ultra quam aliae et aliae non possint produci, sicut nec in sua potentia aliquem intuetur finem, immo nec in potentiis rationalibus, aut igne in aeternum duraturis.

Secundo urgent: quia omnipotentia Dei, non est magis infinita, quam scientia; sed scientia cognoscit omne quod potest cognoscere, ita ut amplius progredi non valeat: ergo etiam omnipotentia absque praeiudicio suae infinitatis poterit simul omnia possibilia efficere, ita ut ulterius aliud creare non possit: quia talis impossibilitas non procederet ex defectu divinae virtutis, sed tantum ex repugnantia obiecti, quae numquam in Deo limitationem infert, sicut nunc sine inconvenienti asserimus, omnipotentiam non extendi nisi tantum ad omne creabile, sic in eo casu.

Respondetur primo esse discrimen, quod scientia cum sit operatio immanens et intrinseca perfectio ultimo complens intellectum divinum, eo ipso quod posset ulterius progredi, infinita non esset, sed potius obscuritati, et ignorantiae admixta. At potentia creatrix cum non perficiatur operatione ad extra, sed solum per posse producere, habet illimitationem, et carentiam termini in hoc quod est posse non producere; ac proinde potest ulterius progredi in suis operationibus, et sicut intellectui convenit semper actu intelligere, et numquam posse ab actuali operatione impediri: sic potentiae divinae convenit posse semper producere.

Secundo respondetur scientiam Dei ideo dici infinitam, licet ulterius non possit progredi: quia respicit obiectum simpliciter infinitum, qualis est Deus, modo quoque infinito, et adaequato, quidquid sit de obiectis creatis quae nullam illi perfectionem afferunt, ac proinde multo minus infinitatem. At omnipotentia (praesertim in nostrum sententia quae illam omnino distinguit ab intellectu divino) si producta quacumque immensa creaturarum collectione, amplius progredi non posset esset valde limitata; quia cum nulla creatura infinita esset secundum essentiam, infinitas secundum numerum minimum quid est respectu divinae virtutis: atque adeo nihil valet ut exhauriat illam, aut eius infinitatem notificet, scientiae infusae animae Christi, quae simpliciter finita est, concedimus respicere infinitam creaturarum turbam, omnia scilicet possibilia et futura et de igne, et potentiis rationalibus iam dixi: ergo divinae potentiae infinitas ex hoc capite inferri nequit. Consistit ergo in hoc quod a nulla creaturarum immensitate potest exhauriri, aut adaequari eius virtus, quia cum res ex nihilo faciat, sicut nihilum exhauriri non potest, sic nec eius potentia. Modus etiam producendi ex nihilo, et sine dependentia alterius causae superioris aut obstaculo quod eius virtuti possit opponi, hanc infinitatem declarat: sed nullum est obstaculum ad amplius producendum existentia simultanea omnium creaturarum per illam quae exhauriebatur tam sublimis quam modus divinae virtutis.

Dices, non exhaurietur divina potentia productis omnibus creaturis, sicut nec infinita modo productis sit, vel illi, quia non pendet a creaturis eius perfe=

tio, et in eo casu maneret adhuc integra eius virtus, tum quia posset annihilare, et iterum reproducere, imo et sine annihilatione, sicut Corpus Christi constituit in pluribus locis per substantialem, et reproductiuam actionem (ut 3 Phys. demonstrauimus) sic easdem numero creaturas posset in alio, et alijs Mundis reproducere, conseruando item creatas, quod perinde est ac continuo eas reproducere. Aequiuocatur tamen arguens in voce exhausisse potentiam Dei, existimans nos per illam significare, quod pereat Diuina virtus; fateor quod productis omnibus integra maneret sicut antea, sicut nec modo minuitur productis his, vel illis; puerile quidem est circa hoc disceptare. In alio ergo sensu diximus exhausiri Dei potentiam, quia videlicet impenitus in terminus, ultra quem eius virtus progredi non valeat; sicut enim dicimus exhausisse potentiam generatiuam hominis, per hoc tantum, quod homines producat, et ad alios effectus non se extendat; sic licet integra maneat Diuina virtus in ordine ad res omnes creatas, et creabiles, si collectio omnium quae in rerum potest constitui, est simpliciter finita (ut iam supra ostensum est) vere dicitur finiri, et exhausiri in ea Dei potentia; quia ad alios effectus praeter illos finitos extendi non potest. Effectus autem annihilare, et iterum reproducere, non arguit maiorem perfectionem in virtute, sicut nec multiplicare plura indiuidua sub eadem specie, solum ex modo producendi ex nihilo potest tribuere infinitatem Diuinae potentiae opposita opinio, sed haec non est simpliciter omnimoda, sed tantum secundum quid, sicut enim qui diceret Diuinam scientiam esse infinitam, non quia obiectum infinitum respiciat, sed tantum quia infinito modo res attingit, licet non omnia intelligibilia nec futura praeuideat, non ita digne, et recte de eius Maiestate sentiret, sic in praesenti casu. Praeterquam quod iam dixi ex modo illo infinito producendi res ex nihilo sufficienter colligi, quod sicut nihilum exhausiri non potest, sic nec producibilitas creaturarum. =

Dices iterum, videtur implicatoria haec propositio. Deus non potest facere, quid quid potest facere, si non potest, quomodo potest.? = Respondetur, seorsim et diuisiue omnia potest, collectiue autem non potest. Hoc autem non ex incompossibilitate ipsarum rerum inter se, neque ex impedimento aliquo extrinseco, aut limitatione intrinseca Diuinae potentiae sed potius ex amplitudine omnino illimitata et expedita quam habet eius virtus ad semper operandum. =

Ultima, et difficilis obiectio.

Tandem obijciunt. Licet Deus non possit de facto in re ponere quidquid potest, saltem cognoscit collectiue, et determinate omnia producibilia in sua virtute contenta, vel ergo hunc videt multitudinem actu infinitam, tam specierum quam indiuiduorum, vel tantum finitam? Si hoc secundum, iam omnipotentia intelligitur a nobis tam limitata, sicut ab opinione aduersa. Si primum iam datur, et intelligitur extra Deum infinitum in actu, quod semper ut implicatorium reiecimus. Prima propositio declaratur, quia licet repugnet totam collectionem partium infiniti in potentia in re existere aliquando nec simul, nec successiue, tamen obiectiue in mente Diuina omnes simul existere debent. Quia Deus non potest cognoscere infinitum in potentia nisi simul cognoscat non tantum partes finitas, quas actu habebit sed etiam omnes possibiles, quae sine termino illi addi possunt, alioquin ignoraret, vel tantum confuse illud cognosceret, sicut intellectus humanus. =

Suppono ante solutionem, quod sicut intellectus humanus dum est in hac vita materiae immersus, non potest res spirituales percipere nisi sub forma corporea, nam modus

intelligendi

intelligendi semper sequitur modum essendi; sic longe maiori ratione infinitatem non potest prout in se est comprehendere intellectus finitus, quia plus distat infinitum a finito, quam res spiritualis ab intellectu humano, qui etiam spiritualis est, licet corpori unitus ab eoque pendens in operari. Consequenter ergo adhuc semper infinitatem consideramus ad modum rei finitae, ideoque more nostro concipiendi, concipimus totam aeternitatem sub primo et ultimo termino clausam et exhaustam, solemusque dicere in primo instanti aeternitatis Patrem genuisse Filium, et in secundo instanti simul cum Filio spirare Spiritum Sanctum, et in tertio, futura contingentia praevidisse. Sic totam collectionem possibilium, et futurorum intelligimus ac si finem haberet, totamque aeternitatem subterminamus, et limitatione nostri modi intelligendi clausam. Taliter ergo debemus res imperfecte concipere, ut non attribuamus illis imperfectionem nostri modi concipiendi: et sic nec infinito limitationem nostri modi tribuere debemus, nec eius illimitationem prout in se est, velle investigare, quia est impossibile, debet igitur quiescere intellectus noster nativa confusa [illegible] =

Hoc supposito ad argumentum respondetur Deum videre totam collectionem possibilium, et futurorum, non infinitam in actu, sed in potentia: nam eo ipso quod in esse reali talis multitudo est infinita in potentia, tantum debet sic obiici intellectui divino in esse intentionali, quia veritas maxime divini intellectus res considerat prout in se sunt, si ergo a parte rei est tantum infinitas in potentia, et repugnantia, ut quoad omnes partes suas reducatur ad actum, sic in mente divina sub tali ratione consideratur. Cognoscere autem hanc multitudinem in potentia infinitam, est tantum cognoscere infinitatem suae divinae virtutis, quae semper, ac sine termino est productiva, nullaque rerum collectione exhauriri potest. Unde infinitas in actu, quam arguens considerat in creaturis, ut possibilibus, est tantum intra divinam potentiam, intra quam creatura non est aliud quam creatrix essentia; haec autem eo ipso quod semper et sine termino est productiva numquam est reducibilis ad actum. =

Nota valde.

Tandem assero quod sicut omnipotentia non accipit speciem, nec mensuram suae perfectionis a creaturis possibilibus, sic nec regulam suae infinitatis, sed a se ipsa independenter ab omni alio extrinseco illam habet. In sententia enim quae illam formaliter indistinctam ponit ab intellectu divino, et a virtute generativa Patris, eius infinitas considerata per ordinem ad terminum primarium, quod est Verbum divinum, cui adaequate Pater suam essentiam communicavit, reliqua autem omnia sunt effectus secundarii, quae in Verbo, et per Verbum facta sunt, ut dicitur Ioan. 1° in sententia vero quae eam attributum omnino distinctum, et vim immediate ac primario creatricem considerat, eius illimitatio infertur ex eo quod cum sit sui ipsius diffusiva, et sicut cetera agentia intendat producere sibi simile, numquam tamen possit ad sui adaequatam similitudinem accedere est infinite imitabilis sine termino semperque sui communicativa, ideoque perfectionis suae mensuram a creaturis non accipit, quia numquam se illis adaequate assimilat, aut communicat, sed quasi minimas guttulas per ipsas effundit. =

Quae ratio etiam a fortiori militat in altera sententia, in qua ideo Verbum divinum procedit ut terminus primarius omnipotentiae Patris, et ut ratio, per quam cetera

omnia

omnia fiunt, quia procedit ut imago adequata, et exemplar omnium, ad cuius imitationem omnia creata sunt. sicut de hominibus specialiter Paul. dicit ad Roman. 8. qui predestinauit nos conformes fieri imagini filij sui. que verba etiam ceteris creaturis aliqualiter conueniunt, quatenus imitantur in aliquo diuinam essentiam, in ea que tamquam in Idea, et speculo relucent, licet non quauis assimilatio filium Dei constituat nisi tantum que est supernaturalis participatio nature Diuine, in gradu quasi specifico; ut materia de iustificatione dicetur.

Sectio ultima. Utrum Charitas vie possit equare, vel excedere Charitatem Patrie.

Ab hac difficultate, facile se expediunt, qui charitatem vie, et Patrie diuersas species esse asserunt, nam sicut species inferior, numquam potest ad superioris perfectionem attingere; ita consequenter charitas vie, si species inferior est, non poterit umquam ad Patrie charitatem accedere. Hec tamen opinio iam dis putat. 35. sectione 3. reiecta est. Procedit ergo presens difficultas supposita communi sententia, quam ibi declaraui de unitate specifica utriusque charitatis, et sic solum de quantitate graduali controuertitur. An scilicet possit esse tanta latitudo intensiua charitatis vie, ut aliquando eam que est in Patria excedat, vel saltem eam adequare possit, potest que comparatio fieri eiusdem hominis in statu vie ad seipsum iam Beatitudine donatum, vel respectu diuersorum. =

Nec est difficultas de actu: omnes consenciunt charitatem vie longe inferiorem esse, siue sit eiusdem, siue diuersorum. (Beatissima virgine excepta cuius charitas omnem aliam pure creature semper excessit) cuius ratio est. Quia obiectum clare visum vehementius mouet et feruentiorem excitat affectum, quam obiectum sola fide obscure propositum, ut expresse S. Aug. docet. cap. 36. de spirit. et litte. et lib. 2. de pecc. meritis. cap. 11. Preterea, necessitas, perpetuitas et unio consummata, et innumerabilis amoris beatifici euidenter indicant hunc excessum: proponitur namque per beatam visionem infinita Dei bonitas, ita presens in se ipsa ut necessario voluntatem rapiat, et secundum ultimum sue potentie conatum, et vim ad se trahat. Per fidem vero obscure, et absens, et non ut in se est, sed sub speciebus creaturarum, innumeris que difficultatibus retardantibus tam intensionem, quam illius substantiam. =

Loquendo de habitu, prima sententia, quam inter alios acriter defendit Lorca hic disp. 12. a num. 1. est numquam posse accedere charitatem vie ad eam que in Patria donatur. Hanc putat expressam D. Th. sententiam antiquorum Patrum, ac Theologorum, et oppositam nouissime excogitatam a iunioribus. S. Th. in hoc art. ad 3. ait, quod sicut linea quantumcumque crescat, non potest non attingere quantitatem superficiei, quia habent quantitates diuerse rationis: sic nec charitas vie, que sequitur cognitionem fidei, potest umquam accedere ad charitatem Patrie, que sequitur visionem apertam. Et 1a 2e. q. 67. art. 6. ad 3m. et 3a p. q. 34. art. 4. =

Probat item ex illo Math. 11. inter natos mulierum non surrexit maior Ioan. Baptista: qui autem minor est in regno celorum, maior est illo. Ex quo plane colligitur minimum beatum excedere maximum viatorum, qualis dicitur ibi Ioannes, ita intelligunt hunc locum D. Th. in commentarijs illius. S. Aug. lib. 2o contra aduersarium legis. S. Hieronim. An=

selmus

Anselmus, Lira, et alii Patres. Docet item Aug. 1° Retract. et 1° de doctrina Christiana cap. 38. et serm. 16. de verbis Apost. et lib. de perfectione iustitiæ cap. 17. et epist. 106. Charitatem in via esse proficiendam esse, et ideo nunquam esse plenam, atque perfectam, idemque sæpe repetit D. Thomas. ...

Denique probat tertio. Quia maior virtus exigitur ad amandum Deum clare visum quam creditum: ergo maior gratia, et charitas exigitur in Patria, quam in via. Antecedens probatur. Quia Deus quanto clarius videtur, tanto magis naturæ vires excedit, ideoque tanto maiori virtute indiget in ordine ad tale obiectum. =

Sed parum urget fundamentum istud, fatemur enim naturam esse magis improportionatam, indigereque maiori virtute in ordine ad Deum clare visum, sed sufficienter proportionatur, et elevatur per lumen gloriæ, et per ipsam Beatam visionem, quæ est tam efficax causa amoris ut necessario voluntatem rapiat ad illum. Unde potius econtra difficilius amatur Deus obscure cognitus, quam clare visus: quia non ita applicatur obiectum per fidem, sicut per visionem, neque obiiciuntur difficultates in Patria, quæ absque numero in via interveniunt, ratione quarum sæpius voluntas deficit, et succumbit. In Patria autem, non potest a dilectione se abstinere, attracta clara visionis. =

Doctrina valde notanda ad difficultatem dirimendam

Testimonia etiam adducta, facillime diluuntur, advertendo sanctitatem, et amicitiam ac unionem cum Deo, non consistere in sola entitate physica, et intensione qualitatis gratiæ, sed alia superaddi, quibus potest crescere in esse gratiæ, seu amicitiæ Divinæ, et non ita in esse physicæ qualitatis. Sic D. Th. 3. p. q. 7. art. 11. ait gratiam Christi esse infinitam dignitatem, quam ex unione ad Verbum in illa redundavit, licet in esse entis, et qualitatis physicæ finita sit. Sic de gratia habituali Beatissimæ Virginis, verissime dicitur, quod ex dignitate Matris accepit moraliter longe maiorem gratitudinem apud Deum, quam potuit illi tribuere qualitas, et intensio physica illius. Unde si cuilibet alteri creaturæ Deus conferret gratiam physice intensiorem, quam animæ Christi aut Matris eius, esset incomparabiliter minor gratitudo, et amicitia, et unio cum Deo, quam talis gratia conferret subiecto. E contra si Deus gratiam poneret in subiecto in peccato mortali existente (quod suæ potentiæ absolutæ non repugnare probabilior tenet opinio) nullam gratitudinem, aut sanctitatem præstaret, sed Dei inimicum subiectum illud relinqueret, et tamen maneret illa qualitas, poseetque physice intensior esse, quam in pluribus aliis iustis: sunt ergo conceptus diversi, et separabiles. =

Quod amplius a priori sic demonstro: nam licet gratia ex se reddat obiectum congruum Divinæ dilectionis, uniatque animam cum Deo ut sponsam, filiam, et amicam, totum hoc præstat tantum inchoative per modum naturæ, et radicis, non complete, nisi mediis suis habitibus, et proprietatibus ac dispositionibus depurantibus animam ab omni iniquitate, impuritate, et improportione (ut in expositione ad articulum 10. magis aperiam) unde est valde deficiens, et imperfecta quantumcumque in radice intensive crescat, dum lumine gloriæ et visione beata non completur ac consumatur spirituale matrimonium unione indissolubili

cum Deo

cum Deo. Ex quo evidenter infertur, quod eadem gratia eque intensa, supposito quod in qualibet mensura est radix physica luminis gloriae, et tribuit ius ad illam, si adveniat illi visio beata, tribueris et possessionem summi boni, constituet hominem Deo gratiorem, amabiliorem, sanctiorem &c. Nam vehemens illa dilectio actualis, et unio perfecta et indissolubilis cum Deo, qualitas, pulchritudo, et dotes gloriosi incomparabiliter amabiliorem ac digniorem reddunt, quibus si addas unionem realem divinae essentiae cum anima, tam in ratione luminis, ac speciei expressae, quam in ratione amoris (quam disputatione 33. ex mente D. Th. et S. Aug. probavi) omnis tollitur ambigendi locus, nam sicut gratia Christi ex unione ad verbum, et sicut sanctitas Beatae Virginis dignitate Matris inestimabilem dignitatem, et gratitudinis augmentum acceperunt: sic ex unione divinae essentiae ineffabiliter animam decorante, et ex ingressu ad thalamum sponsi per consummatam possessionem illius qua gratia suum ultimum complementum accipit, gratiorem et amabiliorem animam reddidit.

Hoc supposito evanescunt penitus omnia Patrum testimonia quibus opposita fulciebatur opinio, nec ipsi, nec verba Christi loquuntur de intensione pure physica, sed de maioritate in ratione sanctitatis, et de maiori perfectione, quam accipit gratia, quando per lumen gloriae visionem beatam, et actualem dilectionem, et summi boni possessionem tandem consummatur, quod totum verissimum est etiam si qualitas gratiae in beato sit physice minus intensa. Hanc autem esse expressam D. Th. sententiam constat ex contextu suorum verborum in omnibus locis adductis in hoc art. ad 3um. Postquam obiecerat charitatem viae non posse in infinitum augeri, alias aequaret charitatem Patriae. Respondet. Augmentum, et quantitatem charitatis Patriae esse rationis longe diversae, ad quam accedere non potest charitas viae etiam si infinite crescat sicut nec linea ad quantitatem superficiei. Unde potius retorqueri potest hoc testimonium contra locum. Nam aperte significat D. Th. non loqui de augmento intensivo charitatis, quod est eiusdem rationis, viae, sed de alio diversae rationis iam declarato, quod in statu beatifico consistit, et in unione consummata cum Deo in ratione amoris, quod etiam explicui disp. 33. in 1.2ae q. 61. art. 6. ad 3um. Eandem doctrinam significat dicens, ideo charitatem viae numquam posse aequare charitatem Patriae propter diversam causam a qua illius amor procedit, quae est visio beata, nam talis amor est perpetuum indissolubilis unio matrimonium spirituale consummari ex vi possessionis et efficaciae visionis beatae. Minus urget testimonium tertiae partis q. 34. art. 4. ubi tantum ait, quod gratia viatoris est semper differens a gratia comprehensoris, ideoque habet mensuram minorem, quod verissimum est, quia nondum intelligitur perfecta, et consummata etsi infinite cresceret, nisi per gloriam et beatificam summi boni possessionem.

Legatur etiam 1a p. q. 117. art. 2. ad 3. ubi satis se explicat, dicens. Aliqui homines in statu viae sunt maiores aliquibus Angelis, non quidem actu, sed virtute, inquantum scilicet habent charitatem tantae virtutis, ut possint mereri maiorem beatitudinis gradum, quam quidam Angeli habent, sicut si dicamus semen alicuius magnae arboris esse maiorem quam parvam aliquam &c. Cuius sensus est, maioritatem simpliciter accipi ex gratia consummata per gloriam, supremamque eius dignitatem, perpetuitatem &c. et ratione huius omnis viator est actu inferior Beato. Virtute tamen aliquos viatores esse maiores Angelis beatis, quatenus in via charitatem habent tantae virtutis intensivae, ut maiorem gloriam postea assequi possint, supponit ergo charitatem physice intensiorem in via

toribus

toribus inveniri posse. =

Dices: etiam si Charitas, non sit actu intensior, quia tamen potest per merita postea maior fieri, et sic mereri beatitudinem intensiorem, dicitur nunc maior virtute a S. Th. Sed minime quadrat verbis hoc interpretatio: nam hoc modo gratia qualibet quantumvis remissa, et omnes viatores ratione illius maiores essent in virtute omnibus Angelis etiam supremi ordinis, quod S. Th. non dicit, sed aliquos homines posse in virtute excedere aliquos Angelos, et addit rationem; in quantum habent Charitatem tantae virtutis, et non inquit habere possunt, sed habent, loquitur ergo aperte de speciali excessu intensivo illius. =

Statuitur iam difficultatis resolutio. —

Ex dictis asserendum existimo. Quod si Comparatio inter diversos homines fiat, multi iusti insignes in via Charitate intensive maiori floruere supra plures Beatos, quin imo et viatores non super eminentis sanctitatis parvulos excedunt, qui cum sola gratia baptismali rapti fuerunt ad statum alterius vitae. Semper tamen suppono loqui de excessu puro, ac prorsus intensivo habitus, non de actu, nec de maioritate simpliciter quam absolute habet quilibet minimus beatus super omnes viatores. = Haec assertio sic explicata, non potest demonstrari rationibus metaphysicis, sed coniecturis Divinae voluntatis, pendet enim ex libero Dei beneplacito, quod an, vel alterro modo res se habuerit, supposita tamen doctrina sacrae scripturae, et Theologica, de inaequalitate, et distantia maxima inter Beatos et viatores in gradibus intensivis; et quod gratia huius vitae in infinitum potest augeri, et nullum ex sacra scriptura aut Patribus testimonium adduci potest, quo ostendatur Deum terminum posuisse Charitati vitae infra latitudinem intensivam Charitatis Patriae, quid inconveniens talis intensivus excessus, sicum illo stat, quod sanctitas Patriae, simpliciter, et longe maior sit. =

Praeterea, minime credi potest, parvulum qui sine meritis, cum sola gratia baptismali decessit excedere in intensione habitus Charitatis, et gratiae, Charitatem Apostolorum, Ioannis Baptistae, et similium sanctorum, quibus eadem gratia baptismalis primo fuit collata, et postea per totius vitae merita et maxima Dei auxilia, et beneficia innumeris fuit cumulata incrementis. =

Dices: Parvulos praeter gratiam baptismalem accipere quando ad statum beatificum promoventur, incrementum aliud magnum Charitatis, et gratiae, ratione cuius excedere possunt intensive gratiam cuiuslibet viatoris. Sed licet pie ac probabiliter credi possit gratiam adultis conferri in patria, quam pro suis meritis, quia Deus praemians dicitur supra condignum, et colligitur ex illis verbis Luc. 6. Mensuram bonam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum. De infantibus qui nullis propriis meritis iustificantur, non est eadem ratio, nec est unde constet. Nemo enim habenus dixit, dum in initio sacramenti conferre gratiam aut gloriam in maiori mensura, quam virtus sacramenti ex opere operato exigit. =

Sed demus parvulis, sicut adultis gratiam in maiori mensura conferri in instanti suae translationis ad statum beatificum. Unde constat, quod mensura sit tanta, quod omnem Charitatem quantumvis insignem huius vitae excellat? Certe nulla huius apparet

ratio

ratis, aut authoritas adducebat, et alias si consideremus eximia, et miraculosa sanctorum merita, passiones, innumerasque merendi occasiones per continuam contemplationem, asperrimam que vitam, proximorum dilectionem, zelum animarum, et similia perfectionis exercitia quibus pluximis annis insudarunt, et quod cuilibet operi quantumcumque levi promittitur gratiæ et charitatis augmentum actionibus que naturalibus comedendi, et dormiendi, naturæque in cæteris subveniendi mensuram ita magnam inveniemus, quod possit incomparabiliter excedere eam quæ parvulis in alia vita donatur. =

Ex quo tandem infero, solum respectu eiusdem esse verisimile gratiam et charitatem patriæ excedere semper in intensione charitatem viæ; vel quia augmentum correspondens actibus remissis, non statim confertur in hac vita, sed in ingressu alterius, ut probabile dixi præcedenti disputat. Sed 2. vel quia gratiæ meritis correspondens huius viæ, in ingressu regni cælestis augetur, ut multi piæ ac probabiliter credunt. Qui tamen utrumque suppositum negaverit consequenter dicat gratiam, viæ et patriæ esse intensione æquales respectu eiusdem subiecti. =

Articul. 8. Utrum charitas in hac vita possit esse perfecta. ~

Ad octavum sic proceditur. Videtur quod charitas in hac vita non possit esse perfecta. Maxime enim hæc perfectio in Apostolis fuisset. Sed in eis non fuit. Dicit enim Apostol. ad Philip. 3. Non quod iam comprehenderim aut perfectus sim. ergo charitas in hac vita perfecta esse non potest. =

Secundo præterea, Aug. dicit in lib. 83. quæst. quod nutrimentum charitatis est, diminutio cupiditatis. Sed ubi est perfectio charitatis, nulla est cupiditas sed hoc non potest esse in hac vita, in qua sine peccato vivere non possumus. Secundum illud 1. Ioann. 1º si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, omne autem peccatum ex aliqua inordinata cupiditate procedit: ergo in hac vita charitas perfecta esse non potest. =

3º præterea, illud quod iam perfectum est, non potest ulterius crescere, sed charitas in hac vita semper potest augeri, ut dictum est: ergo charitas in hac vita non potest esse perfecta. =

Sed contra est. quod Aug. dicit super 1ª. can. Ioann. charitas cum fuerit roborata perficietur. Cum autem ad perfectionem venerit, dicit, cupio dissolvi, et esse cum christo, sed hoc possibile est. in hac vita sicut in Paulo fuit. ergo charitas in hac vita, potest esse perfecta. =

Respondeo dicendum. quod perfectio charitatis, potest intelligi dupliciter. Uno modo ex parte diligibilis perfecta est charitas, ut diligatur aliquid quantum diligibile est, Deus autem tantum diligibilis est, quantum bonus est, bonitas autem eius est infinita. unde infinite diligibilis est. Nulla autem creatura, potest eum diligere infinite, cum quælibet virtus creata sit finita. unde per hunc modum, nullius creaturæ charitas, potest esse perfecta sed solum charitas Dei qua seipsum diligit. Ex parte vero diligentis, tunc est charitas perfecta. quan

do

do diligit tantum quantum potest. Quod quidem contingit tripliciter. Uno modo sic, quod totum cor hominis actualiter semper feratur in Deum, et hoc est perfectio charitatis Patriae, quae non est possibilis in hac vita, in qua impossibile est, propter humanae vitae infirmitatem, semper actu cogitare de Deo, et moveri dilectione ad ipsum: alio modo ut homo studium suum deputet ad vacandum Deo, et rebus divinis: praetermissis aliis, nisi quantum necessitas praesentis vitae requirit, et ista est perfectio charitatis, quae est possibilis in via, non tamen est communis omnibus habentibus charitatem. Tertio modo, ita, quod habitualiter aliquis totum cor suum ponat in Deo; ita scilicet, quod nihil cogitet, vel velit, quod divinae dilectioni sit contrarium. Et haec perfectio est communis omnibus charitatem habentibus. =

Ad primum ergo dicendum, quod Apost. negat de se perfectionem Patriae. Unde Glos. ibidem dicit, quod perfectus erat viator, sed nondum ipsius itineris perfectione perventor. =

Ad secundum dicendum: quod hoc dicitur propter peccata venialia, quae non contrariantur habitui charitatis, sed actui: et ita non repugnant perfectioni viae, sed perfectioni Patriae. =

Ad 3um dicendum. Quod perfectio viae non est perfectio simpliciter, et ideo semper habet quo crescat. =

Expositio litterae.

Respondet optime S. Doctor supponendo tres perfectionis gradus. Cum enim perfectum sit, cui nihil deest, et complementum habet in suo genere textu Arist. 3. Phisic. cap. 6. textu 63. diversae perfectiones charitatis considerari possunt, secundum varias integritates, et plenitudines eius. Una est ut sit tanta, quae adaequet obiectum, et diligat Deum quantum diligibilis est, et quanta est eius bonitas, et hoc non est possibilis creaturae: correspondet enim comprehensioni, et sicut Deus tantum a se ipso, et non ab aliqua creatura potest comprehendi: ita nec adaequate amari quantum diligibilis est. Altera perfectio est, ex parte diligentis, in q ut scilicet Deum diligat in quantum potest, licet non pro dignitate summae eius bonitatis, et in hac sunt diversi gradus. Primus, si ita diligat, quod excludat omne contrarium charitati, peccatum scilicet mortale, quo charitas extinguitur. Et haec perfectio convenit omnibus charitatem habentibus. Secundus, si ita diligat, ut non tantum contraria excludat, sed etiam quae divertere, aut quomodolibet impedire possunt, ne mens omnino in Deum feratur et illi adhaereat pro modo et conditione huius vitae hoc est quae non solum servat praecepta, sed etiam consilia: et hoc non omnibus convenit sed iis qui ad perfectionem aspirant, sicut Religiosi qui specialibus votis, obedientiae, paupertatis, ac castitatis se adstringunt; quia in illis integra seculi abrenunciatio continetur. Ad quos etiam reducuntur qui vitam hanc imitantur, assidueque orationi et virtutum exercitio invigilant. =

Tertius gradus est, ut semper sine intermissione, et toto mentis conatu actu Deum diligat: et hoc perfectio tantum est alterius vitae propria, viatoribus autem impossibilis. Huius comparatione duplex alia imperfectio potius vocari potest, dicuntur tamen secundum quid perfectiones, quia quaevis in suo ordine aliquale complementum includit,

Sicque

sicque vocantur sepe in sacris litteris. De prima enim que vitat peccata et servat mandata dicitur 1. Joann. 2. Qui servat verbum eius in hoc charitas Dei perfecta est. De secunda Matth. 19. Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia que habes, et da pauperibus. De 3ª. Ad Philip. dicitur. Non quod iam acceperim, aut perfectus sim. Et 1. Chorint. 13. Cum venerit quod perfectum est &cª. hac distinctione et acceptionibus perfectionis animadversis, facile est conciliare diversa sacre scripture, et Patrum testimonia, qui aliquando omnes iustos perfectos vocant. Aliquando ad perfectionem, et ad singularem gradum, et non ceteris iustis communem, exortantur. Aliquando hominem in hac vita perfectum inveniri posse, totis viribus negant. Legatur S. Aug. de perfect. iust. cap. 8. et 9. =

Semper tamen ab hac doctrina sanctissimam virginem excipio, que ratione plenitudinis gratie illi ab Angelo annunciate omnimodam perfectionem Beatorum propriam semper in hac vita a primo sue conceptionis instanti obtinuit. Quo modo veraciter gratia plena diceretur, si aliquando deficiens, aut imperfecta, sicut in ceteris viatoribus in illa esset. Fuit enim proprius Marie status, hec singularis gratie plenitudo, ita ut in eam omnis gratia Redemptionis descenderet, et quod ceteris sanctis per partes prestatur, (ut ait Hieronimus) in Mariam, totius que in Christo est gratie plenitudo venit, quamquam aliter. Ratione huius ab omni labe etiam originalis peccati, fuit immunis. Ratione huius, virginitas cum maternitate, et visio Beata cum fide in ea mirabiliter unite fuerunt, ne quid huic deesset sanctitatis plenitudini, et ne umquam celorum Regina, et Angelorum Domina in aliquo sanctitatis gradu, servis suis inferior esset. Fuit item in ea a primo sue conceptionis instanti ineffabilis, et indissolubilis Spiritus Sancti unio, spirituale matrimonium consummans: fuit etiam ineffabilis, et fere quotidiana interpolatio visionis beate cum fide, ut suis eximiis meritis, hanc daretur mirabilemque resignationem, et animi indifferentiam in nullo alio sanctorum inventam in hoc exerceret, eque sustineret Dei abstinentiam, et privationem Beate visionis post tam dulcem et suavem illius experientiam, sed de hoc si Deus dederit, proprium librum iam inceptum in lucem proferam. =

Articul. 9. Utrum convenienter distinguantur tres gradus Charitatis, incipiens, proficiens, et perfecta.

Ad nonum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter distinguantur tres gradus charitatis, scilicet charitas incipiens, proficiens et perfecta. Inter principium enim charitatis, et eius ultimam perfectionem, sunt multi gradus medij. Non ergo unum solum medium debet poni. =

Secundo. Preterea. Statim cum charitas incipit esse, incipit etiam proficere. Non ergo debet distingui, charitas proficiens, a charitate incipiente. =

Tertio. Preterea. Quantumcumque aliquis habeat in hoc mundo charitatem perfectam, potest etiam eius charitas augeri, ut dictum est. Sed charitatem augeri, est ipsam proficere. Ergo charitas perfecta non debet distingui a charitate proficiente, inconvenienter ergo predicti tres gradus charitatis assignantur. =

Sed contra est, quod Aug. dicit super primam Can. Joann. Charitas cum fuerit nata

nutritur

nutritur, quod pertinet ad incipientes: cum fuerit nutrita roboratur, quod pertinet ad proficientes: cum fuerit roborata perficitur, quod pertinet ad perfectos. ergo est triplex gradus Charitatis.

Respondeo dicendum. quod spirituale augmentum Charitatis, considerari potest quantum ad aliquid simile corporali hominis augmento: quod quidem quamvis in plurimas partes distingui possit habet tamen aliquas determinatas distinctiones, secundum determinatas actiones, vel studia ad quae homo perducitur per augmentum. sicut infantilis aetas dicitur, antequam usum rationis: postea autem distinguitur alius status hominis, quando iam incipit loqui, et ratione uti. Iterum tertius status eius est pubertatis, cum iam incipit posse generare; et sic deinde quousque perveniatur ad perfectum. Ita etiam, et diversi gradus charitatis distinguuntur, secundum diversa studia ad quae homo perducitur, per charitatis augmentum. Nam primo quidem incumbit homini studium principale ad recedendum a peccato, et resistendum concupiscentiis eius quae in contrarium charitatis movent: et hoc pertinet ad incipientes in quibus charitas est nutrienda, vel fovenda, ne corrumpatur. secundum autem studium succedit, ut homo principaliter intendat ad hoc quod in bono proficiat: et hoc studium pertinet ad proficientes, qui hoc principaliter intendunt, ut in eis charitas per augmentum roboretur. Tertium autem studium est ut homo ad hoc principaliter intendat, ut Deo inhaereat, et eo fruatur: et hoc pertinet ad perfectos qui cupiunt dissolvi, et esse cum Christo, sicut etiam videmus in motu corporali, quod primum est recessus a termino, secundum autem est appropinquatio ad alium terminum, tertium est, quies in termino.

Ad primum ergo dicendum. quod omnis illa determinata distinctio, quae potest accipi in augmento charitatis, comprehenditur sub istis tribus, quae dicta sunt: sicut etiam omnis divisio continuorum comprehenditur sub tribus his, principio, medio, et fine. ut Philosophus dicit in 1° de Coelo.

Ad secundum dicendum. quod illis in quibus charitas incipit, quamvis proficiant, principalior tamen cura imminet, ut resistant peccatis, quorum impugnatione inquietantur. sed postea hanc impugnationem minus sentientes, iam quasi securius intendunt ad profectum. Ex una tamen parte, facientes opus, et ex alia parte habentes manum ad gladium. ut dicitur in Esdra. de aedificatoribus Ierusalem.

Ad tertium dicendum. quod perfecti etiam in charitate proficiunt. sed non est ad hoc principalis eorum cura: sed iam eorum studium circa hoc maxime versatur, ut Deo inhaereant. Et quamvis hoc etiam quaerant incipientes et proficientes, tamen magis sollicitudinem circa alia suam sollicitudinem, incipientes quidam de vitatione peccatorum, proficientes vero de profectu virtutum.

Expositio litterae.

Exponit hic Angelicus Praeceptor celebrem Charitatis distinctionem in incipientem, proficientem, et perfectam. sumpta proportione et analogia ad varias hominum aetates. Docent illam S. Gregor. homil. 15. in Ezequi. in principio. Aliud, inquit sunt virtutis exordia, aliud profectus et aliud perfectio. Et S. Aug. tract. 5. in Ioan. Iann. ubi ait. Charitas ut perficiatur nascitur, cum fuerit nata nutritur, quod pertinet ad incipientes, (ut exponit S. Th.) cum fuerit nutrita roboratur, quod pertinet ad proficientes, cum fuerit roborata perficitur, quod pertinet ad perfectos. Concludit D. Th. nativitatem, et nutritionem inspi-

mo gradu, quia sola natiuitas aut productio, non facit statum, cum sit cito transiens, sed supponitur ad illum. Eodem gradus docent S. Bernard. de vita solitaria ad fratres de Monte, post initium. Ricard. de S.to Victore. et fere omnes viri contemplatiui, licet varient in modo explicandi hos gradus. Communior explicatio est, charitatem incipientem illam esse, qua totum hominis studium est recedere a peccato, et resistere concupiscentijs carnis, charitas enim recens vehementer quatitur tentationum turbine, charitatem vero proficientem esse, qua homo conatur principaliter ad augmentum, et adquisitionem virtutum, quibus robur accipit, et virilem statum, quia etsi non sit liber animus ab impugnatione fomitis, et concupiscentiae, sentitur tamen minus, et resistitur facilius passionum certamen, atque adeo est locus proficiendi in bono. Denique, per charitatem perfectam, intelligitur quae praecipue Deo per amorem, et contemplationem inhaeret, eiusque familiaritate fruitur. =

Secundum hos tres status, designari solent a viris spiritualibus tres viae, purgatiua scilicet, illuminatiua, et unitiua, quae deductae fuerunt ex S. Dionis. 3. cap. de Eccles. Hierarc. et late ex D. Bonau. in suo opusc. de Mistica Theologia. Discernuntur autem charitates istae, non ita ut incipiens sit impotens adeo opera ad quae extenditur, proficiens, et perfecta, sed solum quia difficultas potest, ex quod sit in statu infantiae. Unde incipientes exhortandi sunt ut a principio suae conuersionis tendio se exerceant in Dei amore, ad ipsumque omnia status referant, et proficientes ac perfecti ut a purgatione peccatorum suorum, numquam desistant. Nec certamen contra hostes, et antiquum serpentem aliquando intermittant, quia militia continua est vita hominis dum viuit super terram. ut dicitur Iob. 7. Discernuntur ergo isti status, non ex eo quod unius exercitia impermixta omnino sint ab exercitijs alterius (quin potius se inuicem iuuant, et connectuntur purgatio, illustratio, et Dei dilectio, atque ideo in omnibus statibus inueniri debent) sed ex principaliori, et frequentiori exercitio, quod in anima celebrius praedominatur, unusquisque status, suam denominationem accipit. Incipiens enim, et si meditationibus animam suam illustrare, et Dei amoris ignem in eam accendere studeat, totum hoc ordinat ad purgandam illam a peccatis, tentationesque vincendas, quibus valde impugnatur. Proficiens similiter, tentationibus quatitur, et contra hostes pugnat, amplius, et amplius a peccatis se purgant, sed potissimum illius studium tantum est de profectu virtutum, et obseruantia consiliorum, quibus valde anima illustratur. quapropter in solut. ad 2. egregie comparat D. Th. proficientes in charitate aedificatoribus Ierusalem, qui principaliter aedificare intendebant, sed quia hostibus circumsepti erant, altera manu opus faciebant, et altera tenebant gladium ad remouendos inimicos, ne aedificium impedirent. Denique perfectus omnia studia et exercitia in Dei amorem refert, ideoque illius amor unitiuus dicitur, quia eandem voluntatem in omnibus, quam Deus, habet. Nam de voluntate Diuina, dicitur Prouerb. 26. uniuersa propter semetipsum operatus est Dominus. Atque imitatur perfectus, habens idem velle, et nolle cum Deo. unde non omnis amor est unitiuus. =

Articul. 13. Utrum charitas possit diminui.

Ad Decimum sic proceditur. videtur quod charitas possit diminui. Contraria enim nata sunt fieri circa idem. Sed augmentatio et diminutio sunt contraria. Cum

ergo

ergo Charitas augeatur, ut dictum est supra, videtur etiam quod possit diminui. =

Secundo. Praeterea, Aug. 10. Confess. ad Deum loquens dicit, Minus te amat qui tecum aliquid amat. Et in lib. 83. quaest. dicit, quod nutrimentum Charitatis est diminutio cupiditatis. Ex quo videtur, quod etiam e converso augmentum cupiditatis est diminutio Charitatis. Sed cupiditas qua amatur aliquid aliud quam Deus, potest in homine crescere: ergo Charitas potest diminui. =

Tertio. Praeterea, sicut Aug. dicit 8. super Genes. ad litteram. Non ita Deus operatur hominem iustum, iustificando eum, ut si abscesserit, maneat in absente quod fecit. Ex quo potest accipi, quod eodem modo Deus operatur in homine, Charitatem eius conservando, quo operatur, primo ei Charitatem infundendo, sed in prima Charitatis infusione, minus se praeparanti minorem Charitatem conservat. Potest ergo Charitas diminui. =

Sed contra est. quod Charitas in Scriptura, igni comparatur, secundum illud Cant. 8. lampades eius, scilicet Charitatis, lampades ignis, atque flammarum. Sed ignis quandiu manet, semper ascendit: ergo Charitas quandiu manet, ascendere potest: sed descendere, idest diminui non potest. =

Respondeo dicendum. quod quantitas Charitatis, quam habet in comparatione ad obiectum proprium, minui non potest, sicut nec augeri, ut supra dictum est. Sed cum augeatur secundum quantitatem quam habet per comparationem ad subiectum, hic oportet considerare utrum ex hac parte diminui possit. Si autem diminuatur, oportet quod vel diminuatur per aliquem actum, vel per solam cessationem ab actu. Per cessationem quidem ab actu, diminuuntur virtutes ex actibus acquisitae, et quandoque etiam corrumpuntur: ut supra dictum est. Unde de Amicitia Philosophus dicit in 8. Ethic. quod multas amicitias inappellatio solvit, idest non appellare amicum, vel non colloqui ei. Sed hoc ideo est, quia conservatio uniuscuiusque rei dependet ex sua causa, causa autem virtutis acquisitae est actus humanus. Unde cessantibus humanis actibus virtus acquisita diminuitur. Et tandem totaliter corrumpitur. Sed hoc in Charitate locum non habet, quia Charitas non causatur ab humanis actibus. Sed solum a Deo ut supra dictum est. Unde relinquitur, quod etiam cessante actu, propter hoc, nec diminuitur, nec corrumpitur, si desit peccatum in ipsa cessatione. Relinquitur ergo quod diminutio Charitatis non possit causari nisi vel a Deo, vel ab aliquo peccato. A Deo quidem non causatur aliquis defectus in nobis, nisi per modum poenae, secundum quod subtrahit gratiam in poenam peccati. Unde nec ei competit diminuere Charitatem, nisi per modum poenae. Poena autem debetur peccato. Unde relinquitur quod si Charitas diminuatur, causa diminutionis eius sit peccatum, vel effective vel meritorie. Neutro autem modo, peccatum mortale diminuit Charitatem, sed totaliter corrumpit ipsam: et effective, quia omne peccatum mortale contrariatur Charitati, ut infra dicetur; et etiam meritorie, quia cum peccando mortaliter aliquis contra Charitatem agit, dignum est ut Deus ei subtrahat Charitatem. Similiter etiam nec per peccatum veniale, Charitas diminui potest, neque effective, neque meritorie: effective quidem, non: quia ad ipsam Charitatem non attingit. Charitas enim est circa finem ultimum: veniale autem peccatum, est quaedam inordinatio, circa ea quae sunt ad finem. Non autem diminuitur amor finis ex hoc quod aliquis inordinationem aliquam committit circa ea quae sunt ad finem: sicut aliquando contingit, quod aliqui infirmi

infirmi multum amantes sanitatem, inordinate tamen se habent circa diætæ observationem: sicut etiam in speculativis scientiis falsæ opiniones circa ea quæ deducuntur ex principiis, non diminuunt certitudinem principiorum. Similiter etiam veniale peccatum, non meretur diminutionem charitatis. Cum enim aliquis delinquit in minori, non meretur detrimentum pati in majori. Deus enim non plus se avertit ab homine, quam homo avertat se ab ipso. Unde qui inordinate se habet circa ea quæ sunt ad finem, non meretur detrimentum pati in charitate, per quam ordinatur ad ultimum finem. Unde consequens est, quod charitas nullo modo diminui possit directe loquendo. Potest tamen indirecte dici diminutio charitatis dispositio ad corruptionem ipsius quæ fit, vel per peccata venialia, vel etiam per cessationem ab exercitio operum charitatis. =

Ad primum ergo dicendum, quod contraria sunt circa idem, quando subiectum æqualiter se habet ad utrumque contrariorum. Sed charitas non eodem modo se habet ad augmentum, et diminutionem. Potest enim habere causam minuentem: sicut dictum est. Unde ratio non sequitur. =

Ad secundum dicendum, quod duplex est cupiditas. Una quidem qua finis in creaturis constituitur: et hæc mortificat totaliter charitatem, cum sit venenum ipsius. Et Aug. dicit ibidem, et hoc facit, quod Deus minus ametur, scilicet, quam debet amari ex charitate, non quidem charitatem diminuendo, sed eam totaliter tollendo: et sic intelligendum est quod dicitur, minus te amat, qui tecum aliquid amat. Subditur enim, quod non propter te amat. Quod non contingit in peccato veniali, sed solum in mortali. Quod enim amatur in peccato veniali, propter Deum amatur habitu, etsi non actu. Est autem alia cupiditas venialis peccati, quæ non semper diminuitur per charitatem, sed tamen talis cupiditas charitatem diminuere non potest ratione iam dicta. =

Ad tertium dicendum, quod in infusione charitatis requiritur motus liberi arbitrii, sicut supra dictum est. Et ideo illud quod diminuit intensionem liberi arbitrii, dispositive operatur ad hoc, quod charitas infundenda sit minor. Sed ad conservationem charitatis, non requiritur motus liberi arbitrii; alioquin non remaneret in dormientibus. Unde per impedimentum intensionis motus liberi arbitrii, non diminuitur charitas. =

Conclusio est negativa, quæ tantum de lege ordinaria est intelligenda: de potentia absoluta negari non potest, minui posse, sicut augetur. Pro intelligentia huius sit. =

~ Disputat. 41. de Charitatis diminutione, aut amissione. ~

Sectio 1a. Utrum peccata venialia charitatem diminuant. ~

Peccatum mortale, non minuit, sed destruit, atque adeo tantum de venialibus potest esse difficultas. Prima sententia affirmat citatur pro ea Glossa in capite tales sunt de penitentia dist. 1a. et cap. de quotidianis de penitentia. dist. 3. Sed talis sententia non extat in prædictis locis. Citatur etiam Antisiodorensis lib. 3. sum. tract. 1o. cap. 5. sed immerito. quia tract. 6. cap. 6. satis se explicat pro parte opposita. Eam tamen ut probabilem defendit Vic

toria

toria 2p. reflect. de augmento Charitatis. Tenet expresse Dionis. Carthus. in 1º. dist. 17. q. 9.

Probari potest 1º. Quia in sacra scriptura, et Patribus grauiter repraesenditur negligentia in vitandis venialibus, et nimis periculosa dicitur, quia efficit ut paulatim homo a charitate decidat. Dicitur enim Ecclesiast. 19. qui spernit modica, paulatim decidet. S. Gregor. 3p. Pastor. admonit. 34. comparat multiplicationem venialium, multitudini arenarum, et guttarum aquae, quae licet sigillatim minutae sint, possunt tamen collectae conficere cumulum, quo nauis demergatur. S. Aug. lib. 50. homiliar. homilia ultima. quid, inquit, interest ad naufragium, utrum uno grandi fluctu, nauis operiatur, et obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentina et per negligentiam derelicta, impleat nauem, atque summergat. D. Bern. serm. 1º. de conuersione Pauli. et alij Patres eodem modo loquuntur. Et item communis Patrum regula; quod in via Dei, non progredi, est regredi. quod tantum ratione venialium verificatur quae eatenus progressum impediunt, quatenus minuendo Charitatem causant regressum. Alioquin non potest esse verum, quod non progredi est formaliter regredi. sed stare. Ait Leo Papa. serm. 8. de passione. Qui non proficit, deficit, et qui nihil adquirit, non nihil perdit. Sed haec, et similia non urgent. Quia ut docet optime S. Th. 1ª2ª. q. 88. art. 4. ad 1. tantum significant venialia disponere ad mortalia: nam inualescente consuetudine, non refrenandi concupiscentiam in paruulis delectabilibus, homo ad maiora inclinatur paulatim, donec ad mortalia praecipitatur quibus gratiam amittit. Ad regulam illam respondetur. Qui peccat venialiter, eatenus regreditur, quatenus indispositionem ad profectum causat, quae indispositio non consistit in diminutione habitus, sed in praua inclinatione ad obiectum divinum, qua distrahitur, solo omisso profectu, nisi sit moralis, non est regressus. =

Secundo haec opinio probatur. Nam quilibet potest multiplicationem venialium sentire promptum ad charitatis, et aliarum virtutum exercitia experitur. signum ergo est habitum, diminutum esse. Tertio: omnes fatentur, peccata venialia feruorem charitatis minuere: ergo minuunt intensionem habitus. Patet consequentia. Si habitus maneret eque intensus, cum eodem feruore, et conatu operaretur. Quarto. Si quilibet actus bonus, quamuis leuis auget habitum charitatis, cur non quilibet actus malus diminuet, cum contrariorum sit eadem ratio? Denique probatur a simili de amicitia humana quae leuibus iniurijs minuitur, et tepescit, non solum quantum ad actum, sed etiam quantum ad habitualem affectum: ergo et amicitia diuina: praesertim cum negari non possit, peccata venialia esse offensas contra Deum, oppositaque diuinae voluntati, cui ex charitate conformari tenemur: esseque grauiores iniurijs hominibus illatis, et in magno numero, quod si contingeret in amicitia, sufficiens esset illatam rescindere. =

Sed ex hoc infero. ex amore hominum, qui valde imperfectus est, et commoditati propriae innitens, nullum argumentum accipi posse ad amorem Dei, qui infinitus est, et valde dissimulans peccata hominum: quia Charitas, patiens est, benigna est. ut ait Paul. 1ª. Cor. 13. et operit multitudinem peccatorum. ut dicitur 1ª. Petri 4º. =

Doctrina valde notanda ad quaestionis resolutionem.

Praeterea, est valde notandum discrimen; quod est inter amicitiam diuinam, et humanam: haec enim est pure moralis, consistens in amore reciproco, mutuaque acceptione

ne, et gratitudine vnius amici respectu alterius, quæ moraliter in eis permanet per modum ha=
bitus, et hæc diminuitur displicentijs, quæ ex iniurijs leuibus alterius resultant: quia displicentia
et complacentia directe opponuntur. Amicitia vero diuina est partim phisica, et partim moralis:
est enim habitus gratiæ et charitatis prout connotat amorem reciprocum, mutuamque gratitu=
dinem, inter Deum, et hominem, tam actualem, quam moraliter manentem per modum
habitus. Sic dixi materia de iustificatione gratiam iustificantem esse formam partim phisi=
cam, et partim moralem. Est namque phisice renouans interiorem hominem, participemque
constituens hominem diuinæ naturæ, ac phisice proportionatum, et eleuatum ad operationes
diuinas exercendas, gloriamque suo tempore obtinendam. Est item prout connotat condo=
nationem Dei extrinsecam, moraliter maculam peccati expelens, et prout connotat volunta=
tis diuinæ adoptionem, rationem filij adoptiui complens, et prout amorem reciprocum
dictum connotat, amicitiam diuinam perficiens. Hinc dixi sectione ultima disp. præcedenti
sanctitatem, diuinamque amicitiam, aut unionem cum Deo, non solum dicere entitatem
phisicam habitus gratiæ, sed etiam gratitudinem qua homo fit acceptus Deo. diuinamque
complacentiam in ordine ad se excitat. quæ gratitudo potest augeri, aut minui ultra men=
suram gratiæ ex alijs capitibus: nam ex dignitate personæ Christi eiusque Matris sanctissimæ
aucta fuit incomparabiliter supra intensionem phisicam gratiæ ipsorum, ut loco citato
dixi, ita ut eadem gratia æque intensa, in alio subiecto non redderet illud æque gratum
et acceptum Deo. E contra etiam, si illa qualitas gratiæ miraculose constitueretur in subiec=
to peccato mortali infecto, non faceret illud gratum. =

Resoluitur iam controuersia.

Ex quo iam facile dissoluitur difficultas, et fundamentum aduersariæ partis
distinguendo de intensione pure phisica gratiæ, et de sanctitate, et gratitudine moraliter re=
sultante tam ex ipsa, quam ex operibus, ex dignitate, et puritate personæ alijsque causis. Hæc posteri=
or reuera minuitur, culpis venialibus, redditque hominem minus gratum, et acceptum Deo, et
quantum ad illam tenet optime exemplum de amicitia humana, nec potest negari Deo, val=
de displicere culpas veniales, et ingratitudines maxime deliberatas, sæpeque grauiter pu=
nire illas, sæpius que negare uberiora auxilia propter illas, quibus tandem occasionatur æter=
næ damnationis ruina: Nec potest intelligi, quod maneat eadem gratitudo, et complacentia
ubi tanta de nouo additur displicentia, eo quod homo antea feruens in Dei obsequium, oratio=
nem, et virtutum exercitia, et postea tepescens, et hæc omnia omittens quamuis absque morta=
li culpa sit æque acceptus, et placens Deo. =

At si sermo sit de qualitate, et intensione phisica gratiæ, et charitatis incunctan=
ter cum D. Th. omnibusque fere Theologis, dicendum est charitatem de lege ordinaria nun=
quam diminui, quantumuis multiplicentur, venialia peccata. Ratio a priori quam affert
S. Th. in littera, sic formari potest. Peccata venialia, non diminuunt charitatem phisice, nec
demeritorie: ergo nullo modo. Antecedens quoad primam partem probatur. Quia peccatum ve=
niale non opponitur phisice gratiæ, aut charitati, quin potius habens culpas veniales potest am=
plius crescere in gratia. Neque est inimicitia Dei, aut auersio a Deo ultimo fine: hoc enim solum
dicitur de mortali peccato: ergo peccatum veniale, non habet, unde phisice minuat charitatem. =

Confirmat

Confirmat D. Th. urgentius. Quia Charitas convertit hominem ad ultimum finem peccatum veniale, non avertit illum ab ultimo fine, sed tantum est inordinatio quædam circa media, quæ non minuit conversionem ad ultimum finem, sicut nec vehemens desiderium sanitatis minuitur in infirmo per hoc quod inordinate se habeat circa diætæ observationem; nec in speculativis scientijs opiniones falso deductæ ex primis principijs diminuunt eorum certitudinem: ergo nulla est oppositio physica, aut incompatibilitas inter peccatum veniale et habitum Charitatis. Quæ ratio impugnari solet ab aliquibus probantibus, quod circa ultimum finem, potest quis peccare venialiter, et circa media mortaliter. Quod D. Th. non negat, sed in alio stanchori sensu in materia de peccatis declarato, per aversionem ab ultimo fine intelligit eam quæ propria est peccati mortalis, quatenus divinam amicitiam rescindit, et anteponit ipsi creaturam, quo pacto conversionem huic oppositam tribuit soli gratiæ, et charitati, quatenus hominem constituunt amicum Dei, eius que odium a Deo removent, cum tamen sint multi actus naturales, et supernaturales convertentes ad ultimum finem, absque eo quod amicitiam cum Deo assequantur.

Quod vero, nec demeritorie diminuat, quæ erat secunda pars antecedentis probat etiam efficaciter D. Th. Quia diminutio charitatis est pœna gravis, et excedens culpas veniales, siquidem tollit ius ad maiorem gloriam, et privat parte aliqua beatitudinis essentialis: ergo Deus qui non punit ultra condignum, non diminuit dictum habitum: alioquin sola quantitate pœna peccati mortalis, a pœna peccati venialis, et non essentialiter ex suo genere, quod est absurdum.

A posteriori etiam probatur. Quia si peccata venialia, minuerent directe Charitatem, multiplicata penitus eam a subiecto expellerent, consequenter que subiectum gratia et beatitudine privarent absque mortali culpa. Antecedens a simili patet etiam de alijs qualitatibus.

Dices, iam peccatum illud esse veniale ~~peccatum~~ ratione nocumenti, fieret mortale. Sit ita, sed ex hoc sequeretur aliud maius absurdum, quod scilicet iustus quilibet peccato veniali peccaret mortaliter, quia cum ignoret quantitatem gratiæ, quam habet, et alias venialia sæpius multiplicentur. Hoc tamen est contra ordinem naturalem, in quo expellens ceteros gradus, expellit ultimum, simulque perijt cum substantia formæ. In ordine etiam morali, seu demeritorio, si peccatum veniale demeretur gradus perfectiores, a fortiori gradum imperfectiorem, qualis est primus. Quod enim cum tota substantia, et si maior pœna sit, per accidens est, sicut si aliquis debeat decem, tenetur ex iustitia solvere decem, etiam si ex paupertate sua, sit illi maior pœna, et detrimentum, quam habenti mille expoliari viginti.

Oppositis Argumentis occurritur.

Ad cetera Argumenta supra facta, facilis est solutio. Ad secundum respondeo. Minorem illam promptitudinem, quam quis ex venialibus experitur, non procedit ex diminutione habitus, sed ex impedimentis extrinsecis, distractionibus que voluntatis ad alia obiecta. Sic cum gratia valde intensa, qui vitijs, aut tentationibus premitur, magnas patitur difficultates, quia gratia, non aufert immediate habitus vitiosos, nisi medio exercitio oppositarum virtutum. Ex quo patet ad 3um fervor Charitatis minuitur, et tepescit actibus

actibus distrahentibus mentem a Dei amore, ad obiecta creata, licet maneat eadem intensio in habitu.

Ad quintum Respondetur. Assignando discrimen inter opus hominis iusti ad merendum, et inter opus permissorium illius. habet enim iustus gratiam, quae supernaturaliter dignificat eius opera, et habent illa ius ad gloriam, quando in ordine ad illam, et in Dei obsequium operatur. Peccatum vero veniale ergo quod sit hominis iusti, non elevatur ad altiorem poenam, immo potius econtra; nam Patris viscera valde dissimulant filiorum defectus, et ubi est vera amicitia velatis oculis respiciuntur amicorum culpa, ita ut levior semper appareat. Praesertim cum venialia maiori ex parte, non tam ex malitia, quam ex indeliberatione, aut ignorantia aut naturae fragilitate procedant, inferent limitationem magnam in amore, et pietate divina, si ita graviter ac severe puniventur, potius enim commendatur valde eius benignitas in sacris litteris, quae ita compatitur nostris miseriis, praecipue Psal. 102. quomodo miseretur Pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum, recordatus est quoniam pulvis sumus &c. =

~ Articul. 11. Utrum charitas, semel habita possit amitti. ~

Ad undecimum sic proceditur. videtur quod charitas semel habita non possit amitti. si enim amittitur, non amittitur nisi propter peccatum. sed ille qui habet charitatem, non potest peccare. dicitur enim 1. Joann. 3. omnis enim qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quia semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. Charitatem autem non habent, nisi filii Dei. Ipsa enim est, quae distinguit inter filios Regni, et filios perditionis. ut Aug. dicit in 15. de Trinitate. ergo ille qui habet charitatem, non potest eam amittere =

2.º Praeterea, Aug. dicit in 8. de Trinitate. quod dilectio si non est vera, dilectio dicenda non est. sed sicut ipse dicit in Epistola ad Iulianum comitem. charitas quae deficere potest numquam vera fuit. ergo neque charitas fuit, si ergo charitas semel habeatur, numquam amittitur. =

3.º Praeterea, Greg. dicit in homil. Pent. quod amor Dei magna operatur si est, si desinit operari, charitas non est, sed nullus magna operando amittit charitatem: ergo si charitas inest, amitti non potest. =

4. Praeterea, liberum arbitrium non inclinatur ad peccatum nisi per aliquod motivum ad peccandum, sed charitas excludit omnia motiva ad peccandum, et amorem sui et cupiditatem, et quidquid aliud huiusmodi est. ergo charitas amitti non potest. =

Sed contra est, quod dicitur Apocal. 2. Habeo adversum te pauca, quod primam charitatem reliquisti. =

Respondeo. Dicendum. quod per charitatem spiritus sanctus in nobis habitat, ut ex supradictis patet. Tripliciter ergo possumus considerare charitatem. uno modo ex parte spiritus sancti moventis animam ad diligendum Deum, et ex parte charitatis impeccabilitatem habet ex virtute spiritus sancti, qui infallibiliter operatur quodcumque voluerit. unde impossibile est, haec duo simul esse vera; quod spiritus sanctus velit aliquem movere ad actum charitatis, et quod ipse charitatem amittat peccando. Nam donum perseverantiae computatur inter beneficia Dei, quibus certissime liberantur, ut Aug. dicit in libro de praedestinatione sanctorum.

Alio

Alio modo, potest considerari charitas secundum propriam rationem; et sic charitas non potest aliquid nisi quod pertinet ad charitatis rationem. Unde charitas nullo modo potest peccare, sicut nec calor potest infrigidare; et sicut etiam iniustitia non potest bonum facere ut Aug. dicit in lib. de Sermone Domini in Monte. Tertio modo potest considerari charitas ex parte subiecti, quod est vertibile secundum arbitrii libertatem. Potest autem attendi comparatio charitatis ad hoc subiectum, et secundum universalem rationem qua comparatur forma ad materiam, et secundum specialem rationem, qua comparatur habitus ad potentiam. Est autem de ratione formae, quod sit in subiecto amissibiliter, quando non replet totam potentialitatem materiae; sicut patet in formis generabilium, et corruptibilium, quia materia horum, sic recipit unam formam, quod remanet in ea potentia ad aliam formam, quasi non repleta tota materiae potentialitate per unam formam. Et ideo una forma potest amitti per acceptionem alterius, sed forma corporis c[oe]lestis, quia replet totam materiae potentialitatem rationalis mentis, inquantum scilicet omnis actualis motus eius fertur in Deum modo quando actu in Deum non fertur, potest aliquid occurrere, per quod charitas amittatur. Habitui vero proprium est, ut inclinet potentiam ad agendum: quod convenit habitui in quantum facit id videri bonum, quod ei convenit, malum autem quod ei repugnat. Sicut enim gustus diiudicat sapores secundum suam dispositionem, ita mens hominis diiudicat de aliquo faciendo secundum suam habitualem dispositionem. Unde, et Philosophus dicit in 3. Ethicorum quod qualis unusquisque est, talis finis videtur ei: ibi ergo charitas inamissibiliter habetur, ubi id quod convenit charitati, non potest videri nisi bonum, scilicet in patria. Ubi Deus videtur per essentiam, quae est ipsa essentia bonitatis. Et ideo charitas patriae amitti non potest. Charitas autem viae in cuius statu non videtur ipsa essentia divinae bonitatis potest amitti. =

Ad primum ergo dicendum quod authoritas illa loquitur secundum potestatem Spiritus sancti: cuius conservatione a peccato immunes redduntur, quos ipse movet, quantum ipse voluerit. =

Ad secundum dicendum quod charitas quae deficere potest, ex ipsa ratione charitatis, vera charitas non erit. Hoc enim esset, si hoc in suo amore haberet, quod ad tempus amaret, et postea amare desineret, quod non esset verae dilectionis, sed si charitas amittatur ex mutabilitate subiecti, contra propositum charitatis, quod in suo actu includitur, hoc non repugnat veritati charitatis. =

Ad 3um dicendum quod amor Dei semper magna operatur in proposito: quod pertinet ad rationem charitatis, non tamen semper magna operatur in actu propter conditionem subiecti. =

Ad 4um dicendum quod charitas secundum rationem sui actus, excludit omne motivum ad peccandum. Sed quandoque contingit quod charitas actu non agit: et tunc potest intervenire aliquod motivum ad peccandum, cui si consentiatur charitas amittitur. =

Sectio 2a super hunc Articulum

Conclusio est affirmativa, et de fide: contra quam tres errores cavere oportet. Pri-

mus

Primus fuit Joviniani, qui ut refert Hieronym. lib. 2 Contra ipsum et Aug. lib. de haeres. haeres. 84. dicebat, veram Charitatem numquam deficere. Probatur ex illo Joann. 3. qui natus est ex Deo non peccat, nec peccare potest, quia semen ipsius manet in eo. Et Joann. 4. qui biberit ex aqua quam ego dabo, non sitiet in aeternum. Cant. 8. Aquae multae non potuerunt extinguere charitatem. 1. Cor. 13. Charitas numquam excidit. Et ad Rom. 8. certus sum, quia neque mors neque vita, neque creatura alia, poterit nos separare a charitate Dei. Apud Patres etiam inveniuntur propositiones istae: Charitas quae deficere potuit, non fuit vera charitas. Et isti qui post poenitentiam relabuntur, non egit veram poenitentiam. =

Secundus error fuit Begardorum, et Beguinarum, ut refertur in Clementina ad nostrum de haeresibus, qui saltem charitatem perfectam dicebant, posse pervenire ad statum, in quo tribuat impeccabilitatem, et amitti non possit, id quod suae sectae professoribus suae sectae concessum. =

Tertius error fuit quorundam ex discipulis Lutheri, qui concedebant posse quidem gratiam amitti per peccatum: caeterum infallibiliter reparatur, et recuperatur postea, ~~[illegible]~~ quod ideo asserebant, ut defenderent solos praedestinatos esse iustos. =

Contra hos omnes errores procedit conclusio articuli, atque definita Concil. Vien. sub Clement. quinto, et novissime in Trident. sess. 6. cap. 12. et 15. et can. 23. Probatur ex cap. 18. Ezechiel. si averterit se iustus a iustitia sua. Apocalyp. 2. quia charitatem primam reliquisti. Ad Rom. 11. qui stat, videat ne cadat. Ad Galat. 5. evacuati estis a Christo, a gratia excidistis. =

Ratio est, quia status iustitiae in via non tollit mobilitatem, et indifferentiam liberi arbitrii, nec excludit propensionem, quam alias homo habet ad bona sensibilia, et contraria rectae rationi, quinimo experitur maximam passionum luctam: ergo est expositus multiplici peccandi periculo. Propter quod ait S. Paul. 2. Corint. 4. Habemus thesaurum in vasis fictilibus, ut nostram fragilitatem ad conservandam gratiam designaret. Propter hoc etiam tot media, et sacramenta provisa sunt, non solum ad praeservandum hominem a peccatis, sed ad reparandum illum post lapsum, et gratiam amissam, quae superflua essent. Ad quid enim poenitentiae sacramentum, si gratia baptismalis amitti non posset. =

Dices, tunc aliqua forma est in subiecto inamissibiliter, quando non replet totam potentialitatem materiae, ut patet in formis incorruptibilibus, et tunc est inamissibilis quando explet totam subiecti capacitatem, ut constat in forma coeli. Sed charitas respicit summum bonum adaequate satians appetitum, et explens totam potentialitatem illius; ergo inhaeret illi inamissibiliter. = Respondetur imo ex hoc probat principaliter D. Th. conclusionem suam; nam charitas viae, licet habeat pro obiecto summum bonum adaequate satians, quantum est ex parte sui, omnem appetitum, defectu tamen sufficientis applicationis, quia proponitur obscure per fidem, non explet, et determinat omnino voluntatem, et ideo amitti potest, per inordinatam conversionem ad alia bona sensibilia, solum in patria est inamissibilis charitas, ubi summa Dei bonitas, per claram visionem adaequate applicatur, et satiat appetitum. =

Ab hac regula non excipi etiam perfectos. Constat tunc ex sacra scriptura et Patribus, quae universaliter + loquuntur. Tum etiam exemplis Luciferi, et Angelorum, Adami, Beati Petri, et aliorum in sanctitate insignium, qui tamen graviter ceciderunt. Non nego speciale privilegium, quo aliquis a Deo in gratia confirmari potest, rarum tamen est. =

Denique, quod non ita iustorum charitas deficiat, ut necessario reparanda sit,

Constat

Constat exemplo Iudae, Saulis, et innumeris alijs, quos libri, et Historiae authenticae referunt, qui ex maxima sanctitate turpiter ceciderunt, et ex hac vita misere ad aeternam mortem migrarunt. =

Iam ad authoritates Respondeo. Ad primum, communis, et vera expositio est quam adducit hic S. Th. scilicet, Charitatem, quantum est ex se, et ex vi suae inclinationis, et sui principij, quod est Spiritus Sanctus, peccare non posse, perpetuamque esse, atque adeo iustum in sensu composito, dum habet in se semen divinum, peccare non posse mortaliter. quia charitas essentialiter inclinat ad diligendum Deum super omnia. si tamen peccare contingat non ex defectu charitatis, sed liberi arbitrij nolentis uti charitate quam habet, hoc euenit. Patet hunc esse Apostoli sensum: quia contendit discrimen ostendere inter filios Dei, et filios Diaboli, ex ipsorum operibus, in hoc, inquit, manifesti sunt filij Dei, et filij Diaboli, qui facit peccatum, iam non est servus Dei, etiam si antea fuisset, dixerat ante, omnis qui in eo manet, non peccat, idest ex suppositione, quod libere in eo manere vult, et in hoc sensu paulo post, ait, neque peccare potest, quia semen Dei manet in eo. =

Idem reliqua testimonia significant, Charitatem scilicet quantum est ex se auferre sitim omnium creaturarum, nec posse vinci ab ullis tentationibus &c. si voluntas ea uti velit, illiusque motionem, et ductum sequi, sicque Apostol. charitate flagrans aiebat. quis nos separabit a charitate Christi? animi sui promptitudinem liberam ostendens, numquam deserendi illam, quia inueniebat omnia bona, pariter cum illa. =

Solum verba illa: Charitas numquam excidit, alia commentatores expositionem adhibent, scilicet in hoc differre charitatem, a fide, et spe: quod istae finiuntur cum statu viae, Charitas vero continuata, et manet in patria, ideoque numquam excidit, quia numquam finitur cum via, sed perseuerat in patria. Alias vero Patrum Loquutiones, Gratianus in decreto refert. dist. 2. c. Charitas, dicit, intelligendas esse de charitate imperfecta: At cum dicitur: Charitas quae potest deficere, non est vera charitas. sensus sit, non esse perfectam, vel intelligendae sunt, non in sensu absoluto, sed comparatiuo, ut ait, cap. ult. scilicet, quod sicut omnis creatura, dicitur vana, et corruptibilis respectu diuinae immutabilitatis, et scientia humana respectu diuinae sapientiae, stultitia dicitur. sic charitas perfecta respectu omnino perfectae et permanentis, dicatur non vera, sed fragilis. Vel denique, Loquuntur Patres de amore proprio commoditatis admixto, qui vera charitas non est, licet talis appareat, sed amor naturalis imperfectus, sub charitatis specie. =

Articul. 12. Utrum charitas amittatur per unum actum peccati mortalis.

Ad duodecimum sic proceditur. Videtur quod charitas non amittatur per unum actum peccati mortalis. Dicit enim Origenes in 1°. Periar. si aliquando satietas capit aliquem ex his, qui in summo perfectoque constiterit gradu, non arbitror quod ad summum quis euacuetur, aut decidat: sed paulatim ac etiam per partes eum decidere necesse est, sed homo decidit charitatem amittens: ergo charitas non amittitur, per unum actum solum peccati mortalis. =

2. Praeterea, Beda dicit in sexta de quaestione aliquem Petrum vidit inter Dominum non fidem fictam, non dilectionem aversam; sed cunctantem fuisse turbatam. Abundavit fletu, ubi non defecit affectus, affectus charitatis, laxit verba formidinis. Et ex hoc accepit Bern. quod dicit in Petro charitatem non fuisse extinctam, sed solum sopitam. sed Petrus negando Christum, peccavit mortaliter: ergo charitas non amittitur per unum actum peccati mortalis. =

3. Praeterea, charitas est fortior quam virtus acquisita, sed habitus virtutis acquisitae non tollitur per unum actum peccati contrarium: ergo multo minus charitas tollitur per unum actum peccati mortalis contrarium. =

4. Praeterea, charitas importat dilectionem Dei et proximi, sed aliquis committens aliquod peccatum mortale, retinet dilectionem Dei et proximi ut videtur. Inordinatio enim affectionis circa ea quae sunt ad finem, non tollit amorem finis ut supra dictum est: ergo potest remanere charitas ad Deum, existente peccato mortali per inordinatam affectionem circa aliquod temporale bonum. =

5. Praeterea, virtutis theologicae obiectum est ultimus finis, sed aliae virtutes theologicae, scilicet fides et spes, non excluduntur per unum actum peccati mortalis, immo remanent informes: ergo etiam charitas potest remanere informis, etiam uno peccato mortali perpetrato. =

Sed contra est. Per peccatum mortale fit homo dignus morte aeterna, secundum illud Roman. 6. Stipendia peccati mors. sed quilibet habens charitatem, habet meritum vitae aeternae. Dicitur enim Joann. 14. Si quis diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum. In qua quidem manifestatione vita aeterna consistit. secundum illud Joann. 17. Haec est vita aeterna, ut cognoscant te Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. Nullus autem potest esse simul dignus vita aeterna, et morte aeterna: ergo impossibile est, quod aliquis habeat charitatem, cum peccato mortali. Tollitur ergo charitas, per unum actum peccati mortalis. =

Respondeo dicendum. quod unum contrarium, per aliud contrarium superveniens tollitur. quilibet autem actus peccati mortalis, contrariatur charitati secundum propriam rationem, quae consistit in hoc quod Deus diligatur super omnia, et quod homo totaliter illi se subjiciat, omnia sua referendo in ipsum. Est ergo de ratione charitatis, ut sic diligat Deum quod in omnibus velit se ei subjicere, et praeceptorum eius regulam in omnibus sequi. quidquid enim contrariatur praeceptis eius, manifeste contrariatur charitati. Unde de se habet, quod charitatem excludere possit. Et si quidem charitas esset habitus acquisitus ex virtute subiecti dependens, non oporteret, quod statim per unum actum contrarium tolleretur. Actus enim non directe contrariatur habitui, sed actui. Continuatio autem habitus in subiecto non requirit continuitatem actus. Unde ex superveniente contrario actu, non statim habitus acquisitus excluditur, sed charitas cum sit habitus infusus, dependet ex actione Dei infundentis, qui sic se habet in infusione et conservatione charitatis, sicut sol in illuminatione aeris, ut dictum est. Et ideo sicut lumen statim cessaret esse in aere, per hoc quod obstaculum poneretur illuminationi solis; ita etiam charitas statim deficit esse in anima, per hoc quod aliquod obstaculum ponitur influentiae charitatis a Deo in animam. Manifestum est autem quod per quodlibet mortale peccatum, quod divinis praeceptis contrariatur, ponitur praedictae infusioni obstaculum, quia ex hoc ipso, quod homo eligendo praefert peccatum divinae amicitiae, quae requirit ut Dei voluntatem sequamur, consequens est ut statim, per unum actum peccati mortalis habitus charita-

tis

tis perdatur. Unde, et Aug. dicit 8. super Genes. ad litteram, quod homo Deo sibi praesente illuminatur, absente autem continuo tenebratur, a quo non locorum intervallis, sed voluntatis aversione discedit. =

Ad 1um. ergo dicendum, quod verbum Origenis, potest uno modo sic intelligi, quod homo qui est in statu perfecto, non subito procedit in actum peccati mortalis, sed ad hoc disponitur per aliquam negligentiam praecedentem. Unde et peccata venialia dicuntur esse dispositiones ad mortalia, sicut supra dictum est. Sed tamen per unum actum peccati mortalis, si eum commiserit, decidit charitate amissa. Sed quia ipse subdit, si aliquis ex levi lapsus acciderit et cito resipiscat, non penitus evacuari, et decidere, quod sic decidit, id est ex malitia peccet, quod non statim in viro perfecto a principio contingit. =

Ad 2um. dicendum, quod charitas amittitur dupliciter. Uno modo directe, per actualem contemptum: et hoc modo Petrus charitatem non amisit. Alio modo indirecte, quando committitur aliquid contrarium charitati propter aliquam passionem concupiscentiae, vel timoris, et hoc modo Petrus contra charitatem faciens, charitatem amisit, sed eam cito recuperavit. =

Ad 3um. patet responsio ex dictis. =

Ad 4um. dicendum, quod non quaelibet inordinatio affectionis, quae est circa ea quae sunt ad finem, id est circa bona creata, constituit peccatum mortale, sed solum quando talis est inordinatio, quae repugnat divinae voluntati, et haec inordinatio directe contrariatur charitati ut dictum est. =

Ad quintum dicendum, quod charitas importat unionem quandam ad Deum non autem fides, nec spes. Omne autem peccatum consistit in aversione a Deo, ut supra dictum est, et ideo omne peccatum mortale contrariatur charitati, non autem omne peccatum mortale contrariatur fidei, vel spei, sed quaedam determinata peccata, per quae habitus fidei, vel spei tollitur; sicut et per omne peccatum mortale habitus charitatis tollitur. Unde patet, quod charitas non potest remanere informis cum sit ultima forma virtutum ex hoc quod respicit Deum in ratione finis ultimi, ut dictum est. =

~ Expositio litterae. ~

Conclusio est affirmativa, et de fide. Patet ex Trident. sess. 6. can. 27. et ratio 2o. qui in uno delinquit, factus est omnium reus. Ratio sumitur ex ipsa peccati mortalis natura, quae est gravis Dei offensa, amicitiam divinam dissolvens. Ut patet in amicitia humana: ergo quolibet peccato mortali charitas, sicut et gratia amittitur. Eadem est etiam quae semper ratio. = Confirmatur hoc D. Th. hic et 1a. 2ae. q. 71. art. 4. ex discrimine quod est inter habitus infusos, et acquisitos: si enim cum generentur ex pluribus actibus, ita etiam paulatim destruuntur pluribus contrariorum exercitiis. At habitus infusi, qui non ex nobis, sed ex infusione divina, intuitu tamen nostrae dispositionis generantur, sicut ex unica dispositione absolute infunduntur: sic unico actu contrario removentur. Praesertim in gratia et charitate est specialis ratio quia constituunt hominem amicum Dei, non tantum radicaliter, sed etiam actualiter ut materia de iustificatione explico, amicitia autem inimicitia, et quavis iniuria gravi, qualis est peccatum mortale destruitur. =

Hic tangit D. Th. quaestionem de modo oppositionis, et expulsionis, et incompatibilitatis peccati cum charitate, quae licet 1a. 2ae. ex professo discutiatur respectu gratiae, hic

etiam

etiam suum proprium locum habent, cum sit eadem ratio de Charitate. Urgebitur tamen illa resoluam. =

Sectio 3a. An peccato mortali, phisice, vel moraliter expellatur Charitas.

Conveniunt omnes Theologi moraliter, ac demeritorie gratiam, et Charitatem per peccatum expelli, quia per gravem Dei offensam indignum se hoc modo facit Divina amicitia et quod deseratur a Deo, qui Deum deserit. Difficultas est, an moraliter tantum, vel etiam phisice, seu ex natura rei. =

Lorcha disp. 22. inter peccatum actuale, et Charitatem tantum esse moralem oppositionem, non phisicam, seu ex natura rei, maculam tamen seu habituale peccatum tantam oppositionem cum gratia, et Charitate ex natura rei dicere, ut etiam de potentia absoluta, simul esse repugnent. Primum probat: quia inter actum peccati, et habitum gratiæ, aut Charitatis, non est oppositio contraria, nec privativa: ergo nulla. Privativa non est, etiamsi peccatum in privatione consisteret, quia eius privatio, non est habitualis gratiæ, sed actualis rectitudinis. Neque est contraria, quia actus non contrariatur habitui, nec est in eodem genere etiam remoto, cum peccatum sit ordinis naturalis. Secundum probat, quia macula peccati consistit in privatione gratiæ, privatio autem et forma opposita opponuntur ex natura rei, repugnatque simul de potentia absoluta =

Peccati macula minime in privatione gratiæ Consistit.

Utrumque tamen assertum, impugnavi satis 1a. U. Nunc urgebitur, Dico 1o. Peccati maculam, non posse in privatione habitualis gratiæ consistere. Nam peccati macula est vera culpa, et voluntas moraliter permanens ex aduersatiuo per modum habitus, privatio gratiæ est involuntaria, tantum habens rationem pœnæ: non potest ergo unum per aliud constitui: quia sunt rationes valde diversæ voluntarium, et involuntarium. =

Confirmatur. Quia si Deus hominem non elevasset ad gratiam, posset eadem specie et numero peccata committere quæ nunc, manerentque in eo ipsorum maculæ absque privatione, quia tunc non esset debita: ergo modo eædem maculæ resultant a tali privatione formaliter diversæ. =

Respondet, privationem gratiæ, prout est a Deo, habere rationem pœnæ, et prout connotat actum præteritum non retractatum, habere rationem voluntarii, et culpæ. Sed sic omnis pœna diceretur habituale peccatum, quia omnis connotat culpam actualem, quod nemo dicet. Præterea, sæpe accidit, quod quis per attritionem actum præteritum, eiusque malitiam perfecte retractet, propositumque habeat, confitendi, et satisfaciendi, ubi primum possit, et nihilominus maneat in eo tam macula, quam privatio gratiæ donec de facto confiteatur, sed tunc talis privatio, iam non est voluntaria: ergo tantum habet rationem pœnæ. =

Denique ut alia omittam. Primaria ratio peccati, non potest consistere in privatione

gratiæ

gratiæ etiam culpabili, et voluntaria, hæc enim consequenter se habet, quatenus Deus offenditur etiam, quod quis se interimat spiritualiter, sicut corporaliter; consistit ergo in læsione iuris et honoris Divini, in qua ratio iniuriæ, et offensæ contra Deum consistit; moraliter que ex actu præterito resultat, et permanet per modum habitus dum non satisfit, aut dimittitur: ergo licet admittamus, privationem gratiæ prout voluntariam ad peccati maculam pertinere, non ex hoc sequitur, quod primario in illa consistat, sed potius est ratio valde accidentaria, et accessoria respectu illius, qua honor, aut præceptum Divinum fuit violatum. v.g. respectu transgressionis castitatis, aut obedientiæ, aut fidei, nam eadem malitia, iniuria, et deformitas quæ erat in actu, et illum constituebat, principaliter manet moraliter per modum habitus. =

Etiam ex natura rei, opponitur gratiæ, et charitati actus peccati.

Dico 2.o loquendo de actu peccati, negari non potest, plusquam moraliter opponi. Docet expresse D. Th. in hoc art. dicens: Quilibet actus peccati mortalis, contrariatur charitati secundum propriam rationem, quæ consistit in hoc quod Deus diligatur super omnia &c. ubi per proprias naturas, et essentias opponi declarat. Et art. 10. ait: Peccatum mortale, non solum demeritorie, sed etiam effective charitatem corrumpit. Sic etiam Caietanus Reverendissimus noster Cardinal 1.a 2.æ q. 113. art. 2.o et alii Thomistæ. quod manifeste demonstro, advertendo quod præter illa quatuor immediate oppositorum genera, quæ Philosophi docent, sunt multa alia, quæ mediate, vel indirecte, vel quovis alio modo ex intrinsecis suis naturis, sint opposita, seu incompatibilia quis neget formam hominis, et formam cadaveris ex natura rei opponi inter se; et tamen nec sub eodem genere sunt, nec ab eodem subiecto, mutuo se expellunt, ut definitio rigorosa, et directæ contrarietatis postulat. Actus similiter virtutum infusarum v.g. temperantiæ indubitanter opponitur actui vitioso intemperantiæ, et nihilominus plusquam genere distant, siquidem ille supernaturalis est, et iste naturalis, imo, et minus quam naturalis: nam omne peccatum contra naturalem est, etiam ex intrinseca natura rei. in quo tertium exemplum assigno oppositionis accidentis cum substantia: calor etiam phisice opponitur substantiæ aquæ, quatenus illi violentiam infert, privans eam sua connaturali frigiditate. Similiter actus virtutis licet immediate, et directe actui vitioso contrarietur, mediate tamen etiam habitui vitioso contrariatur: et sic pariter actus vitii, habitui virtutis; quia ex suis naturis inclinant ad obiecta contraria, licet diversimode actus, et habitus, cuius indicium evidens est difficultas et resistentia, quam in se experitur, qui habet intemperantiam v.g. non tantum ad habitum virtutis oppositæ, sed etiam ad illius actus, antequam virtus opposita adquiratur, etiam si ~~alius~~ intemperatus actum vitiosum suum non exerceat, si actus ieiunandi, aut alterius abstinentiæ illi præcipiatur aut consulatur, statim resistit, pugnatque licet mediis suis actibus cum actibus virtutis. Propter quod dixi mediate saltem opponi. =

Ex hoc infero, quam mala sit consequentia fundamenti 3.æ: peccatum non opponitur habitui gratiæ, aut charitatis privative aut contrarie, quia non sunt sub eodem genere, nec actus habitui potest esse contrarius: ergo tantum moraliter opponuntur

tur

hic: eodem modo probares formam hominis, et cadaveris, aquam, et calorem &c. et tantum oppositionem moralem habere, quod est ridiculum. Sicut ergo est multiplex alius modus oppositionis ex natura rei propter contrarietatem strictam, et philosophicam in exemplis dictis, sic inter actum peccati, et habitum charitatis et gratiae, negari non potest saltem mediata oppositio. Nam ut probat S. Th. in hoc art. charitatem respiciunt ergo suo modo objecta contraria, et perinde ex intrinseca natura sui habitudines oppositas dicunt. Quod autem gratia per modum radicis, charitas per modum habitus operatur, et peccatum per modum actus, habitudines istas importent, solum excludit immediatam, et strictam contrarietatem, non oppositionem methaphisicam quae satis patet, etiam inter ea quae habent inclinationes ad opposita, quod idem est, ac habere inclinationes oppositas. =

Confirmatur: quia sicut peccatum etiam ex sua phisica entitate, aut privatione rectitudinis est, contra naturam rationalem, quia est contra rationem, ad quam talis natura essentialiter inclinatur: sic tale peccatum est vere, et realiter contra charitatem, et gratiam; quia est contra objectum, et actus, ad quae illae essentialem inclinationem, et habitudinem dicunt. =

Assertio 3a. de oppositione habitualis peccati cum Gratia.

Quod attinet, ad peccati maculam, ex actu praeterito relictam.

Dico 3o. tantum moraliter gratiae opponi, quoad primariam rationem iniuriae, seu aversionis a Dei lege, in qua potissimum consistit: secundario autem etiam privationem gratiae, et charitatis importat, sicque admittimus oppositionem habere privativam. Haec posterior pars constat, quia privatio pulchritudinis gratiae etiam maculat animam, et miseram relinquit, ut ex se constat, et a nemine negatur. =

Prior pars probatur. Quia macula peccati, quoad praecissam rationem iniuriae, seu malitiae, est tantum entitas moralis, moraliter, seu interpretative permanens: ergo non potest nisi tantum moraliter opponi, siquidem nullam phisicam entitatem dicit per quam phisice contrarietur. Neque valet respondere fundamentum talis maculae, quod est actus praeteritus connotatus ab ipsa phisice opponi: quia hoc tantum est dicere quod actus peccati praeteritus phisice oppositus fuit, quod iam probatum est, sed transacta iam tota entitate phisica huius actus, nihil remanet nisi moralis entitas, quae gratiae contraria esse possit. =

Haec autem oppositio est duplex: una est mediata, qualis est inter actum interpretativum, et habitum oppositum, quae est sicut inter dispositionem, et formam contrariam: nam omnis actus disponit ad suum proprium habitum, et est inde positive ad habitum oppositum; sic ergo habitus gratiae et charitatis, quatenus Dei dilectionem, et proprium actum, et dispositionem respiciunt, indispositionem, et deordinationem peccati abhorrent, non tantum phisicam, sed etiam moraliter, seu interpretative relictam. =

Altera oppositio est immediata, sicut inter duas formas moraliter incompossibiles, nam gratia, et charitas prout connotant divinam amicitiam, consequenterque

reciprocam

Dei proximi, et adoptionem voluntati Divinæ, directe incompossibiliter sunt peccato habituali, quod est inimicitia, et aversio a Deo; ideoque Regulariter mutuo se expellunt, gratia videlicet peccati Maculam, et peccatum gratiam præexistentem. =

Sectio 4ª. Utrum sit tanta inter Charitatem, et peccatum oppositio, ut nec potentia absoluta Compati possint.

Lorca. disp. 22. arctheria 6., et multi alij juniores hanc omnimodam incompossibilitatem docent docent, quia peccatum habituale, et charitas privative opponuntur, implicat autem Contradictionem formam, et eius privationem, simul in re Consistere. Sed iam præcedenti sectione demonstravi primariam huius Maculæ rationem in ratione offensæ permanentia quæ Morali actus præteriti (dum non retractatur, aut dimittitur) Consistere, privationem autem dictam, secundario, et Consequenter se habere. =

Quod amplius sic declaro: Nam in casu quod Deus, statuisset hominem aliquos in pura natura relinquere, hinc peccatum cuiuslibet, transactis actu relinqueret in anima Maculam, et reatum, dum talis offensa non satisfit, et Condonatur: ergo eadem Nunc Modo resultat, licet addita gratiæ privatione, quam etiam fatemur. Et sic controversia est de Macula illa Morali, quæ in illo statu puræ Naturæ, et in quolibet alio Necessario resultat, sive privatio gratiæ iungatur, sive Non. =

Certum proximo est, loquendo de gratia, Non solum inesse qualitatis physicæ, sed (ut aliqui asserunt) inesse gratiæ, quo modo extrinsecam Dei Condonationem Connotat, seu benevolentiam, quia Divina voluntas parcere statuit, adoptare, et amicitiam inire cum peccatore, hoc Modo incompossibilis est cum peccato Mortali etiam de potentia absoluta. Ratio est, quia cum voluntate efficaci Dei remittendi peccatum, non potest in re stare peccatum ipsum. Alias, vel Deus non haberet potestatem dimittendi peccata, vel cum voluntate Remittendi staret simul voluntas Non parcendi, quod utrumque est absurdum. =

Tota igitur difficultas est de præcisa entitate physica gratiæ, et Charitati: an possit Deus non dimisso peccato, gratiam simul cum illo Conservare. Aliqui asserunt, hoc Non repugnare Divinæ potentiæ, repugnare tamen Divinæ sapientiæ, et bonitati, quod hoc excellens gratiæ donum inimici, et impio Conferat, et quod imaginem et participationem suæ Naturæ in subiecto ita immundo, et indigno constituat. =

Statuitur non repugnantia, tam quam vera Sententia. =

Mihi semper opposita opinio, vera, et tenenda visa fuit, scilicet Non repugnare hanc simultatem absolutæ Dei potentiæ, Nec sapientiæ, aut bonitati. Docet illam

Autis

Reuerendissimus noster Cardinal. a 28. q. 113. cum multis alijs ex familia Thomistica.
Et Probatur. quia Nec propter indecentiam Moralem, Nec propter repugnantiam phi=sicam, vel ex natura rei hec simultas Charitatis cum peccato Deo repugnat. Prima pars
Probatur. quia plures rationes inuenire potuit Diuina Sapientia, ob quas id decens
et Conueniens fuit, ostensionem videlicet sui liberi, et absoluti dominij: Manifestationem
sue Misericordie, et amoris erga aliquos predestinatos ad Magnam Sanctitatem, et sue
gratie ostensionem specialiter electos quid enim inconueniret, quod in Beato Petro qui
ex fragilitate, et nimio timore Christum negauit, statim que ad eum reuersus, fleuit amare, Deus gratiam Conseruaret, pro breuissimo illo temporis spatio? sic que Multe alie si=militer Cause, et Congruentie adduci possent, preter eas quas ignoramus.=

Confirmatur. quia Non est indecens, sed valde Consuetum Diuine bonitati, in=dignis beneficia Conferre, presertim quando ex hoc illos vult dignos facere, et Magis
ad sui amorem, et gratificationem per petuam sue summe liberalitatis accendere. Mul=to enim Magis indecens apparet, quod Deus Nostram naturam Mortalem, et passibilem
assumeret, quod tot, ac tantis opprobrijs, flagellis, alapis, tormentis, ac tandem Morte
indignissima ab impijs hominibus afficitur: et quod in sacramento altaris ab indignis sacerdo=tibus sacrificetur, et sumatur, et ab Hereticis, et perfidis Iudeis tot irrisionibus, ac Contumelijs
iterum, atque iterum illudatur: et tamen hec omnia de facto sustinuit propter summum
erga nos amorem, et vt diuitias gratie sue nobis ostenderet et Communicaret: ergo
Multo Maiori ratione hoc Medium elligere potuit Diuina voluntas ad sue benignita=tis, et bonitatis Manifestationem.=

Quod autem Nec ex natura rei hec repugnantia excogitari possit, Probatur. quia
omnis oppositio, si sit precise Contraria, Non arguit repugnantiam de potentia absoluta;
sed Charitas aut gratia, et habituale peccatum, Non tantum Contrarie, et Mediate oppo=nuntur, vt sectione precedenti Monstratum est: ergo. Maior Probatur. ex Communi
sententia id asserente de quibuslibet Contrarijs, et quod de facto in inferno summus
frigor, et calor in eodem subiecto simul Conseruantur, et reuera nulla suum designari im=plicatio, si sit pura Contrarietas, Non supponens aut includens etiam Contradictoriam, vt
in actibus immanentibus oppositis Contingit; sed hanc Contradictionem Non inuolui in
Casu presenti patebit ex argumentorum solutione, quo etiam Minor probata Mane=bit.=

Denique Confirmatur. quia Deus potest supplere effectum secundarium Cuiui=bet forme, quid quid sit de primario, sed expulsio peccati est effectus tantum secundarium gra=tie, Neque ex illius entitate physica pure procedens, sed ex ordinatione extrinseca Dei per
illam Commutata, illique annexa, sed posita gratia, potest Deus Non velle Condonare pecca=tum, Cum sit actus liber Diuine voluntatis: ergo poterit simul Cum peccato gratia Conser=uari.=

Proponuntur, et Resoluuntur obiectiones partis opposite.=

Vrgent Primo oppositi Authores. quia implicat hominem, esse simul gra=tum, et odio habitum, amicum, et inimicum, dignum, et indignum, filium Dei, et dia=boli: habere ius ad gloriam, et reatum pene eterne: esse iustum, et iniustum, Mundum

et

et sordidum, conversum simul, et aversum a Deo; quae omnia inferantur ex talis simultate gratiae cum peccato: Nam primi sunt effectus peccati: ergo in tali contrarietate involvitur contradictio, et ad consequens incompatibilitas de potentia absoluta. =

Secundo obijciunt quando Deus potentia absoluta, duo contraria conservat hoc facit praestans specialem concursum miraculose conservativum. Sed hoc modo non potest Deus conservare peccatum, quia peccatum non est a Deo: ergo nec simul cum gratia illud conservare. =

Sed ad haec omnia graviter, et sigillatim respondeam. Ad primum quod esse gratum dupliciter potest accipi, vel pro participatione phisica qualitatis gratiae, quae est effectus formalis primarius illius: vel pro ut significat idem quod et esse a Deo dilectum, et acceptum Deo ratione gratiae, quod est effectus secundarius resultans ex primario, et supponens illum. Nam ut materia de iustificatione, effectus primarius gratiae, est reddere obiectum proportionatum, et congruum divinae dilectionis, quod prius est quam a Deo diligi: sicut similiter effectus primarius peccati est hominem reddere obiectum congruum divini odij, et indignum ut a Deo diligatur: et esse odio habitum, est quid secundarium resultans ex positione illius. quo supposito dicendum est, quod in casu dicto, non esset homo gratus, id est a Deo dilectus, et simul odio habitus, sed suspenderetur effectus secundarius gratiae, esset que simpliciter odio habitus ratione peccati. Ad summum diceretur secundum quid dilectus non ex amicitia, sed ex quadam benevolentia, qua conservaret in eo gratiae qualitatem, sicut quando peccatori dona supernaturalia, et efficacia auxilia confert ut resurgat, et ad se trahat. =

Dices, non minus repugnant in esse, esse dignum, et proportionatum, quam indignum, et improportionatum ad amicitiam Dei, si ergo hec dignitas, et indignitas sunt primarij effectus gratiae, et peccati, eandem repugnantiam habebunt, et formae. Respondetur concedendo maiorem. si intelligatur de dignitate simpliciter, non vero si una sit simpliciter, et altera secundum quid. Sed in casu dicto homo iste esset simpliciter indignus quia licet ratione gratiae haberet secundum quid proportionem, dignitatem, et connaturalitatem phisicam ad amicitiam Dei et gloriam, ratione peccati haberet indignitatem, et improportionem moralem, quae non repugnat cum dignitate, et proportione phisica, ideoque esset simpliciter indignus, quia bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu consurgit. =

Quod exemplis elucidabitur, si filius Regis, proditor esset ipsi Regi et Regno, ratione naturae participatae a Patre esset phisice proportionatus, et amabilis esse, dignus que hereditate Regia; ratione tamen proditionis simpliciter indignus, et moraliter improportionatus, et odibilis redderetur, et si casu fieret insensatus, et amens, etiam phisice improportionatus, et ineptus esset, ut in Regno ~~esse~~ succederet, et simul secundum quid dignus quatenus filius Regis. Similiter vir sapiens et litteratus, et alias vitiosus, ratione scientiae, proportionatus esset ad episcopatum secundum quid et simpliciter indignus. sic etiam subiectum haberet virtute divina simul calorem, et frigiditatem in summo gradu, ratione caloris esset proportionatum formae ignis, et ratione frigiditatis haberet improportionem ad illam. =

Neque valet respondere, quod effectus primarius gratiae, est reddere proportionatum et dignum simpliciter, et non tantum secundum quid, praeter quando est in subiecto non infecto peccatis: ergo etiam si peccatum esset, non poterit non praestare suum effectum prima

rium

tium. Ad hoc enim dico effectum primarium gratiae esse tribuere subiecto quantum est de se hanc digni=
tatem, et proportionem physicam, quae eadem numero manens, potest denominare simpliciter, et
secundum quid dignum iuxta dispositionem subiecti. Nam dignitas simpliciter sicut et iustitia prae=
ter perfectionem positivam, essentialiter excludit quamlibet aliam indignitatem a subiecto, at
quae adest in subiecto maculam, aut indignitatem inveniat, desinit illud denominare simpli=
citer dignum; quia multae sunt formae, quarum primaria denominatio constat talem dis=
positionem in subiecto, defectu cuius aliam longe diversam praestabit. Amor v.g. filialis sensitivus
in lapide, non denominabit illum diligentem.

Ita proportionaliter dicendum est, quod homo ille esset simpliciter foe=
dedus, iniustus, aversus a Deo, et illi iniqualis ratione peccati, gratia sanare, iustificare, et mun=
dare animam, non tantum dicit physicam renovationem, et conversionem, sed etiam
expulsionem infirmitatis, maculae, et iniustitiae, quae impediunt iusti, et conversi simpliciter
quam praestaret forma, si subiectum dispositum inveniret.

Ad 2um respondeatur cum sapientissimo Gumel. q. 110. art. 2. disputatione 4. quod
effectum formaliter, et proprie, non est effectus primarius gratiae, sed reddere quantum
est de se subiectum congruum divinae amicitiae, si aliud impedimentum non obstet, at vero reddere
dilectum et amicum, est effectus secundarius, qui sine primario de potentia absoluta potest repe=
riri, ideoque in casu dicto homo esset simpliciter inimicus, et non amicus, etiam secundum quid
ut aliqui aiunt, nam dignitas, et proportio, et aliquis diligatur non constituit formaliter ami-
cum, etiam partialiter, nam definitio amicitiae, est quod sit amor mutuus, non dignitas
aut potestas, aut proportio &c.

Ad aliam implicationem de filio Dei, et iure ad gloriam, quam habe=
ret, et non haberet. Respondetur quod nec esset filius, nec haeres regni caelestis: quia gratia non
tribuit filiationem Dei, nisi prout connotat adoptionem voluntatis adoptantis, sicut nec expel-
lit peccatum, nisi prout actum condonativum involvit, sine quibus actibus gratia esset
in illo casu, sed demus quod esset filius Dei, esset filius proditor, sicut dixi de filio Regis, ideoque
amitteret ius ad gloriam, ratione peccati, esset que simpliciter indignus haereditate caelestis Patris,
in quocumque casu negabam, quod esset filius diaboli, quia tantum per methaphoram
aut exaggerationem sic diceretur.

Ad secundum argumentum respondebam quod ad hoc quod peccatum
simul cum gratia perseveret, non requiritur aliquis specialis concursus conservativus
quia iam veniet causa physica illius praebuisset, sed tantum quod Deus nolit illud remittere,
quia non tenebatur.

Dices: ergo iam sine aliquo miraculo, peccatum cum gratia stare potest,
per hoc solum quod Deus non impediat simultatem dimittendo illud, ac proinde quantum est ex suis
~~primariis~~ propriis naturis non sunt incompatibilia, sed solum ex extrinseca Dei condonatione, aut
dispositione.

Respondebam advertendo prius, per potentiam absolutam non intelligi a theolo=
gis aliquam vim excellentiorem, qua divina potentia praestantiora, aut magis ardua aggredia-
tur. Longe enim mirabilior creatio Angeli, caeli, et hominis, quam restituere oculos caeco, vel
transferre montem ex uno loco in alium, et tamen haec opera miraculosa et supernaturalia dicun=
tur illa vero non. Intelligimus ergo per potentiam absolutam, eam qua Deus extra communem

dispositionem.

dispositionem, et ordinarium modum sui procedentis operatur, vel operari desinit, ideoque dicimus fieri de lege ordinaria, quae non sunt de potentia absoluta, et quod annihilatio Angeli, et quod ignis passo applicatus non comburat et similia accidere ex potentia absoluta, et tamen per solam suspensionem divini concursus, et operationis contingerent. Sic ergo in praesenti, quia gratia et charitas institutae sunt ad iustificandum hominem a peccato, physice quae ac moraliter Deo uniendum et assimilandum, valde miraculosum opus esset potentiae absolutae, et contra legem ordinariam peccatum non dimittere et gratiam simul cum illo conservare, et quod tam excellens participatio divinae naturae in tam sordido, et tenebroso loco splendesceret =

Additis tandem infra, etiam cum visione beata posse simul stare peccati maculam, de potentia absoluta, etsi enim post visionem beatam praesensu impossibile sit, quod videat aliquod peccatum, quia beatus sit ipse impeccabilis tam ratione dilectionis, quia actu, et toto conatu et necessitate fertur in Deum, quam ipsius visionis summi boni, quae ex se sola et miraculose impedita dilectione, hominem retraheret necessario ab omni peccato: at si post peccati maculam moraliter relictam Deus nollet statim peccatum praecatum illud dimittere, et immediate ad gloriam promoveret, maneret tunc ratio offensae habitualis, etsi malitia voluntatis per nihil dilectione summi boni clare visi careret supponit enim etiam in peccati macula inveniri has formalitates inter se diversas ac separabiles rationem malitiae dum actus praeteritur, non retractatur: rationem iniuriae dum a Deo non dimittitur, aut condonatur, et privationem habitualis gratiae cessaret ergo prima et tertia ratio, et secunda maneret in casu isto de coexistentia visionis beatae =

Dubium appendix. An saltem pro aliquo instanti, gratia et peccatum actuale sint simul.

Lorca. post disputationem 22. hoc dubium addit ille. docetque in aliquo instanti actuale peccatum cum gratia simul coexistere. Cuius ratio est: quia peccatum expellit gratiam et charitatem demeritorie, et substractio gratiae est poena propter peccatum inflicta: ergo cum poena ante culpam non inferatur, peccatum saltem pro aliquo instanti debet praecedere substractionem gratiae, atque inde simul cum illo tunc consistere. Probat item ex Isid. lib. 6. cap. 11. ubi ait: Deus sua gratia iustificatos non deserit, nisi prius ab eis deseratur. Et D. Basilio hom. 21. inter homilias de diversis in illa verba: plagis impositis spoliaverunt. Dicit: vel potest intelligi, quod spoliaverunt eum gloriae, prius impositis, praecedunt enim vulnera nuditatem, ut intelligas quod peccatum praecedat gratiae carentiam =

Citat etiam Scotum pro hac sententia: qui in 2. dist. 37. q. unica ubi ait: Peccatum non potest effective corrumpere gratiam, sed tantum demeritorie, ita quod prius voluntas avertisse naturaliter, quam Deus desisset conservare gratiam =

Sed haec omnia tantum conveniunt prioritatem naturae, non temporis, aut instantis (ut tandem fatetur Lorca num. 29.) quod sit licet prius natura peccatum expellat, quam expellatur charitas, nam causa, et effectus possunt esse simul in eadem duratione, et in eodem instanti, sicut sol in eodem instanti in quo est producit lumen, et lumen productum in eodem ipso instanti expellit tenebras =

Quaestio 25. de obiecto Charitatis.

Ista 25. quaestio, est subsequens de obiecto secundario, et materiali in particulari tradat, et de ordine quo charitas ad obiecta ista secundaria descendit. De obiecto enim formali et materiali in communi, q. 23. satis dictum est. Verum inter secundaria ista quaedam sunt quae amantur etiam ex charitate amicitiae, quaedam vero quae tantum ex concupiscentia Deo amico appetuntur, ut supra in communi dixi, nunc autem magis in particulari, exponam. =

Disputatio 22.a de obiecto materiali, et secundario Charitatis. =

Art. 1.us Utrum dilectio charitatis sistat in Deo, an etiam se extendat ad proximos.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod dilectio charitatis sistat in Deo, et non se extendat ad proximum. Sicut enim Deo debemus amorem, ita et timorem: secundum illud Deuteronomii 10. et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas, et diligas eum? Sed alius est timor, quo timetur homo, qui dicitur timor humanus, et alius timor quo timetur Deus, qui est vel servilis, vel filialis, ut ex supra dictis patet: ergo etiam alius est timor charitatis quo diligitur Deus, et alius est amor, quo diligitur proximus. =

2.o Praeterea, Philosophus dicit, in 8. Ethic. quod amari est honorari, sed alius est honor qui debetur Deo, qui est honor latriae, et alius est honor qui debetur creaturae, qui est honor duliae: ergo etiam alius est amor quo diligitur Deus, et alius quo diligitur proximus. =

3.o Praeterea spes generat charitatem, ut habetur in glossa Matth. 1. Sed spes ita habetur de Deo, quod reprehenduntur sperantes in homine, secundum illud Ierem. 17. Maledictus homo qui confidit in homine: ergo charitas, ita debetur Deo, quod ad proximum se non extendat. =

Sed contra est quod dicitur 1. Ioann. 4. Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum. =

Respondeo dicendum, quod sicut supra dictum est, habitus non diversificantur, nisi ex hoc quod variant speciem actus: omnis enim actus unius speciei, ad eundem habitum pertinet. Cum autem species actus ex obiecto sumatur secundum formalem rationem ipsius, necesse est quod idem specie sit actus, qui fertur in rationem obiecti, et qui fertur in obiectum sub tali ratione: sicut eadem est specie visio qua videtur lumen, et qua videtur color, secundum luminis rationem. Ratio autem diligendi proximum Deus est. Hoc enim debemus in proximo diligere, ut in Deo sit. Unde manifestum est, quod idem specie actus est, et quo diligitur Deus, et quo diligitur proximus. Et propter hoc habitus charitatis, non solum se extendit ad dilectionem Dei, sed etiam ad dilectionem proximi. =

Ad primum ergo dicendum, quod proximus timeri potest dupliciter, sicut et amari. Uno modo propter id quod est proprium sibi, puta cum aliquis timet tyrannum propter eius crudelitatem: vel cum amat ipsum propter cupiditatem acquirendi aliquid ab eo. Et talis timor humanus distinguitur a timore Dei, et similiter amor. Alio modo timetur homo et amatur propter id quod est Dei in ipso: sicut cum saecularis potestas timetur propter ministe-

rium.

rium divinum quod habet ad vindictam malefactorum, et adhaeret propter iustitiam. Et talis timor hominis, non distinguitur ab amore eiusdem, sicut de amore.

Ad secundum dicendum, quod amor respicit bonum in communi: sed honor respicit bonum proprium honorati: defertur enim alicui in testimonium propriae virtutis. Et ideo amor non diversificatur specie propter diversam quantitatem bonitatis diversorum: dummodo referantur ad aliquod unum bonum commune. Sed honor diversificatur secundum propria bona singulorum. Unde eodem amore charitatis, diligimus omnes proximos, in quantum referuntur ad unum bonum commune, quod est Deus. Sed diversos honores diversis deferimus, secundum propriam virtutem singulorum; et similiter Deo singularem honorem latriae exhibemus propter eius singularem virtutem.

Ad tertium dicendum, quod vituperantur qui sperant in homine, sicut in principali authore salutis, non autem qui sperant in homine, sicut adiuvante ministerialiter, sub Deo. Et similiter, reprehensibile esset, si quis proximum diligeret, tanquam principalem finem: non autem si quis proximum diligat propter Deum, quod pertinet ad charitatem.

Expositio litterae.

Conclusio est affirmans, et talis constat ex q. 23 praesertim disp. 35. sect. 4. ubi probavi eandem speciem charitatis ad Deum, et proximum extendi, etiam si proximus, et amicus ex complacentia sui diligatur. Nunc in praesenti, potest esse dubium, aut.

Sectio 1a. Quid nomine proximi intelligatur.

Est enim charitatis praeceptum. Diliges proximum tuum, sicut teipsum. Ideoque huius expositio sic tradi debet; fuit enim inter professores legis antiquae non ita certum, sicut apud nos, quis ut proximus ex charitate diligendus est, sicut demum ille per illum Luc. 10. relatus, Christum interrogavit quisnam esset, et, cui esset benefaciendum, sicut sibi ipsi. Erant enim ut notant aliqui expositores, illius loci, variae Iudaeorum sententiae. Quidam asserebant nomine proximi intelligi non omnes homines, sed amicos, seu benefactores tantum, quod ex Levit. 19. deducebant, ubi praeceptum dilectionis sic proponitur: Diliges amicum tuum sicut teipsum. Et vox Hebraea Rhea, idem sonat, quod amicus communis, socius &c. Unde ex proximi excludebant inimicos. Ad hoc alludit quae ex Matth. 5. Dictum est antiquis, diliges amicum tuum, et odio habebis inimicum tuum.

Alij vero proximum dicebant, qui eiusdem gentis, et Religionis erat. Unde alienigenas excludebant et infideles. Alij denique etiam peccatoribus proximi rationem negabant, solum quae iustis concedebant. Sed Christus Dominus Luc. 10. manifeste has omnes opiniones excludit. Significans proximum esse, omnem hominem qui vivit in hoc mundo, sine differentia generis, gentis, Religionis, aut cuiuscumque alterius alterius conditionis, significat inquam per parabolam illam Samaritani, qui misertus Iudaei sauciati, et ad ultimum vitae discrimen deducti curam illius egit, quousque ad perfectam sanitatem reddere posset, non attendens an homo ille esset sui gentis aut Religionis, an esset peccator, aut iustus; imo cum esset inimicus, nam Iudaei non coutebantur Samaritanis, sed solum considerans, quod homo esset, et hunc declaravit Christus fuisse

proximum

proximum; quia solum naturae intuitu, vel ratione communi, omnibus hominibus ad misericordiam excitabui est. =

Sed quidam obijciunt ex hac parabola posse colligi, non omnem hominem esse proximum, sed solum benefactorem, aut opitulantem indigenti; nam Christus proximos negat sacerdotem, et levitam prope transeuntes, et misero illi non subvenientes, ut plane ex contextu constat. =

Respondetur tamen Christum non negare illos proximos fuisse, sed proximi opera non fecisse, sicut vulgariter solemus dicere Christianum non esse, qui legem Christi quam profitetur non sectatur, vel qui vivit, ac si Christianus non esset. imo potius significat Christus eos reprehensibiles, et damnabiles esse, quia debuerunt, et non fecerunt misericordiam cum illo, siquidem dixit iuris perito illi, quod faceret sicut samaritanus, et non sicut sacerdos, et levita, si vitam aeternam consequi volebat. Nec potest alicui in dubium venire quod ratio proximi in actuali amore, aut beneficentia consistat, sed in obligatione benefaciendi, et in radice ex qua oritur talis obligatio. Praeterea; ratio proximi est mutua, et reciproca, sicut ratio amici, aut socij, aut fratris, repugnat enim quod aliquis sit alicui proximus, aut conjunctus in aliquo, quin alius illi eodem genere proximus sit. Ut bene S. Aug. advertit. l. de doctrina Christiana cap. 30. ubi inter alia ait. Proximi enim nomen ad aliquid est, nec quisquam esse proximus, nisi proximo potest. =

Hanc expositionem deducit ibi Aug. ex illo ad Rom. 13. si quod est mandatum in lege in hoc sermone completur. Diliges proximum tuum sicut teipsum. Arguit enim sic in hoc sermone Diliges proximum, sicut teipsum includitur, non occides, non adulterabis &c. sed nullus tam a deo insipiens qui dicat has iniurias, non esse peccata, quando inferuntur ethnico peccatori infideli, aut ei qui non laesit: ergo sicut prohibitio earum ad omnes homines extenditur: sic etiam praeceptum dilectionis proximi. = Confirmat hoc authoritas Ecclesiae, quae postquam filijs suis decem praecepta decalogi proponit, quorum novem respectu omnium hominum intelliguntur, subdit. Haec decem praecepta in duobus contineri, et includi in amore scilicet Dei, et proximi. =

Fundamentum denique est quia ratio a priori propter quam proximus est diligibilis ex charitate est communis hominibus omnibus cuiuscumque status et sortis, exceptis damnatis: ergo ratio proximi ad omnes extenditur. Antecedens declaratur. quia duo sunt omnibus hominibus communia, et participatio eiusdem naturae, et capacitas beatitudinis, seu elevatio ad supernaturalem finem. Unio enim naturae secundum se, infert tantum debitum dilectionis naturalis, alterum vero scilicet participationis gratiae, et elevationis ad supernaturalem finem, infert debitum dilectionis charitatis, ut saepe repetii 1. Art. praesentis in omnibus articulis huius quaestionis. quem sensum optime admittit vox Evang. quia quilibet homo, natura, et gratia conjunctus, amicus, socius, frater, et similia vocari potest. =

Dices, dilectio illa samaritani solum explicare videtur dilectionem naturalem, qua proximum prosequi debet. ergo ex illa parabola, non potest sufficienter colligi descriptio proximi, prout obiectum charitatis supernaturalis. = Respondetur utrumque proximum in ea sufficienter exprimi. nam supponitur misericordia illa facta ex motivo virtutis charitatis, et propter Deum supernaturaliter dilectum. Interrogavit enim legis peritus quid faciendo vitam aeternam possidebo. Ex praeceptione cuius explicationem quaerit, est de dilectione ad beatitudinem necessaria, quae est supernaturalis. Respondetque illi Christus, postquam exemplum samaritani illi proposuit: Hoc fac, et vives: ergo proximus supernaturaliter ex charitate diligendus est, qui continetur in hac parabola. =

Habet item sensum misticum quem communiter sequuntur Sancti Patres, quos

Refert

refert Luca. Sic inquo expressius ratio proximi supernaturaliter diligibilis declaratur. Nam homo ille vulneratus typus fuit humani generis, quod propter inobedientiam, et praevaricationem divini praecepti recessit a Hierusalem, hoc est a Paradiso, et incidens in potestatem diaboli, spoliatus fuit gratuitis, et vulneratus in naturalibus, cuius non alius misertus fuit, quam Dominus ille Samaritanus Christus, et Salvator noster, a quo plene redemptionem, atque facile deducitur proximos esse omnes homines quos Christus ex charitate redemit, adoptavit, sibique univit ut membra: nam unio in Christo et per Christum cum Deo perfecte proximos efficit, obligationemque amoris inducit, qualem Christus habuit. Sic aperte colligitur ex 1a Joan. 3. in hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, et nos debemus pro fratribus animas ponere. Et Joan. 15. Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. =

Dixi perfecte proximos esse membra Christi, et Ecclesiae, quia non excludo infideles, et peccatores ab universalitate alia licet minus perfecta proximi ratione, quatenus redempti sunt sanguine Christi, et ad beatitudinem destinati, etsi adhuc ipsi non sint incorporati. Negari enim non potest, quod tam proximitas, quam distantia in quacumque materia, suscipiunt magis et minus, et quod in praesenti proximior erit, qui strictiori unione cum Christo, et per Christum fuerit incorporatus. Unde perfectiores proximi erunt, beati, quam viatores; iusti, quam peccatores; fideles, quam infideles. =

Art. 2. Utrum charitas sit ex charitate diligenda.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod charitas non sit ex charitate diligenda. Ea enim quae sunt ex charitate diligenda duobus praeceptis charitatis concluduntur, ut patet Math. 22. sed sub neutro eorum charitas continetur; quia nec charitas est Deus, nec est proximus: ergo charitas non est ex charitate diligenda. =

2o Praeterea, charitas fundatur super communicationem beatitudinis, ut supra dictum est, sed charitas non potest esse particeps beatitudinis: ergo charitas non est ex charitate diligenda. =

3o Praeterea, charitas est amicitia quaedam, ut supra dictum est, sed nullus potest habere amicitiam ad charitatem, vel ad aliquod accidens, quia huiusmodi reamare non possunt, quod est de ratione amicitiae, ut dicitur in 8 Ethic. ergo charitas non est ex charitate diligenda. =

Sed contra est quod Aug. dicit 8. de Trinitate, qui diligit proximum, consequens est ut etiam ipsam dilectionem diligat. Sed proximus diligitur ex charitate: ergo consequens est ut etiam charitas ex charitate diligatur. =

Respondeo dicendum quod charitas amor quidam est. Amor autem ex natura potentiae, cuius est actus, habet quod possit supra seipsum reflecti. Quia enim voluntatis obiectum est bonum universale, quidquid sub ratione boni continetur, potest cadere sub actu voluntatis. Et quia ipsum velle est quoddam bonum, potest velle se velle: sicut et intellectus, cuius obiectum est verum, intelligit se intelligere: quia hoc etiam est quoddam verum. Sed amor etiam ex ratione propriae speciei habet, quod supra se reflectatur, quia est spontaneus motus amantis in amatum. Unde ex hoc ipso quod amat aliquis, amat se amare. Sed charitas non est simpliciter amor, sed habet rationem amicitiae, ut supra dictum est. Per amicitiam autem amatur aliquid dupliciter: uno modo, sicut ipse amicus, ad quem amicitiam habemus, et cui bona volumus. Alio modo sicut bonum quod

amico

amicos volumus. Et hoc modo charitas per charitatem amatur et non primo: quia charitas est illud bonum quod optamus omnibus, quos ex charitate diligimus. Et eadem ratio est de Beatitudine, et aliis virtutibus. =

Ad primum ergo dicendum: quod Deus, et proximus sunt illi ad quos amicitiam habemus, sed in illorum dilectione includitur dilectio charitatis, diligimus enim proximum, et Deum in quantum hoc amamus, ut nos, et proximus Deum diligamus, quod est charitatem diligere. =

Ad secundum dicendum: quod charitas est ipsa communicatio spiritualis vitae per quam ad Beatitudinem venitur: et ideo amatur sicut bonum desideratum omnibus, quos ex charitate diligimus. =

Ad tertium dicendum: quod ratio illa procedit secundum quod per amicitiam amantur illi ad quos amicitiam habemus. =

Sectio 2ª. super hunc Articulum.

Conclusio illius est: quod sicut intellectus potest supra se ipsum reflecti, et intelligit se intelligere, quia ipse actus intellectus etiam continetur sub latitudine veri in communi, quod est suum obiectum, ita et voluntas potest velle suum actum amoris, qua tenus bonum quoddam est, ac proinde charitas, qua tenus bonum quoddam diligibile est amico Deo, vel proximis nostris potest per ipsam charitatem amari, non quidem amore amicitiae, cum ipsa charitas non sit intellectualis, sed qua tenus est bonum quoddam Deo ex concupiscentia ipsius volitum. =

Addit item D. Thomas praeter hanc rationem quae communis est aliis actibus voluntatis ac ceteris obiectis secundariis aliam specialem rationem amoris propriam, dicens: sed amor etiam ex ratione propriae speciei habet, quod supra se reflectatur, quia est spontaneus motus amantis ad amatum. quae verba multi inadvertenter pertransiunt cum lateat in illis mysterium valde profundum. fundat enim D. Th. reflectionem istam non in sola ratione voluntarii, qui generalis est omnibus actibus voluntatis, et est valde amplior, sed in speciali ratione amoris, qui amatum respicit ut motivum tantum benevolendi, seu diligendi illum. unde in ipso amore amati finem aliquo modo constituit. ut disp. 30. sect. 2ª. satis explicavi. =

Docet quoque egregie S. Bernard. serm. 83. in Cant. Amor ait per se sufficit, per se placet, et propter se ipse meritum, ipse praemium, sibi est amor fructus eius, usus eius. amo quia amo, amo ut amem: ergo expresse in se ipsum, ut in finem quisaltem partialiter fertur. Etiam S. Aug. de Trinitate quem citat D. Th. sic ait: qui diligit proximum, consequens est, ut etiam ipsam dilectionem diligat. unde infert S. Doctor quod si per proximus ex charitate diligitur, consequens est ut ipsa charitas etiam ex charitate diligatur. =

Ratione item declaratur: quia amor, praecipue summe appretiativus, qualis est charitas, cum sit amicitia ad Deum, in his his viribus insistit, quod Deum amet, quia amabilis, et summo amore dignus est, et quod illum redamet, et si possibile esset aequalem vicem in amore rependat, et quod illi in omnibus placere studeat, quod non nisi per amorem ipsum assequi potest, quia Deus non nisi diligentes se diligit (ut habetur Prov. 8.) neque illi nemo nisi diligens placet, quia bonorum nostrorum non eget. (ut psalm. 15. dicitur) Hinc ergo fit quod totum desiderium diligentium Deum sic amare et et reddamare absque tota poena, et tristitia, quia non diligunt sicut debent, charitas Xpti urget illos animadvertentes, quod infinite diliguntur, et quam tepide divino amori correspondent. Ex

cauhat, illos valde quaerit. Culpa quantumvis levis, quia impossibile, aut difficile solum quod ab hoc amore propter quem suspirant, et anhelant, eos relaxabit. Ergo patet, quod non solum implicite, sed omnino perfecte expresse charitas seipsam diligat, et supra se reflectatur, et quod dilucide S. Bernardus explicat, eius exercitium explanavit illis verbis: Amo quia amo, Amo ut amem. Statim ac scintilla amoris in anima accenditur, paulatim sicut ignis excrescit, experientia quae suae dulcedinis et suavitatis vehementius famescit et sitit, sui incrementum, neque si perveniat ad magnum incendium, dicit umquam satis est, etsi prae nimio fervore id aliquando dicat, quia vires illi deficiunt ad flammas amoris sustinendas. De quo satis Henricus Harphius, Rusbrochius, et alii egregii spirituales Magistri, diffuse valde, et egregie tractant. =

Ex dictis constat iam, quam frequenter, et perfecte charitas expresse reflectatur supra seipsam, sed quia non semper, sed etiam complacere solet praecise de bonitate Dei absque expressa reflexione supra se. Addo denique, hanc etiam charitatem se ipsam implicite diligere, et finem quodammodo particulariter in seipsa ponere, quatenus ultimo sistit voluntas in tali complacentia, non ordinans eam ad alium finem, sicut quando desiderat aliquid, non sistit ultimo in tali desiderio, sed per eum tendit ad consecutionem alicuius boni, cuius possessionem diligit. =

Est optimum exemplum ad hoc discrimen declarandum, differentia quae solet assignari communiter, inter scientiam practicam, et speculativam. Per scientiam speculativam, scimus, ut sciamus, et ideo definitur, quod sit illa cuius finis est ipsa speculatio, vel cognitio, quia in ipsa sistit ultimo intellectus tamquam in fine. Per scientiam vero practicam, scimus ut operemur, et ideo non ponit finem intellectus in ipsa, sed in operatione, quam principaliter intendit per ipsam. Sic se habet complacentia, et quodvis aliud desiderium de aliqua bonitate. Per illud amatur obiectum ut inde acquiratur, vel obtineatur, et ideo eius finis ulterior, est possessio obiecti. Per illam vero amatur tantum ut fine, ut in illa complaceat. =

Art. 3. Utrum etiam creaturae irrationales sint ex charitate diligendae.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod etiam creaturae irrationales sint ex charitate diligendae. Per charitatem enim maxime conformamur Deo. Sed Deus diligit creaturas irrationales ex charitate. Diligit enim omnia quae sunt, ut habetur Sap. 11. et omne quod diligit, seipso diligit, qui est charitas: ergo et nos debemus creaturas irrationales ex charitate diligere. =

2o. Praeterea, charitas principaliter fertur in Deum: ad alia autem se extendit, secundum quod ad Deum pertinent. Sed sicut creatura rationalis pertinet ad Deum, in quantum habet similitudinem imaginis; ita etiam creatura irrationalis in quantum habet similitudinem vestigii: ergo charitas etiam se extendit ad creaturas irrationales. =

3o. Praeterea, sicut charitatis obiectum est Deus, ita et fidei. Sed fides se extendit ad creaturas irrationales in quantum credimus caelum, et terram esse creata a Deo, et pisces, et aves esse productos ex aquis, et gressibilia animalia, et plantas ex terra: ergo charitas etiam se extendit ad creaturas irrationales. =

Sed contra est, quod dilectio charitatis, solum se extendit ad Deum, et ad proximum. Sed nomine proximi, non potest intelligi creatura irrationalis; quia non communi-

nicat

nicat cum homine in vita rationali: ergo charitas non se extendit ad creaturas irrationales. =

Respondeo dicendum, quod charitas secundum predicta est amicitia quedam. Per amicitiam autem amatur uno modo amicus ad quem amicitia habetur: et alio modo bona que amico optantur. Primo ergo modo, nulla creatura irrationalis potest ex charitate amari. Et hoc triplici ratione, quarum due pertinent communiter ad amicitiam que ad creaturas irrationales haberi non potest. Primo quidem, quia amicitia ad eum habetur, cui volumus bonum, sed non proprie possumus bonum velle creature irrationali: quia non est eius proprie habere bonum sed solum creature rationalis, que est domina utendi bono quod habet per liberum arbitrium. Et ideo Philosophus dicit in 2 Phisic. quod huiusmodi rebus, non dicimus aliquid bene, vel male contingere, nisi secundum similitudinem. Secundo, quia omnis amicitia fundatur super aliqua communicatione vite; nihil enim ita proprium est amicitie, sicut convivere. ut patet per Philosophum 8. Ethic. Creature autem irrationales, non possunt communicationem habere in vita humana, que est secundum rationem. Unde nulla amicitia potest haberi ad creaturas irrationales, nisi forte secundum metaphoram. Tertia ratio est propria charitati: quia charitas fundatur super communicationem beatitudinis eterne, cuius creatura irrationalis capax non est. Unde amicitia charitatis, non potest haberi ad creaturam irrationalem. Possunt tamen ex charitate diligi, creature irrationales, sicut bona que aliis volumus, inquantum scilicet ex charitate volumus eas conservari ad honorem Dei, et utilitatem hominum. Et sic etiam ex charitate Deus eas diligit. Unde patet responsio ad primum. =

Ad secundum dicendum, quod similitudo vestigii, non dat capacitatem vite eterne, sed similitudo imaginis. Unde non est similis ratio. =

Ad tertium dicendum, quod fides se potest extendere, ad omnia que quocumque modo vera, sed amicitia charitatis, se extendit ad illa sola, que nata sunt habere bonum vite eterne. Unde non est simile. =

Expositio littere.

Concludit posse diligi, non solum amicum, cui volumus bonum, sed et bona utilia in honorem Dei, aut proximi convenientia, atque primo tam de substantiis irrationalibus quam de accidentibus, tam de naturalibus, quam supernaturalibus. Omnia enim que quomodo libet ad finem vite eterne conducere possunt, sive mediate, sive immediate ex charitate amari possunt. Si ratio principaliter motiva sit Dei gloria. Hoc enim semper est supponendum, nam omnia obiecta secundaria ut sunt illa, eatenus terminant aliquam virtutem, quatenus connexionem aliquam habent cum obiecto primario, et cum primarium charitatis motivum, sit Dei gloria, divinumque beneplacitum, quidquid ad finem suum conducere potest, consequenter intendit, et non aliud, et quidquid ab hoc fine distrahit, aut deviat, totis viribus abhorret. ~

Art. 4. Utrum homo debeat seipsum ex charitate diligere. ~

Ad quartum, sic proceditur. Videtur quod homo non diligat seipsum ex chari-

tate

tate. Dicit enim Gregor. in quadam Homil. quod Charitas minus quam inter duos haberi non potest. ergo ad seipsum nullus habet charitatem.

2°. Praeterea, Amicitia dicit rationem, in potest reddere rationem, et aequalitatem ut patet in 8. Ethic. quae quidem non possunt esse hominis ad seipsum, sed Charitas amicitia quaedam est, ut supra dictum est. ergo ad seipsum aliquis charitatem habere non potest.

3°. Praeterea, illud quod ad charitatem pertinet, non potest esse vituperabile: quia charitas non agit perperam. ut dicitur 1° ad Chor. 13. sed amare se ipsum est vituperabile. Dicitur enim 2° ad Timotheum 3. in novissimis diebus instabunt tempora periculosa, et erunt homines amantes seipsos: ergo homo non potest se ipsum diligere ex charitate.

Sed contra est. quod dicitur Levit. 19. diliges amicum tuum, sicut teipsum. sed amicum ex charitate diligimus: ergo et nosipsos ex charitate debemus diligere.

Respondeo Dicendum. quod cum charitas sit quaedam amicitia sicut dictum est, dupliciter possumus de charitate loqui. uno modo sub communi ratione amicitiae; et secundum hoc dicendum est, quod amicitia proprie non habetur ad se ipsum, sed aliquid maius amicitia: quia amicitia unionem quandam importat. Dicit enim Dionis. quod amor est virtus unitiva. unicuique autem ad se ipsum est unitas, quae est potior unione ad alium. unde sicut unitas est principium unionis, ita amor quo quis diligit seipsum est forma, et radix amicitiae in hoc enim amicitiam habemus ad alios, quod ad eos nos habemus, sicut ad nosipsos. Dicitur enim in 9 Ethic. quod amicabilia quae sunt ad alterum, veniunt ex his, quae sunt ad se ipsum: sicut etiam de principiis non habetur scientia, sed aliquid maius, scilicet intellectus. Alio modo possumus loqui de charitate secundum propriam rationem ipsius, prout scilicet est amicitia hominis ad Deum principaliter, et ex consequenti ad ea quae sunt Dei, inter quae etiam est ipse homo qui charitatem habet, et sic inter caetera quae ex charitate diligit, quasi ad Deum pertinentia, etiam seipsum ex charitate diligit.

Ad primum ergo Dicendum. quod Gregor. loquitur de charitate, secundum communem amicitiae rationem, et secundum hoc etiam procedit secunda ratio.

Ad Tertium Dicendum. quod amantes seipsos vituperantur, in quantum amant se secundum naturam sensibilem, cui obtemperant. quod non est vere amare se ipsum, secundum naturam rationalem ut sibi velint ea bona, quae pertinent ad perfectionem rationis. et hoc modo praecipue ad charitatem pertinet diligere seipsum.

Art. Quintus. Utrum homo debeat corpus suum ex Charitate diligere.

Ad quintum sic proceditur. videtur quod homo non debeat corpus suum ex charitate diligere. Non enim diligimus illum cui convivere non volumus. sed homines charitatem habentes refugiunt corporis convictum. secundum illud Roman. 7. quis me liberabit de corpore mortis huius. Et Philip. 1°. Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo: ergo corpus nostrum, non est ex charitate diligendum.

2°. Praeterea, Amicitia charitatis fundatur super communicatione divinae fruitionis. sed huiusmodi fruitionis corpus particeps esse non potest: ergo corpus non est ex charitate diligendum.

Tertio

Sexto. Praeterea, charitas cum sit amicitia quaedam adeo habet quod redamare possit. Sed corpus nostrum non potest nos ex charitate diligere: ergo non est ex charitate diligendum. =

Sed contra est quod Aug. in 1. de doctrina Christiana, ponit quatuor ex charitate diligenda, inter quae enumerat corpus proprium. =

Respondeo dicendum quod corpus nostrum secundum duo potest considerari: uno modo secundum eius naturam. Alio modo, secundum corruptionem culpae, et poenae. Naturam autem corporis nostri, non est a malo principio creata, ut Manichei fabulantur, sed est a Deo: unde possumus eo uti ad servitium Dei: secundum illud Rom. 6. Exhibete membra vestra arma iustitiae Deo. Et ideo ex dilectione charitatis qua diligimus Deum, debemus etiam corpus nostrum diligere. Sed infectionem culpae, et corruptionem poenae in corpore nostro diligere non debemus, sed potius ad eius remotionem anhelare, desiderio charitatis. =

Ad primum ergo dicendum quod Apost. non refugiebat corporis communionem quantum ad corporis naturam, imo secundum hoc nolebat ab eo expoliari, secundum illud ad Cor. 5. Nolumus spoliari, sed supervestiri, sed volebat carere infectione concupiscentiae quae remanet in corpore, et corruptione ipsius quae aggravat animam, ne possit Deum videre. Unde signanter dixit de corpore mortis huius. =

Ad secundum dicendum quod corpus nostrum, quamvis Deo frui non possit cognoscendo, et amando ipsum, tamen per opera quae per corpus agimus ad perfectam Dei fruitionem possumus venire. Unde et fruitione animae, redundat quaedam beatitudo ad corpus, scilicet sanitatis, et incorruptionis vigor. Ut Aug. dicit in epist. ad Dioscorum et ideo quia corpus aliquo modo est particeps beatitudinis potest dilectione charitatis amari. =

Ad tertium dicendum quod redamatio habet locum in amicitia, quae est ad alterum: non autem in amicitia quae est ad se ipsum, vel secundum animam, vel secundum corpus. =

Sectio 3a. super hos Articulos. ~

Prima Conclusio: si charitas consideretur non sub ratione amicitiae (quomodo connotat extrinsecam redamationem, et alia requisita) sed sub praecisa ratione benevolentiae quae est illi essentialis, et intrinseca, potest, et debet quis se ipsum ex charitate diligere. Negatur amicitia, et conceditur benevolentia, quia hoc potest esse eiusdem ad se ipsum, illa erga est ad alterum, et minus quam inter duos haberi non potest, ut docet Aug. Magn. [illegible] in litteras. Unde infert D. Th. quod cum amor sit virtus unitiva, teste Dionysio, sicut est maior unitas quam unio quae ad alterum est: sic amor quo quis alteri affective unitur, est minor quam amor sui ipsius; hic enim facit idem, et ille unum. =

Probatur optime conclusionem ex Levit. 19. et primo Decalogi praecepto. Diliges proximum tuum, sicut te ipsum, ubi amor nostri assignatur, ut regula amoris proximi: supponitur ergo licitus, et debitus. Praeterea, militat eadem ac maior ratio in amore nostri, ac in amore proximi; si proximus diligitur prout est Dei imago, Christi membrum, suo sanguine redemptum, et adoptatum, templum Spiritus sancti, in quo divina maiestas maxime complacet et glorificatur, sub eisdem rationibus, potest et debet quis se ipsum prosequi: quia sic habet eandem connexionem cum obiecto primario, quod est Dei gloria, et beneplacitum; ergo potest sic secundario ex charitate diligi, quinimo et in primo loco, se constituere, quia charitas a se ipsa incipit,

ad sequenti questione exponam. =

Neque obstant aliqua sacrae Scripturae testimonia, et Patrum, quibus omnis amor proprius reprehenditur, ac vituperatur, quia tantum reprehenditur amor, quo quis nimis obiectis sensibilibus inheret, contra rationem, et Dei voluntatem, ut etiam Arist. docuit 9. Ethic. cap. 8. =

Dices, quare sine distinctione omnis amor proprius reprehendi solet absolute, et universaliter, si non omnis est illicitus, et vitiosus? = Ad quod Primo respondeo sanctos Patres illum amorem proprium reprehendere, quo quis in omnibus se ipsum principaliter quaerit, et diligit, tanquam finem universalem quia hunc radicem dicunt omnium malorum, illum, ut pernitiosissimum abominant. = Secundo respondetur quod cum Amor denominetur a principaliori obiecto, quando homo ex charitate seipsum diligit propter Deum, dicitur tunc magis diligens Deum, quam seipsum cum vero se magis diligit quam Deum dicitur absolute se amare, et talis amor proprius, et inordinatus, quia se ipsum ut principale obiectum respicit proprium in omni rigore, et est id quod distinguitur contra commune, quod scilicet tantum est suum, quod non fit alterius, et sic amor proprius ille veraciter dicitur, quo quis se tantum principaliter diligit et non Deum, imo illum excludit. =

Quid de Corporis dilectione. —

Sed quia ratio conclusionis praecipue probat de dilectione animae, in qua imago Dei relucet, et ratione cuius homo est capax Beatitudinis, societatis Dei, et amicitiae cum Deo est maior difficultas de corpore, in quo rationes istae non inveniuntur, et alias sancti Patres saepius illud odium, et contemptum consulunt, et valde persuadent, ideoque diversum articulum de hoc instituit S. Th. sed concludit etiam corpus debere ex charitate diligi ex regula generali dicta, quia etiam cum obiecto primario habet perfecte connexionem, quatenus est pars hominis, et instrumentum valde conducens ad consequutionem vitae aeternae per continuas illius mortificationes, et poenitentias, et tandem est particeps Beatitudinis sibi propriae, et gloriae animae in ipsum redundantis, conferuntur quae illi dotes quibus et Angelis assimilatur. Ut dicitur Mathe. 22. erunt sicut Angeli Dei in coelo. Patet etiam ex sacra Scriptura ad Rom. 6. Exhibete membra vestra, arma iustitiae Deo. Et post. servire iustitiae in sanctificationem. Et 1. Chor. 6. An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus S.? glorificate, et portate Deum in corpore vestro. Ad Ephes. 5. viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua, nemo enim unquam carnem suam odio habuit. =

Ex dictis constat, condemnandos esse duos errores, quos notat D. Aug. l. 1. de doctrina Christ. cap. 4. Primus est asserentium corpus nostrum, non esse ex charitate diligendum sed potius odio habendum (ut est contra communem sacrae Scripturae et Patrum ~~testimonia~~ doctrinam) propter bellum, quod continue gerit adversus animam: caro enim (ait Paulus ad Galat. 5.) concupiscit adversus spiritum. Propter quod pessimus ille hostis dicitur. Secundus est, aliorum dicentium, corpus non esse poenitentiis affligendum, quia nec occidere, nec eius vitam minuere licet: efficitur autem eius vita brevior poenitentiis, aliisque mortificationibus. =

Utrumque autem absurdum et error manifestus, nam sub diversis con-

siderationibus

considerationibus corpus debet ex Charitate diligi, et etiam odio haberi, quatenus scilicet ad meritum, et augmentum gratiae, et gloriae conducit debet ex Charitate diligi, illique necessaria, ad spiritui, et deserviat suppeditari, quatenus vero contra spiritum, et Dei legem ingit, et quae aeternae saluti noxia sunt concupiscit, odio prosequi debet, et continuis mortificationibus in servitutem redigi. Et hoc revera diligitur, nam aufertur illi temporale et momentaneum bonum, ut aeternum non amittat: sicut quod pater filium puniat ut virtute, et literis proficiat, non odii, sed amoris indicium apertum est. Sic Christus expresse docuit. Joann. 12. qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam. Super quae verba, pulchre Aug. tract. 51. post medium ait: si male amaveris, tunc odisti: si bene oderis, tunc amasti: felices qui oderunt custodiendo, ne perdant amando. =

Hoc igitur est quod iubemur in sacris litteris, et Patribus, ne ita indulgeamus corpori, ut caro regnet, et dominetur, et anima illi serviat. quod etiam Arist. 2. Politicor. cap. 3. agnovit dicens, cum amatio sui reprehenditur, non reprehenditur, quia se amet, sed quia magis quam oportet se amet, e contra etiam praecipimur, ne carnem ita deseramus, illi necessaria subtrahendo, ut rationi deservire non possit, utrumque extremum est vitandum, et prudenter medium eligendum. =

Unde infero, licere ob utilitatem spiritualem inferre aliquod detrimentum corpori, sine peccato contra charitatem: quia maius bonum minori licet anteponi quantum possit in detrimentum hoc est difficultas. = Respondeo ~~igitur~~ generaliter Valencia, si illud detrimentum possit licite ad eum finem corpori inferri quod iudicio sapientis omnibus consideratis, censeatur non esse malum simpliciter ipsi homini, etiam secundum corpus, sed potius simpliciter bonum, si autem simpliciter malum iudicetur, nulla maioris utilitatis praetextu licitum erit. Unde propter utilitatem spiritualem, non licebit privare se aliquo membro, et multo minus se occidere. =

quod confirmatur ex communi Sanctorum Patrum doctrina, qui propterea acceperint, non proprie, sed metaphorice interpretantur verba illa Matth. 18. si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et proiice abs te, et illa Matth. 19. sunt eunuchi, qui se castraverunt propter regnum coelorum. Et idem est de aliis detrimentis ex quibus iudicio sapientis, mors secutura sit. Secus vero si omnino incertum sit mortis periculum; quia nemo tenetur quin ut a tali periculo sit omnino securus, sua exercitia omittere, et si mors forte postea sequatur. Alioquin reprehendi deberent fere omnia sanctorum exercitia, plura quae Religionum statuta, in quibus multos experimur obire ob corporis continuam macerationem. Si enim ex causa hac uxor, quae cum periculo vitae suae marito, aut filio assistit gravi, et periculoso morbo laboranti, et is qui pro defensione patriae se exponit manifesto mortis periculo, cur non ille qui pro animae suae securitate, aut perfectione, et sanctitate obtinenda, aut pro Religionis quam professus est observantia, et similibus apud quos periclitatur exemplum sit, robur animae quae exerceat. Multa sacrae scripturae, et Patrum testimonia hanc doctrinam confirmant, et persuadent. 1. Chor. 4. ait Paulus. castigo corpus meum, et in servitutem redigo. Ad Col. 3. mortificate membra vestra. Ecclesia etiam non solum consiliis, sed praeceptis, ieiunia, orationes, disciplinas, et alia huiusmodi exercitia, et instituta valde aspera et saluti incommoda approbat. Ratio denique prudentia dictante: minus malum eli-

gi

gi posse propter vitandum malum etiam ipsius corporis, quanto ergo praestantiori iure propter vitandum malum animae, vel propter magnum illud sanctitatis aut gloriae incrementum obtinendum, licebit corporis detrimentum leve. Nec obstat huic vulgatum illud axioma: non sunt facienda mala ut eveniant bona. quia tantum de malo culpae id est intelligendum, nam de malo poenae est evidenter falsum. —

Duo valde notanda

Duo tandem ad pleniorem huius notitiam sunt observanda. Primum est, quod aliud est, vitam directe minuere, aliud vero eam non augere, vel ab omnibus periculis quomodolibet imminentibus illaesam, et securam se conservare, et si primum non liceat, tenebitur quis homo, non abrumpere vitam, non debet omnia media etiam licita facere, ut vitae longitudinem aut securitatem obtineat. Nec vult Deus nos tam solicitos de sua vitae commoditatibus, imo sunt odibiles Deo, et hominibus qui nimis suae conservationi indulgent, semper medicos consulentes, continuis quae medicinis suae saluti invigilantes: expectabitis Deo magis serviendi, longa vita, aut integra salute, numquam illi servivit, quia medicinis quotidianis alternantur, et delicatiores fiunt, crescitque cum aetate, et consuetudine necessitas, ac impossibilitas, servandi quae ex Dei lege, aut sua professione tenentur: imo hoc delicato vivendi modo vires et arma corpori praestant adversus spiritum, et Dei legem. =

Secundum est. in alimentis, et abstinentiis, vitanda esse, ea quae directe nociva sunt humanae valetudini, quibus brevi tempore potest succumbere, et etiam fieri: ea vero assumi posse, quae licet insipida, et quibus dissonantia, morbum non inducant, aut impossibilitatem ad spiritualia exercitia. quod autem diminutio vitae post longum aliquod tempus immineat, aut sequatur, indirecte, et contingenter evenire constat, imo etiam si brevissimo tempore, inde mors subsequatur, non solet reprehendi ut temeritas aliqua, sed tribuitur occultae et speciali indispositioni subiecti, quae praevideri non potuit, specialiter, quando hoc regulariter caeteris non accidit, sed experientia, et prudentis viri iudicio discernendum est, quando temeritas, aut indiscretio in his exercitationibus, aut poenitentiis involvitur, raro que medici consulendi sunt, quando non urget specialis infirmitas, quia non est suae facultatis speciales obligationes aspirantium ad maiorem perfectionem attendere sed potius omnia media corpori convenientia, et quomodolibet integritati salutis utilia, quivis modo et praeservativa providere, contra mala quae nec imminent nisi valde remota, loquantur sumptis scilicet, ut victus selectione de omnibus, et temperantia. —

Art. 6. Utrum peccatores sint ex charitate diligendi. ~

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod peccatores non sint ex charitate diligendi. Dicitur enim psalm. 118. Iniquos odio habui. Sed David charitatem perfectam

tam habebat: ergo ex charitate magis sunt odiendi peccatores quam diligendi. =

2o. Præterea, probatio dilectionis exhibitio est operis, ut Greg. dicit hom. in Pent. Sed peccatoribus justi non exhibent opera dilectionis, sed magis opera quæ videntur odii; secundum psalm. 100. In matutino interficiebam omnes peccatores terræ. Et Dominus præcepit in Exod. 23. Maleficos non patieris vivere: ergo peccatores non sunt ex charitate diligendi. =

3o. Præterea, ad amicitiam pertinet ut amicis optemus et velimus bona. Sed sancti ex charitate optant peccatoribus mala, secundum illud psalm. 9. Convertantur peccatores in infernum: ergo peccatores non sunt ex charitate diligendi. =

4o. Præterea, proprium est amicorum simul convivere, ut dicitur in 8 Ethic. Sed cum peccatoribus non est convivendum, secundum illud 2 ad Cor. 6. Exite de medio eorum: ergo peccatores non sunt ex charitate diligendi. =

5. Præterea, proprium est amicorum de eodem gaudere, et idem velle. Sed charitas non facit velle quod peccatores volunt, neque facit gaudere de hoc de quo peccatores gaudent, sed magis facit contrarium: ergo peccatores non sunt ex charitate diligendi. =

Sed contra est quod Aug. dicit in 1o de doct. Christ. quod cum dicitur Diliges proximum tuum, manifestum est omnem hominem proximum esse deputandum. Sed peccatores non desinunt esse homines, quia peccatum non tollit naturam: ergo peccatores sunt ex charitate diligendi. =

Respondeo dicendum quod in peccatoribus duo possunt considerari, scilicet natura, et culpa. Secundum naturam quidem, quam a Deo habent, capaces sunt beatitudinis, super cujus communicatione charitas fundatur, ut supra dictum est. Et ideo secundum naturam suam sunt ex charitate diligendi. Sed culpa eorum Deo contrariatur, et est beatitudinis impedimentum. Unde secundum culpam qua Deo adversantur, sunt odiendi quicumque peccatores, etiam pater, et mater, et propinqui, ut habetur Luc. 14. Debemus enim in peccatoribus odire quod peccatores sunt, et diligere quod homines sunt beatitudinis capaces, et hoc est eos vere ex charitate diligere propter Deum. =

Ad 1um ergo dicendum quod iniquos propheta odio habuit in quantum iniqui sunt, habens odio iniquitatem ipsorum, quod est ipsorum malum. Et hoc est perfectum odium, de quo ipse dicit: Perfecto odio oderam illos. Ejusdem autem rationis est odire malum alicujus, et diligere bonum ejus. Unde etiam illud odium perfectum ad charitatem pertinet. =

Ad secundum dicendum quod amicis peccantibus, sicut Philosoph. dicit in 9 Ethic. non sunt subtrahenda amicitiæ beneficia, quousque non habeatur spes sanationis eorum: sed magis est eis auxilium dandum ad recuperationem virtutis quam ad recuperationem pecuniæ, si eam amisissent: quanto virtus est magis amicitiæ affinis, quam pecunia. Sed quando in maximam malitiam incidunt, et insanabiles fiunt, tunc non est eis amicitiæ familiaritas exhibenda. Et ideo hujusmodi peccantes de quibus magis præsumitur nocumentum aliorum, quam etiam eorum emendatio, secundum legem divinam, et humanam præcipiuntur occidi. Et tamen hoc facit judex non ex odio eorum, sed ex amore charitatis, quo bonum publicum præfertur vitæ singularis personæ. Et tamen mors per judicem inflicta peccatori prodest, si convertatur ad culpæ expiatio-

nem

nem, si Deus non convertatur ad culpae terminationem: quia per hoc tollitur ei potestas amplius peccandi. =

Ad sextum dicendum quod huiusmodi interpretationes, quae in sacra scriptura inveniuntur, tripliciter possunt intelligi. Uno modo per modum praenuntiationis, non per modum optationis: ut sit sensus, convertantur peccatores in infernum, idest convertentur. Alio modo per modum optationis, ut tamen desiderium optantis, non referatur ad poenam hominum, sed ad iustitiam punientis (secundum illud psalm. 57. Laetabitur iustus cum viderit vindictam): quia nec ipse Deus puniens laetatur in perditione impiorum, ut dicitur Sap. 1°. sed in sua iustitia: quia iustus Dominus, et iustitias dilexit. Tertio, ut desiderium referatur ad remotionem culpae, non ad ipsam poenam, ut scilicet peccata destruantur et homines remaneant. =

Ad quartum dicendum quod convivere peccatoribus, infirmis quidem, est vitandum propter periculum, quod eis imminet, ne ab eis subvertantur. =

Ad quintum dicendum quod ex charitate diligimus peccatores, non quidem ut velimus, quae ipsi volunt, vel gaudeamus de his, de quibus ipsi gaudent, sed ut faciamus eos velle, quod volumus, et gaudere de his de quibus gaudemus. Unde dicitur Ierem. 15. ipsi convertentur ad te, et tu non converteris ad eos. =

Sectio 4.a Super hunc Articulum.

Respondet D. Th. diligendos esse ex charitate quatenus homines sunt beatitudinis capaces: quia ut sic ad Deum pertinere possunt. odio autem habendos in quantum peccatores, quia sic Deo adversantur. idest odio habenda peccata, et vitia, etiamsi in Patre, et Matre, et propinquis sint, non autem personas. Hoc fortasse appellatur odium perfectum psalm. 138. Perfecto odio oderam illos, quia perfectionis, vel perfectorum est, inter personas, et peccata distinguere, quod odium peccati non transeat, ad naturam, vel personam, sicut saepius accidit, fortasse inquam; quia etiam per odium perfectum intelligi potest summum, et consummatum, ac si diceret ex toto corde abhorrebam iniquitatem ipsorum. Haec est doctrina B. Aug.i de doctrina Christ. cap. 30. et in psalm. 32. refertur, cap. duo ista 23. q. 4. et D. Greg. homil. 32. in Evang.o =

Ratio est quia huiusmodi odium oritur ex dilectione Dei obiecti primarij, cui peccatum adversatur, estque illius offensa: atque etiam dilectio proximi, quatenus illi vult emundationem culpae, et obstaculum illud non habeat ad aeternam salutem. =

Ex quo sequitur, non esse contra charitatem, sed potius charitatis affectum, velle peccatori aliquam infirmitatem, aut adversitatem temporalem propter spiritualem eius conversionem, si aliter ob eius incorrigibilitatem non speratur. Hoc enim modo pater solet prosequi filium, quem valde diligit, et sic potest aliquis se odio habere et ipse peccata, voluntaria castigatione punire: ergo sic possumus peccatores odio habere, quod potius est eorum correptionem velle. =

Secundo infertur, etiam quando desperatur peccatorum correctio, odio abominationis, seu displicentia posse detestari eorum peccata, quatenus Deo adversantur, in quo casu, etsi nulla exerceatur circa ipsos dilectio, exercebitur circa Deum, illique con-

formatur

conformatur. Cui odio est impius, et impietas eius ut dicitur Sap. 4°. Cavendum tamen est, ne odium istud simplex ad inimicitiam transeat, illis aliquomodo mala desiderantes, aut inferre volentes. =

Dubium Appendix.

Solet tamen adhuc dubitari: cur ex zelo divinae iustitiae aut punitionis divinae offensae, non licet haereticis, et infidelibus Deum quotidie blasphemantibus, nullamque spem suae conversionis praebentibus illis damnationem, et derelictionem Dei desiderare. Videtur enim id licere ex multis imprecationibus quae adversus eos in sacra scriptura leguntur. Psalm. 9 dicitur. Convertantur peccatores in infernum. Psalm. 34°. obscurentur oculi eorum ne videant. Isai. 6. Excaeca cor populi huius. Psalm. 67. sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei. Psalm. 14° et praecipue psalm. 108. ubi omnia mala temporalia, et aeterna illis desiderat, et postulat a Deo. =

Nihilominus dico primo. Non licet desiderare poenam aeternae damnationis, nec derelictionem Dei alicui homini viventi, sed tantum ex suppositione, quod decidat in peccatis suis. Probatur: quia quamdiu aliquis vivit, non est exclusus a divina misericordia, sed semper patet illi aditus ad salutem. Solumque illi decreta est damnatio ex suppositione quod obstinatus moritur in peccato: ergo solum ex tali suppositione, licebit illi aeternam poenam desiderare: quia sic affectus noster conformatur divinae. =

Similiter, nec licet permissionem finalis impenitentiae, aut derelictionem aut auxiliorum subtractionem alicui quantumvis peccatori desiderare, aut precari, etiam ex motivo divinae iustitiae: quia quamvis velle ordinem divinae iustitiae, sive obiectum bonum sit, nobis non incumbit, nisi dilectio proximi, et non conservatio superioris ordinis. Quemadmodum licet bonum sit, ut suspendatur latro privatae personae id non liceret exequi, nec filiae aut uxori laudabile esset hoc desiderare, quia magis illis incumbit dilectio Patris, aut mariti: sic orare non licet Deum ut permittat alicui fratri suo lapsum in peccatum finale, etiam si certa revelatione illi constaret eius damnatio futura: quia sicut Pater, quando irascitur filio, aut supplicio illum afficit, magis placet qui ei intervenit pro filio, et placare studet, quam qui illum magis ad iracundiam provocaret: sic Deo qui coactus, peccatores punit, magis placet displicentia quam complacentia de eorum damnatione. =

Dico secundo. In communi et vage, non determinando personas particulares, licet interdum desiderare, et complacere de ordine, et manifestatione divinae iustitiae. Probatur: quia sic solum ex suppositione obstinationis, derelictionis, et aeternae damnationis eorum in conformitatem divinae voluntatis, et dilectionem suae iustitiae in communi suos affectus exercet, sic peccata abominans ut neminem in particulari velit a salute excludi. =

Dico tertio quamvis permissiones peccatorum medicinales, quibus homo potest fieri cautior, et humilior, aut ad maiorem perfectionem resurgere, aliis desiderare liceat, non tamen nobis metipsis. Ratio discriminis est: quia in alio possum velle permissionem, quin velim peccatum, sicut Deus ipse vult, in me autem non possum velle quod Deus permittat mihi peccatum, nisi velim ipsum peccatum: quia peccatum in me, non nisi media voluntate mea potest intelligi, in alio vero potest sine voluntate Dei, et mea sola ipsius. =

Testimonia sacrae scripturae in oppositum adducta, tripliciter exponuntur

a D. Th.

ad Th. et alijs. Primo, ut potius sint prædictiones, et annuntiationes propheticæ ad terrorem incutiendum, quam imprecationes. ut exponunt Sanctus Martir, qui q. ad sent. Anacletus Papa Epist. 2a decretali Aug. in psalm. 108. Hieron. Greg. Magn. et alij Patres. Secundo admittendo tales esse imprecationes [illegible], loquendo vage, et in communi ex suppositione dicta in secunda Conclusione. Tertio, ita ut referantur, non ad pœnam sed ad culpam, ut scilicet desideretur quod culpa penitus destruatur, sicut quando oramus quod Deus hæreticos, vel Iudæos, vel inimicos destruat, non est sensus quod personas, sed infidelitatem aut inimicitiam in illis destruat, seu est, quod illos formaliter, ut hæreticos aut inimicos e medio tollat, non ut homines, quod ipsorum conversione fieri potest.

Art. 7. Utrum peccatores diligant seipsos.

Ad septimum sic proceditur. Videtur quod peccatores seipsos diligant. Illud enim quod est principium peccati, maxime in peccatoribus invenitur, sed amor sui est principium peccati. Dicit enim Aug. 14o de Civitate Dei, quod facit civitatem Babilonis: ergo peccatores maxime amant seipsos.

2o Præterea, peccatum non tollit naturam, sed hoc unicuique convenit ex sua natura, quod diligat seipsum: unde etiam creaturæ irrationales naturaliter appetunt proprium bonum, puta conservationem suiesse, et alia huiusmodi: ergo peccatores diligunt seipsos.

3o Præterea, omnibus est diligibile bonum. Ut Dionis. dicit in 4o cap. de Divinis Nominibus, sed multi peccatores reputant se bonos: ergo multi peccatores seipsos diligunt.

Sed contra est quod dicitur psalm. 10. qui diligit iniquitatem odit animam suam.

Respondeo dicendum quod amare seipsum, uno modo commune est omnibus. Alio modo proprium est bonorum. Tertio modo proprium est malorum. Quod enim aliquis amet id quod seipsum esse æstimat, hoc commune est omnibus. Homo autem dicitur esse aliquid dupliciter. Uno modo secundum suam substantiam, et naturam: et secundum hoc omnes æstimant bonum se esse id quod sunt scilicet ex anima et corpore compositos: et sic etiam omnes homines boni, et mali diligunt seipsos in quantum diligunt sui ipsorum conservationem. Alio modo dicitur homo esse aliquid secundum principalitatem, sicut princeps civitatis dicitur esse civitas. Unde quod principes fiunt, dicitur civitas facere. Sic autem non omnes æstimant se esse id quod sunt. Principale enim in homine est, mens rationalis, secundum autem est natura sensitiva, et corporalis, quarum primum Apost. nominat interiorem hominem, secundum exteriorem. ut patet 2. Chorint. 4. Boni autem æstimant principale in se ipsis rationalem naturam, sive interiorem hominem: unde secundum hoc æstimant se esse quod sunt. Mali autem æstimant principale in se ipsis naturam sensitivam, et corporalem scilicet exteriorem hominem. Unde non recte cognoscentes seipsos, non vere diligunt seipsos sed diligunt id quod seipsos esse reputant. Boni autem vere cognoscentes seipsos, vere seipsos diligunt. Et hoc probat Philos. in 9 Ethic. per quinque quæ sunt amicitiæ propria. Unusquisque enim amicus primo quidem, primo quidem vult suum amicum esse, et vivere, secundo vult ei bona, tertio operatur bona ad ipsum, quarto convivit ei delectabiliter. quinto concordat cum ipso, quasi cum eisdem delectatus, et contristatus. Et secundum hoc boni diligunt seipsos

quantum

quantum ad interiorem hominem: quia etiam volunt ipsum servari in sua integritate, et optant ei bona, quæ sunt bona spiritualia, et etiam ad assequenda operam impendunt, et delectabiliter ad cor proprium redeunt, quia ibi inveniunt bonas cogitationes in praesenti, et memoriam bonorum praeteritorum, et spem futurorum bonorum ex quibus delectatio causatur. Similiter etiam non patiuntur in se ipsis voluntatis dissensionem: quia tota anima eorum tendit in unum, e contrario autem mali, non volunt conservari in integritate interioris hominis, neque appetunt eius spiritualia bona, neque ad hoc operantur, neque delectabile est eis secum convivere, redeundo ad cor: quia inveniunt ibi mala, et praesentia, et praeterita, et futura quæ abhorrent, neque etiam sibi ipsis concordant, propter conscientiam remordentem, secundum illud psalm. Arguam te et statuam contra faciem tuam. Et per eadem probari potest, quod mali amant se ipsos secundum corruptionem exterioris hominis: sic autem boni, non amant se ipsos.=

Ad primum ergo dicendum quod amor sui, qui est principium peccati, est ille qui est proprius malorum, perveniens usque ad contemptum Dei, ut ibidem dicitur: quia mali etiam sic cupiunt exteriora bona, quod spiritualia contemnunt.=

Ad secundum dicendum quod naturalis amor, et si non totaliter tollatur a malis, tamen in eis pervertitur per modum iam dictum.=

Ad tertium dicendum quod mali inquantum existimant se bonos, sic aliquid participant de amore sui. Nec tamen ista, est vera sui dilectio, sed apparens, quæ etiam non est possibilis in his qui valde sunt mali.=

Expositio litteræ.

Conclusio est. Peccatores, non simpliciter, sed secundum quid se ipsos diligunt. Ex quo infertur iustos plus incomparabiliter se diligere, quam peccatores, quia isti bona tantum sensibilia et apparentia, ac momentanea, illi autem æterna, et vera, ac simpliciter bona sibi volunt. De quibus loquitur Beatus Greg. homil. 15. in Evangelia dicens. Si veræ habere divitias esse cupitis veras divitias amate si culmen veri honoris quæritis, ad cœleste regnum tendite. Si gloriam dignitatum diligitis, in illa superna Angelorum curia adscribi festinate. Ex quibus verbis quæ etiam adducit Ecclesia in offitio, quinquagesimæ satis liquet quanto verius, et excelentius iusti se diligant.=

Propter hoc peccatores, odium sui dicuntur habere, quia verum bonum desiderant, appetunt enim quæ sunt contra naturam suam rationalem, et contra summam felicitatem æternamque salutem, ad quam creati sunt. Ideoque psalm. 10. de illis dicitur. qui diligit iniquitatem odit animam suam. Neque etiam quantum ad corpus, se simpliciter aut plusquam iusti diligunt; quia peccata etiam sunt contra naturam sensitivam, quæ inquantum pars essentialis hominis, naturaliter rationi subordinatur, innatamque inclinationem ad illius obedientiam semper habet, ut latius 1418. materia de peccatis explico. Corpus etiam peccatoris regulariter suis intemperantiis salutem et gustum amittit, a maxitudine repletur, multisque aliis miseriis, et tandem in profundum ignis stagnum praecipitatur.=

Bene verum est, peccatores frequentius dici sui amatores, et iustos se odio habentes. Huius ratio est, quam supra ad Art. 5. sect. 3 tetigi. quod cum amator a priecipuo obiecto denominetur, amor iustorum magis dicitur esse ad Deum quam ad ipsos: sicut quæ odium illis tribuitur

quo

quo secundum quid corpus affligunt propter maius bonum ipsius animae. Peccatores vero dicuntur absolute se amantes, quia eorum amor qualiscumque sit, eo ut principale obiectum respicit, Deo quo fini ultimo anteponit.

Art. 8. Utrum sit de necessitate charitatis, ut inimici diligantur.

Ad octavum sic proceditur. Videtur quod non sit de necessitate charitatis, ut inimici diligantur: dicit enim Aug. in Enchir. quod hoc tam magnum bonum scilicet diligere inimicos, non est tantae multitudinis, quantam credimus exaudiri, cum in oratione dicitur, dimitte nobis debita nostra, sed nulli dimittitur peccatum sine charitate: quia ut dicitur Proverb. 10. universa delicta operit charitas: ergo non est de necessitate charitatis diligere inimicos.

2o Praeterea, charitas non tollit naturam: sed unaquaeque res etiam irrationalis, naturaliter odit suum contrarium, sicut ovis lupum, et aqua ignem. Ergo charitas non facit, quod inimici diligantur.

3o Praeterea, charitas non agit perperam: sed hoc videtur esse perversum, quod aliquis diligat inimicos, sicut et quod aliquis odio habeat amicos. Unde 2o Reg. 19. exprobrando dicit Ioab ad David, diligis odientes te, et odio habes diligentes te: ergo charitas non facit ut inimici diligantur.

Sed contra est, quod Dominus dicit. Math. 5. diligite inimicos vestros.

Respondeo dicendum quod dilectio inimicorum, tripliciter potest considerari. Uno quidem modo, ut inimici diligantur, inquantum sunt inimici: et hoc est perversum, et charitati repugnans, quia hoc est diligere malum alterius. Alio modo potest accipi dilectio inimicorum, quantum ad naturam, sed in universali: et sic dilectio inimicorum est de necessitate charitatis, ut scilicet aliquis diligens Deum, et proximum, ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos suos non excludat. Tertio modo, potest considerari dilectio inimicorum in speciali: ut scilicet aliquis inspeciali moveatur motu dilectionis ad inimicum, et illud non est de necessitate charitatis absolute: quia nec etiam moveri motu dilectionis in speciali ad quoslibet homines singulariter, est de necessitate charitatis: quia hoc esset impossibile. Est tamen de necessitate charitatis secundum praeparationem animi, ut scilicet homo habeat animum praeparatum, ad hoc quod in singulari inimicum diligeret, si necessitas occurreret. Sed quod absque articulo necessitatis, homo etiam hoc actu impleat, ut diligat inimicum propter Deum: hoc pertinet ad perfectionem charitatis. Cum enim ex charitate diligatur proximus, propter Deum, quanto aliquis magis diligit Deum, tanto etiam magis ad proximum dilectionem ostendit, nulla inimicitia impediente. Sicut si aliquis multum diligeret aliquem hominem, amore ipsius filios eius amaret, etiam inimicos sibi. Et secundum hunc modum loquitur Aug. Unde patet responsio ad primum.

Ad secundum dicendum quod unaquaeque res naturaliter odio habet id quod est sibi contrarium, inquantum est sibi contrarium, inimici autem sunt nobis contrarii, inquantum sunt ~~…~~ inimici: unde hoc debemus in eis odio habere. Debet enim nobis displicere, quod nobis inimici sunt. Non autem nobis sunt contrarii inquantum homines sunt, et beatitudinis capaces. Et secundum hoc debemus eos diligere.

Ad tertium dicendum quod diligere inimicos, inquantum sunt inimici, hoc est

vituperabile

insuperabilis; Et hoc non facit Charitas, ut dictum est. =

Art. 9. Utrum sit de necessitate salutis, quod aliquis signa et effectus dilectionis inimico exhibeat. ~

Ad Nonum sic proceditur. Videtur quod de Necessitate salutis sit quod aliquis homo signa vel effectus dilectionis inimico exhibeat. Dicitur enim 1. Joann. 3. Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, et veritate. Sed opere diligit aliquis exhibendo ad eum quem diligit signa, et effectus dilectionis: ergo de necessitate salutis est, ut aliquis hujusmodi signa et effectus inimicis exhibeat. =

2°. Praeterea, Math. 5. Dominus simul dicit diligite inimicos vestros, et benefacite his qui oderunt vos, sed diligere inimicos est de necessitate Charitatis: ergo etiam benefacere inimicis. =

3°. Praeterea, Charitate amatur non solum Deus, sed etiam proximus. Sed Greg. dicit in homilia Pent. quod amor Dei non potest esse otiosus. Magna enim operatur si est: si desinit operari, non est amor: ergo Charitas, quae habetur ad proximum, non potest esse sine operationis effectu. Sed de Necessitate Charitatis est, ut omnis proximus diligatur, etiam inimicus: ergo de Necessitate Charitatis est, ut etiam ad inimicos signa, et effectus dilectionis ostendamus. =

Sed Contra est quod Math. 5. super illud, benefacite his qui oderunt vos. dicit Glossa quod benefacere inimicis est cumulus perfectionis. Sed id quod pertinet ad perfectionem Charitatis, non est de Necessitate ipsius: ergo non est de Necessitate Charitatis, quod aliquis signa, et effectus dilectionis inimicis exhibeat. =

Respondeo Dicendum quod effectus, et signa Charitatis ex interiori dilectione procedunt, et ei proportionantur. Dilectio autem interior ad inimicum in communi quidem est de necessitate praecepti absolute, in speciali autem est, non absolute, sed secundum praeparationem Animi, ut supra dictum est. Sic ergo dicendum est de affectu, et signa dilectionis exterius exhibendo. Sunt enim quaedam signa, vel beneficia dilectionis quae exhibentur proximis in communi: puta cum aliquis orat pro omnibus fidelibus, vel pro toto populo, aut cum aliquod beneficium impendit aliquis toti communitati. Et talia beneficia, vel dilectionis signa inimicis exhibere, est de necessitate praecepti. Si enim non exhiberentur inimicis hoc pertineret ad livorem vindictae. Contra id quod dicitur Levitic. 19. Non quaeres ultionem, et non eris memor injuriae civium tuorum. Alia vero sunt beneficia, vel dilectionis signa, quae quis exhibet particulariter aliquibus personis, et talia beneficia, vel dilectionis signa inimicis exhibere, non est de Necessitate salutis, nisi secundum praeparationem Animi, ut scilicet subveniatur eis in articulo Necessitatis: secundum illud Proverb. 25. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, da illi potum. Sed quod praeter articulum Necessitatis hujusmodi beneficia aliquis inimicis exhibeat, pertinet ad perfectionem Charitatis: per quam aliquis non solum cavet vinci a malo, quod necessitatis est, sed etiam vult in bono vincere malum quod est etiam perfectionis: dum scilicet, non solum cavet propter injuriam sibi illatam pertrahi ad odium, sed etiam propter sua beneficia intendit inimicum pertrahere ad suum Amorem. =

Et per hoc patet Responsio ad obiecta. =

Expositio litterae. ~

Utrumque

Utrumque articulum eadem resolutio: utrumque est appendix alterius. Itaque enim resolvit D. Th. Primum est inimicos diligendos non esse formaliter, ut inimicos, hoc enim potius est charitati repugnans, cuius inclinatio essentialis est ad Deum et proximum amicitiam habere, voluntatemque suam divinae in omnibus conformare, Deo autem est valde odibilis inimicitia. Secundum est: Diligendos esse inimicos ut homines et proximos, ita ut inimicitia non sit ratio excludendi eos ab hac communi obligatione, quam ad omnes proximos ex charitate debemus. Tertium est, non teneri in particulari, nos inimicos diligere, sed tantum in casibus quibus ad alios proximos, non inimicos charitas nos obligat, quia non sunt melioris conditionis ex eo quod sint inimici. Ex quo quartum sequitur, scilicet esse de necessitate praecepti charitatis animum paratum habere ad illum in particulari diligendum, et subveniendum, si necessitas occurrerit. Quintum est, esse optimum consilium et de perfectione charitatis extra casum necessitatis inimicum in particulari diligere, idemque proportionabiliter in sequenti articulo resolvit. Signa videlicet, et beneficia dilectionis quae exhibentur proximis in communi debita esse inimicis de necessitate praecepti, signa vero, et beneficia specialia, non esse debita nisi in casu necessitatis; esse tamen de perfectione charitatis. = Ad quorum pleniorem intelligentiam sit. =

Sectio. 5ª. Utrum non tantum in lege evangelica sed etiam in lege veteri sit praeceptum diligendi inimicos.

De praecepto negativo, non odio habendi illum etiam lege naturali certum est prohiberi: nam sicut homicidium est contra naturam rationalem, quia hominem occidit: sic voluntas occidendi, aut quovis alio modo laedendi in quo odium inimicitiae consistit, erit contra hominem, et consequenter contra eius naturam rationalem; cum ergo inimicitia non auferat participationem, et convenientiam in eadem natura, omne odium contra talem naturam erit intrinsece malum, legi naturali adversum. Ait Joann. 6. cap. epistolae 1. qui odit fratrem suum homicida est: ergo si homicidium est contra naturam rationalem, etiam odium quod reducitur ad illud. =

Dices: omni naturae conveniens est conservare seipsam, ac proinde contraria repellere, et odio habere, sicut ovis lupum, et aqua ignem; ergo potius naturale videtur odium istud, quam contra naturam. = Respondet D. Th. art. 8 ad 2. Hoc tantum probari, quod inimicus formaliter ut talis diligi non debeat, sed odio habeatur, non autem ut homo, et membrum Christi quod verum est, non debemus inimicitiam aversari, quia et contra Deum est, et contra nos. =

Loquendo autem de praecepto etiam affirmativo, certa fides est in lege evangelica contineri, esseque de necessitate salutis charitatis dilectionem erga inimicos. Patet ex illo Math. 5. Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, ut sitis filii Patris vestri. Et cap. 6. et Marc. 11. post illa verba Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, subditur: Si non dimiseritis hominibus, nec Pater meus dimittet vobis. Et Math. 18. Sic nec Pater meus dimittet vobis, si non dimiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris. quae omnia verba, manifeste praeceptum continet, siquidem veniam peccatorum nostrorum excludunt. Et filios fore Patris caelestis, si inimicos non remiserimus, imo et ingressum regni caelestis prohibent

Math.

Math. 5. ibi nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum, et Pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum. Unum autem eorum in quo excedere iubet iustitiam nostram est inimicorum dilectio, quam statim proponit. Item ad Rom. 12. Nulli malum pro malo reddentes, sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum. Et 1. Petri 3. non reddentes malum pro malo &c. Job. 31. Si gauisus sum ad ruinam eius qui me oderat, et exultaui quod inuenisset eum malum. =

Docent hanc veritatem Concil. Carthagin. quartum cap. 93. et Agathense cap. 22. et vnanimiter omnes Patres ac Theologi. =

Difficultas tantum est de lege antiqua, An in ea praecepta fuerit haec inimicorum dilectio. In qua mirum est quam acriter se inuicem mordeant aliqui Iuniores, quapropter illos omittens sententias tantum proponam, veritatem quae quam solum curo vbi inuenerim amplectar. =

Fundus Controuersiae aperitur. =

Ratio dubitandi praecipue oritur ex illis verbis Math. 5. Audistis quia dictum est antiquis diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. An in lege veteri continebantur, et Christus illa deprompserit. An vero a Pharisaeis, siue illae interpretantibus legem addita fuerint, et quasi traditio de ore in os illo tempore circumferebantur. =

Prima sententia satis celebris est, Numquam in lege Mosaica permissum fuisse, sed clare prohibitum inimicorum odium, solosque Iudaeorum Doctores prauam illam expositionem induxisse, et ut reprobaret eorum sensum, Christum illa verba praemisisse. Nisi abundauerit ~~iustitia~~ iustitia vestra plusquam Scribarum, et Pharisaeorum, non intrabitis in Regnum caelorum. Non enim dixit, si abundauerit iustitia vestra plusquam iustitiam legis, sed Scribarum, et Pharisaeorum. =

Probatur primo ex verbis illis Christi paulo ante praemissis: Non veni soluere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat caelum, et terra iota vnum, aut vnus apex non praeteribit a lege, &c. Si tamen Christus odium in lege praeceptum reprobaret, et non Pharisaeorum sensum, iam legem solueret, quoad tale praeceptum, et non impleret: cum tamen ipse dicat, nec vnum iota legis praetereundum. Sic argumentatur S. Aug. lib. 19. contra Faustum. Erat enim Manichaeorum sententia legem antiquam aliqua praecepta iniusta continere, quae a Christo fuerunt reprobata quod Aug. confutat dicens, omnia illa quae Christus proposuit, et docuit cum dixit. Ego autem dico vobis: inueniri in lege veteri, licet non ita clare, eaque explicare, et aperire, quia peruersa illorum Pharisaeorum intelligentia corrupta erant. Idque probat ex proprietate illius verbi. Non veni soluere, sed adimplere verba eius sunt. Non itaque sicut Faustus opinatur quaedam Dominus Iesus Christus adimpleuit, quaedam vero soluit &c. Et infra: itaque, vel omnia, vel pene omnia quae monuit, vel praecepit, vbi adiungebat: Ego autem dico vobis. Inueniuntur et in illis veteribus libris. Et tandem: quapropter cum omnia illa excellentia praecepta Domini quae veteribus Hebraeorum libris contraria Faustus volebat ostendere, in eisdem quoque libris inueniantur. Unde venit, Christus legem non soluere, sed adimplere, Dixi et promissorum figuras expleuit quae reddita veritate adimpleret, atque sublatae sunt, ipsa quoque praecepta per quae lex illa sancta, et bona est, non per vetustatem litterae iubentis et per delicta superborum, id est, prauas interpretum expositiones &c. Sed per nouitatem spiritus adiuuantis implentur in nobis. Ipsum etiam secutus est D. Th. postea citandus. =

Confirmatur haec ratio quia si lex antiqua contineret in se odium illud contra inimicos, et alia praecepta in sensu quem Christus corrigit in textu illo cap. 5. Math. non esset bona

Sed

sed iniqua; Nam odium illud est intrinsece malum quod faustus asserebat. Et Beatus Aug. toties viribus impugnat. =

Secundo principaliter Probatur dicta sententia. quia lex noua nullum praeceptum morale addidit legi veteri; ergo praecepta quae Christus addit in capite illo allegato cum dicit: ego autem dico vobis: in lege veteri continebantur, ac proinde tantum reparabat prauas Iudaeorum expositiones. Antecedens est expresse S. Th. 1. 2. q. 107. art. 2. cuius titulus est. Utrum lex noua veterem impleat? Respondetque affirmatiue allegans verba Math. Non veni soluere, sed adimplere. Sua doctrina ait. Adimplevit praecepta legis Christus. Primo quidem verum intellectum legis exprimendo &c. Et in solutione ad 2. Circa odium vero inimicorum removit falsum Phariseorum intellectum &c. Et in art. 3. quaerit. Utrum lex noua in lege veteri contineatur? Et respondet etiam affirmatiue scilicet differre solum legem nouam ab antiqua quantum ad explicitam manifestationem, sed quantum ad ipsam substantiam praeceptorum Noui testamenti omnia continentur in veteri testamento. Allegat Augustinum citatum contra faustum asserentem Christum noua praecepta legi addidisse, et abrogasse antiquam, quod valde ipse Aug. impugnat. =

Quod autem clare prohibeatur in lege veteri inimicorum odium ex Prouerb. 24. ibi: Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, et in ruina eius non exultet cor tuum. et cap. 25. si esurierit inimicus tuus, ciba illum &c. Exodi 23. si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti reducas eum, et si videris asinum odientis te iacere sub onere non pertransibis &c. Contra etiam verba illa: Odio habebis inimicum tuum, nullibi in lege veteri inueniuntur: ergo tantum expositio Pharisaeica, seu falsa traditio est; ideoque illam correxit Christus. =

Secunda sententia cum suis fundamentis

In oppositum alteri contendit verba illa: Oderis inimicum tuum. in lege esse, sicut et multa alia, quae Christus abrogauit, scilicet repudium uxorum quod in lege veteri licebat, non autem in Euangelica nisi ob causam fornicationis. Vicissitudo etiam talionis erat in illa lege, quam Christus abrogat. Math. 5. ergo idem de odio inimicorum dicendum est, a Christo abrogatum fuisse, et si in veteri lege continebatur, simile argumentum fit de illis verbis, quae ex lege proponit Christus. Math. 5. Dictum est, non periurabis: Ego autem dico vobis, non iurare omnino. Nam in lege solum fuerat expressum periurium: ut constat ex Leuit. 19. Christus autem addit, omne genus inutilis iuramenti vitandum esse. =.

Confirmatur. quia negari non potest legem Euangelicam perfectiorem multo esse lege antiqua, illique addidisse multa non tantum in consiliis, sed etiam in praeceptis. Ait enim D. Th. 1. 2. q. 107. art. 1. legem veterem esse puerorum, Christianam autem virorum; quia illa est imperfecta, perfecta haec. =

Probat item tertio ex illis verbis Math. 5. Nisi abundauerit iustitia plus quam Scribarum, et Pharisaeorum. Ubi iustitiam iustitiae comparat, non erroris Pharisaeorum: supponit ergo esse in lege quae ibi tunc abrogat, et deserenda aut corrigenda proponit. Patet que ex textu de repudio, de talione, et de homicidio, de periurio de quibus omnibus eadem verba profert. Audistis quia dictum est antiquis; et postea corrigit, vel addit dicens, Ego autem dico vobis: ergo eodem modo cum agit de inimicorum odio, de eo loquitur qui in lege continebatur, et penitus volebat in lege noua extinguere. =

Denique

Denique plura afert post Patrum testimonia, de quibus postea dicam. =

Tertio, de utraque opinione judicium.

Utraque tamen sententia moderari potest, et in concordiam redigi, si pacabile, et sincere ad solam veritatem attendere velimus. Nam re vera negari non potest aliquod inimicorum odium in lege veteri prohibere, et aliud praecipi. similiter quod Pharisaeorum interpretatione odium prohibitum sub praecepto confundi. Utrumque docent clare D. Th. et S. Aug. quos praecipue in sui patrocinium adducunt. Utriusque sententiae Authores. D. Th. in 1a 2ae. q. citata 107. art. 2. ubi ex professo probat; per legem novam, legem veterem impleri, ideoque praecepta Christi Domini, minime contraria fuisse praeceptis veteris legis (pro quo citat Aug. contra Faustum lib. 19. cap. 16. et 18. et 26. tom. 6.) subdit in solut. ad 2. Circa odium vero inimicorum removit falsum Pharisaeorum intellectum, eos monens, ut persona odio non haberetur; sed culpa: ubi supponit S. Dr. in lege veteri, utrumque contineri, et dilectionem personae, et odium inimicitiae seu culpae. Ideoque sequenti art. 3. ad 2. ait: Praecepta novae legis, dicuntur esse maiora, quam praecepta veteris legis, quantum ad explicitam manifestationem, sed quantum ad substantiam ipsam praeceptorum novi testamenti, omnia continentur in veteri testamento. quae testimonia afert prima sententia ad probandum odium quod prohibebatur in lege, et tacet odium quod praecipitur, cum utrumque D. Th. asserat. =

Similiter S. Aug. cap. 24 contra Faustum, clare totum id confirmat: dicens prius sic apparebit Dominum male intelligentibus, id quod dictum est: oderis inimicum tuum: inferre voluisse, quod omnino non noverant, ut diligerent inimicos suos. Utrumque autem quomodo servandum sit longum est disputare &c. Et utrumque in lege contineri supponit, concludit tandem. Audito igitur, et non intellecto, quod antiquis dictum erat, oderis inimicum tuum, ferebantur omnes in hominis odium, cum deberent non odisse nisi vitium. Hos corrigit Dominus dicendo: diligite inimicos vestros, atqui iam dixerat, non veni solvere legem, sed adimplere. Ideoque de odio inimici, quod scriptum est in lege, non solverat praecipiendo utique, ut diligamus inimicos, sed cogit nos intelligere quonam modo possemus unum, eundemque hominem, et odisse propter culpam, et diligere propter naturam. quid clarius? =

Continetur praeterea manifeste in lege, et dilectio, et odium inimici. Primum in locis citatis a prima sententia. Et secundum Deuter. 20. 16. ubi dicitur de his autem civitatibus quae dabantur tibi, nullam omnino permittes vivere, sed interficies in ore gladii. Hethaeum videlicet, et Amorrhaeum &c. Et v. 10. et alibi: sed odium illud non privatum intelligi debebat, ut similiter Pharisaei attendebant, sed de odio hostium Populi Israelitici, qui etiam contra Deum pessimi peccatores erant, eosque graviter Deus punire voluit. Nec contra omnes inimicos dedit Deus Judaeis ius eos interficiendi in ore gladii. Sed solum in speciali contra illas nationes, quae Populo Dei obsistebant, et pacem nolebant, ut constat ex citato capite. v. 10. si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem, si receperit, et aperuerit tibi portas, cunctus Populus, qui in ea est salvabitur, et serviet tibi sub tributo, sin autem foedus inire noluerit, et ceperit contra te bellum, oppugnabis eam &c. fuerunt denique septem illae nationes quas Scriptura commemorat. figura septem capitalium vitiorum, quibus mens nostra valde expugnatur; ideoque iustissime voluit Deus tam in figura, quam in re figurata ad vindictam malefac-

torum

torum, laudem vero bonorum bellum hoc instituere. =

Oppositis Argumentis satisfit.

Ex dictis infero, legale odium non fuisse abrogatum a Christo Domino, ut aliqui aiunt, sed tantum odium privatum personae, quod in lege veteri prohibebatur in dilectione scilicet inimicorum praecepta in locis iam citatis. Opponit quis etiam legale odium fuisse a Christo abrogatum, qui noluit ut Christiani, steterunt iure illo Iudaico, propter peccata infidelitatis expugnent inbaptizatos, ne ut fides armis inducatur, sed sponte, Iudei autem poterant, vicinos, et remotos idolatras oppugnare. =

Sed valde in hoc decipitur. Nam sermo Christi tantum est de odio privato in personam. ait enim, diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus, et calumniantibus vos. Et paulo ante: ego autem dico vobis, non resistere malo, sed si quis te percusserit in dextera maxillam tuam, praebe ei et alteram, et ei qui vult tecum iudicio contendere, et tunicam tollere, dimitte ei pallium, Constat autem Christianos ob iustam compensationem iniuriarum, aut defensionem, imo et ob resistentiam praedicandae fidei posse oppugnare infideles. ut iam supra ad Art. 6. quaestionis dixi: ergo sermo Christi solum de odio privato procedit. Nec ius illud Iudeis concessum fuit propter peccata infidelitatis praecise, vel ad fidem armis introducendam, sed solum quia voluit Deus, et tamquam Iudex, et tamquam universalis Dominus, punire gentes illas flagitiosissimas, et earum possessiones populo suo electo largiri, et subiugare propter figurandam etiam Ecclesiam suam futuram, nec non spiritualia bella cuiuscumque animae cum hostibus suis, ut iam dixi. =

Ex quo ulterius infero legem illam, quomodocumque consideretur, non fuisse abrogatam, sed impletam, sicut omnia caeremonialia, et figurae illius legis cessaverunt, non per abrogationem, sed per impletionem, erant enim quasi praedictiones propheticae futurorum, quae impletae sunt veritate adveniente. ut docet S. Th. citatus art. 2. q. 107. legem scilicet novam et Christum implere, quod lex vetus verbis, et figuris promittebat. praesertim in solutione ad primum egregie explicat, quomodo si lex vetus post adventum Christi observaretur seipsam falsificaret, quia promissio rei ut futurae, falsa redditur postquam iam est praesens. =

Sed urget secunda opinio cum suis fundamentis, quibus contendit in multis abrogatam veterem legem. Sed si Aug. et D. Th. citatus art. 2 et praecipue in solutione ad 2m. ad omnia respondent nihil videlicet legi veteri contrarium Christum statuisse, sed potius quomodo tutius, et integrius servaretur. quod enim attinet ad repudium uxorum (ait D. Th.) lex non praecepit, ut qui voluerit, dimittat uxorem, sed potius nolebat uxorem a viro dimitti, sed ne illas interficerent, statuit lex moram illam scribendi libellum repudii qua fortasse animus refractus absisteret. quod amplius exposuit Iesus Math. 19. et Marc. 10. dicens. Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic. Idem etiam accidit in prohibitione talionis; taxavit enim lex modum vindictae, ut non procederetur ad immoderatam vindictam, sed via iuridica posset quis petere coram iudice iniuriae contra ipsum factae compensationem, quod Christus non abrogavit, nec contrarium praecepit, siquidem nunc in nova lege est licitum; addidit tamen Dominus tamquam consilium ad perfectionem, quod percutienti unam maxillam alteram praebeamus, et con-

tendenti

tendenti in iudicio nobis tunicam tollere, dimittamus ei et pallium, sed non tenemur ad id ex præcepto. =

Ad reliqua obiecta de homicidio, de periurio &c. Respondetur Christum non addidisse nova præcepta illis in lege contentis, sed explicuisse etiam actus interiores, et media inducentia ad occisionem, aut periurium, aut quid simile comprehendi sub eadem prohibitione, quinimo et pericula incidendi in talia obiecta prohibita, ideoque consuetudo iurandi in quavis alia materia valde disponit ad periurium &c. =

Ad confirmationem fateor legem evangelicam perfectiorem lege veteri, sed propter consilia, et præcepta sacramentorum, figurarum impletionem, et legislatorem Christum non autem propter moralia præcepta legi veteri addita: nam decalogus Moysi ~~...~~ Dei dilectio et proximi in suis tabulis clarissime omnimodam perfectionem iure continebant. =

Ad ultimum constat ex dictis, quomodo inimicorum odium in lege contineatur, et a Christo exponatur. Appellavit autem Christus iustitiam Pharisæorum, ipsam legis doctrinam prout admixtam permissionibus dictis, et pravis expositionibus. =

Allegant tandem aliqui Patres asserentes permissum in lege inimicorum odium, sicut, et repudium &c. verum non potest esse sermo, nisi de odio privato; nam odium hostile seu bellicum expresse fuit præceptum. Sic loquitur Aug. tom. 4. lib. 1o. de serm. Domini in monte cap. 21. ubi ait: Nec quod in lege dictum est: oderis inimicum tuum, vox iubentis iusto accipienda est, sed permittentis infirmo. Sed cum constet iam ex locis dictis, et ex innumeris quæ brevitatis causa omitto, de mente Aug. et S. Th. illum aliter intelligentis, non est multum curandum de uno verbo obiter dicto; nam et respondere quæstioni in omni sensu, et in omni opinione, aut in lege non præcipi odium inimici, quantum ad naturam, sed solum, sed solum quantum ad vitium, vel si aliquo modo tale odium in alio sensu in lege contineatur, non sub præcepto cadit, sed sub permissione, sicut de repudio uxorum dictum est. Cæteri Patres, vel loquuntur de odio hostili, vel de odio culpæ, in quibus referendis prolixum esset immorari. Nec attigerunt ex professo hanc difficultatem.

Sectio 6. Ad quantum se extendi debeat hæc inimicorum dilectio.

Quid inimicis exhibendum sit, si integre servemus hoc dilectionis præceptum, adequate satis, etsi non obiter resolvit D. Th. in doctrina art. etc. de quo late summistæ tractant, ideoque quantum breviter possim thomisticam doctrinam elucidabo. Sit ergo primum principium in hac materia, ex quo cæteri casus resolvi possunt: inimicis non debetur, nisi generalis dilectio, quæ cæteris non inimicis debita est. Primum verbum generalis explicatur per posterius, quæ cæteris non inimicis debita est, vel ipse si inimicus non esset, unde nomine generalis dilectionis, non solum intelligenda est, quæ debetur omnibus eandem participantibus hominis naturam, aut sub legibus gratiæ, in eadem Ecclesia militantibus, sed etiam aliis specialibus titulis, consanguinitatis videlicet, collegii, professionis, eiusdem status religiosæ, et similibus. Ratio fundamentalis est, quia inimicitia, licet non sit ratio diligendi, debet non esse ratio excipiendi inimicum a communibus beneficiis, aut signis amoris, vel societatis, quæ aliis non inimicis debentur, et ipsi etiam, si inimicus non esset. =

Ex quo

Ex quo infero primo. quod non quia inimicus est, debeo illi praestare, aliquod amoris specialis affectum, vel signum, alterius non debitum, aut ipsi si inimicus non esset; quia inimicitia non facit illum melioris conditionis. Solum per accidens propter vitandum scandalum aut praesumptionem odii, quae ex aliqua omissione prudenter existimari potest, vel propterea fomitem, et affectum odii reprimendum, tenebitur ex praecepto ad aliquam specialem demonstrationem cum illo faciendam. Multa enim de se licita sunt, quae tamen propter scandalum aut aliud inconveniens per accidens adveniens, omitti debent, sicut quaevis alia actio de se honesta, quae ex prava vitiatur circumstantia. =

Secundo infero, licite posse aliquem inimico negare specialia beneficia, aut amoris signa, etiamsi ex illius inimicitia, motivum accipiat, ita ut in corde suo dicat: conferrem illi hoc beneficium si inimicus non esset, sed nolo, quia inimicus meus est. Ratio est. quia subtractio indebiti beneficii ex se non est illicita respectu inimici, cui non debemus amplius tribuere quia inimicus est: Principium supra positum solum prohibet quod excludamus inimicum a beneficiis, aut signis aliis debitis; non aliis quae debita non sunt. =

Abutuntur tamen aliqui hac doctrina, dicentes quod quando beneficia non sunt debita toti communitati, sed gratuita, potest licite ab illis excludi inimicus. Sed oppositum testimonium S. Th. hic Cajet. Suar. Bañes, et innumeri alii. Ratio est clara. quia licet ex se illa beneficia debita non sunt, ex suppositione tamen, quod toti communitati fiunt, redduntur debita, singulis membris illius, quibus debent esse communia omnia bona totius corporis =

Quod confirmatur. Nam multa gratis fiunt, et sine ullo debito quae tamen ex hypothesi quod fiant, fieri debent servato ordine rationis et charitatis. v.g. non teneor recitare, si tamen recitare velim, debeo, cum attentione ex praecepto recitare. Si audio sacrum die non praecepto, debeo reverenter, et cum silentio ibi assistere. Si invitem gratis proximum ad prandium, debeo eum decenter tractare, secundum dignitatem eius, alioquin non leviter eius honori derogo: similiter in potestate legislatoris est legem abrogare, aut non ferre, ex suppositione tamen quod illam condit, aut permanere vult erga totam communitatem, non potest absque ulla causa aliquem ex illa excipere; quia est deordinatio monstruosa in genere moris membrum aliquod sine causa a bonis totius corporis excludere: ergo ex suppositione quod toti collegio v.g. aut communitati prandium, aut beneficium aliud gratuitum conferre velim non possum licite inimicum ab eo excipere. =

Omitto quod regulariter, et fere semper intervenit scandalum, quia etiamsi non interveniret per se oritur obligatio singulis ex tali suppositione: cuius signum est quod semper graviter offenditur, qui sic excipitur, et in communi omnium aestimatione contemnitur, ac laeditur eius authoritas. =

Confirmatur. quia cum aliquis intra se orat pro omnibus in communi, si exciperet inimicum, quis dubitat quod talis oratio valde displiceret Deo: est ergo de necessitate praecepti semper id facere, etsi scandalum non adsit, ut docet expresse hic D. Th. quod intellige quando indivisibiliter pro omnibus quis orat, nam si pro singulis oret etiam si omnibus recenseat, et non inimicum, non tenetur illi speciali attentione et labore illud beneficium conferre. =

Quid de salutationibus, aut similibus signis externis.

Infertur.

Infertur tertio, salutationem, allocutionem, aut similia signa, tunc inimicis deberi, quando in eis occurrit eadem ratio propterquam alijs deberentur, vel ipsi si inimicus non esset; ideoque ex debito respectu aliorum id discernendum est, conversatio autem, aut salutatio, non est omnibus debita, ut de se patet, et ex communi omnium consuetudine, qua innumeras personas insalutatas praetergredimur. Et tamen debita iis qui sunt valde coniuncti, vel naturali vinculo consanguinitatis, vel affinitatis, vel quia sunt viri nobiles invicem noti, aut necessitudine aliqua consociati. Unde signa huiusmodi sunt ex charitatis praecepto, etiam inimicis debita: quia eorum omissio [illegible] augmentum inimicitiae, indicaturque sic semper inter viros prudentes, reputaturque communiter pro iniuria, et contemptu, dilataturque ex hoc magis ac magis odium, novaque obstacula, et difficultates concordiae et paci opponuntur. =

Excipiunt tamen communiter omnes Patrem aut Praelatum aut superiorem ab hac obligatione, qui in poenam iustam propter authoritatem quam habent ad puniendum, poterunt publice subtrahere haec dilectionis signa, imo et demonstrationem iustae indignationis inimico ostendere; similiter inter aequales non statim condemnari debet is qui non odij affectu salutationem, aut quid simile negat, sed ut manifestet iustam iniuriae illatae aestimationem, et ad eius satisfactionem alterum inducat, vel ut saltem eius culpam cognoscat, gravamenque ipsi illatum. =

~ De odio inimicitiae ut talis est. ~

Ex quo rursus quarto infertur, quod cum licitum nobis sit odium inimicitiae, dum persona diligatur, possumus iniuriam repellere, dum intentatur etiam vi et cum damno alterius, si alia ratione damnum proprium imminens evadere non possumus. Quinimo si mihi, aut Reipublicae ruina, aut grave damnum immineat, possum illi mortem a Deo precari, aut desiderare, sub conditione tamen, quod eius correctio non speretur; quia defensio propria semper est licita, praeferenda tamen est ea quae sine offensione inimici sit possibilis, solumque eius detrimentum licebit, quando aliud medium non est possibile. =

Ex hac doctrina aliqui inferunt, posse quempiam, post acceptam iniuriam quaerere compensationem illius, etiam cum alterius detrimento, licet non propria, sed iudicis authoritate. Dum tamen non livore vindictae, sed quatenus malum suum avertit, et in bonum ipsius cedit, id intendet. Sed distinguendum est de iniuria illata, et de damno ex ea resultante in divitijs, honore, aut alio simili bono, quod restitui possit, et in utilitatem cedere personae offensae. De compensatione damni illati, non est dubium, quod si possum illud avertere ne fiat, etiam cum detrimento alterius, potero, et illud repellere quoad eius continuationem, eiusque restitutionem, qua via possim exigere, imo et occulta compensatione uti, si authoritate iudicis non possim, et iniuria sit in pecunijs aut simili aut simili materia. At si nullum aliud damnum sit praeter iniuriam, cuius satisfactio in utilitatem personae offensae redundet, sed tantum in malum aut supplicium personae offendentis, tenetur eam gratis condonare, vel saltem non petere coram iudice eius satisfactionem. =

Neque valet dicere quod zelo iustitiae id facit, ne vitia maneant impunita, et non propter vindictam, quia id non poterit ipse discernere, nec illi nisi iudici aut personae publicae id incumbit, et sicut circa aliorum iniurias non experitur iste zelum suae iustitiae, sic credere

debet

debet circa propriam offensam magis moveri ex vindicta quam ex zelo iustitiae; saltemque exponi manifesto periculo charitatem fraternam violandi, scandalumque aliis praebendi, quia nemo sibi persuadebit illum non esse ultionis appetitum.=

Denique hoc confirmatur ex verbis illis Math. 6. et Marc. 11. Si non dimiseritis hominibus, nec Pater meus dimittet vobis. Et Math. 18. Sic nec Pater meus dimittet vobis, si non dimiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris. Sed ille talis qui coram iudice compensationem suae iniuriae petit, non dimittit illam, sed sub iustitiae praetextu eius compensationem expetit. Dicere autem quod dimittit quantum est ex parte sua, et quantum vero ex parte iustitiae postulat eius punitionem, est verbis praeceptum illudere. Quis constituit eum iudicem, aut iustitiae ministrum, vel accusatorem?=

Respondent aliqui triplicitur iniuriam posse remitti. Primo ut animus pacatus sit absque omni odio, et in vera charitate erga proximum persistens. Secundo ut dimittatur compensatio iniuriae. Tertio, ut remittatur ius agendi contra laedentem in iudicio, et petendi eius punitionem. Ex primo modo iniuriam dimitti posse etsi secundo et tertio modo non dimittatur, sed in casu dicto quod nulla utilitas personae offensae accrescat, petere in iudicio praecisam laedentis punitionem, moraliter intelligi non potest in animo pacato, et in vera charitate erga proximum persistente; nisi addatur aliud motivum praeter zelum iustitiae, scilicet, quia aliter est manifesto mortis periculo expositus, si inimicus eius dimittatur, aut saltem exilio non mulctetur. In quibus aut similibus casibus poterit ob suam defensionem ut dictum est.=

Colligitur quinto, teneri quemlibet petenti ~~[illegible]~~ remissionem iniuriae, et alias non potenti restituere damnum illatum, et veniam condonare, non admittendo illum ad familiaritatem pristinam, sed deponendo odium, et ostendendo se alteri iam placatum. Excipiendi tamen sunt fratres, et speciali vinculo iuncti, qui familiariter se invicem tractare tenentur in quibus remissio iniuriae intelligi nequit sine ~~[illegible]~~ reditu ad familiaritatem debitam, solumque excusari poterit non debita, vel quod non sit tanta sicut antea, occasionem ex aliquibus occupationibus, aut impedimentis accipiens ad se excusandum, ita ut supposito inimicitiae aut odii permanentis tollatur.=

Quaeres quando mutuo ambo se offenderunt, quis eorum teneatur prius veniam petere, et alteri reconciliationem accipere.= Communiter summistae respondent, expendi debere in hac re circumstantias, et qualitates personarum. Qui prior dedit occasionem tenetur prius veniam postulare; nisi gravitas iniuriae alterius sit longe maior, quia tunc ille tenebitur prius satisfacere, si iniuria sit aequalis, inferior tenebitur se anticipare. Si inaequalitas iniuriarum, ut inter praelatum et subditum, inter dominum, et servum, tenetur inferior et si magis laesus. Debet autem Princeps, si graviter excessit, aut Dominus, saltem per amicum, inferiori satisfacere.=

Alios casus omitto, quia ex principio supra posito, facile resolvi possunt.=

Art. 10 Utrum debeamus Angelos ex charitate diligere.

Ad

Ad decimum sic proceditur. Videtur quod Angelos ex charitate non debeamus diligere. Ut enim Aug. dicit in lib. de doctrina Christiana. Gemina est dilectio charitatis, scilicet Dei, et proximi, sed dilectio Angelorum non continetur sub dilectione Dei, cum sint substantiae creatae: nec etiam videtur contineri sub dilectione proximi, cum non communicent nobiscum in specie: ergo Angeli non sunt ex charitate diligendi. =

2o. Praeterea. Magis conveniunt nobiscum bruta animalia, quam Angeli. Nam nos et bruta animalia sumus in eodem genere propinquo, sed ad bruta animalia non habemus charitatem, ut supra dictum est: ergo etiam neque ad Angelos. =

3o. Praeterea. Nihil est ita proprium amicorum, sicut convivere. ut dicitur in 8 Ethic. Sed Angeli, non conviuunt nobiscum, nec etiam eos videre possumus: ergo ad eos charitatis amicitiam habere non valemus. =

Sed contra est, quod Aug. dicit in 1o de doctrina christiana. Jam vero, si vel cui praebendum a nobis est, vel a quo nobis praebendum est officium misericordiae, recte proximus dicitur: manifestum est, praecepto quo iubemur diligere proximum, etiam sanctos Angelos contineri, a quibus multa nobis misericordiae impenduntur officia. =

Respondeo Dicendum quod amicitia charitatis, sicut supra dictum est, fundatur super communicatione beatitudinis aeternae, in cuius participatione communicant cum Angelis homines. Dicitur enim Math. 22. quod in resurrectione erunt homines, sicut Angeli in Caelo. Et ideo manifestum est, quod amicitia charitatis, etiam ad Angelos se extendit. =

Ad primum ergo dicendum quod ~~amicitia charitatis, sicut supra~~ proximus non solum dicitur communicatione beneficiorum pertinentium ad vitam aeternam, super qua communicatione amicitia charitatis fundatur. =

Ad secundum Dicendum quod bruta animalia, conveniunt nobiscum in genere propinquo, ratione naturae sensitivae, secundum quam non sumus participes aeternae beatitudinis, sed secundum mentem rationalem, in qua communicamus cum Angelis. =

Ad Tertium Dicendum quod Angeli, non conviuunt nobis exteriori conversatione, quae nobis est secundum naturam sensitivam: Convivimus tamen Angelis secundum mentem, imperfecte quidem in hac vita, perfecte autem in patria, sicut et supra dictum est.

Expositio litterae.

Conclusio est affirmativa, nam licet Angeli valde distent in natura, conveniunt nobiscum in gratia, quae est participatio naturae Divinae, et constituit illos, sicut et nos filios Dei, et consequenter fratres, et concives regni caelestis, in quo maxime charitatis amicitia fundatur. Solum potest esse dubium, an teneamur ex praecepto affirmativo eos diligere, et quando obliget? nam ratio posita solum probat posse ex charitate diligi, sed cum Angeli non conviuant nobiscum, nec eos videre possimus, non apparet quomodo ad illos amicitiam habeamus. =

Propter hoc Soc. Baca, et alii dicunt, non esse praeceptum obligans diligere Angelos. Sed Beatus Aug. quem citat S. Th. in argumento sed contra aperte significat, etiam ad Angelos extendi dilectionis praeceptum. Ait enim 1o de doctrina christiana c. 3. Jam vero si vel cui praebendum a nobis est, vel a quo nobis praebendum est officium misericordiae, recte

proximus

dicitur. Manifestum est, præceptô quo iubemur diligere proximum etiam sanctos Angelos contineri, a quibus multa nobis misericordiæ impenduntur officia. quapropter etiam ex præcepto tenemur eos diligere in occasionibus quæ se offerunt illis honorem exhibendi, ad eosque recurrendi in nostris necessitatibus, et tribulationibus, eis que gratificandi custodiam, illustrationes, cætera que beneficia quæ quotidie ab eis accipimus, sicque eos veneratur Ecclesiasticis orationibus, et sacrificijs publicis, ut nobis eos venerandos, et obsequendos proponat. nec potest sine magna ingratitudinis nota hæc illorum omitti dilectio, licet aliquos fiet ignorantia, aut inadvertentia plures excuset a mortali. Nec obstat huic, quod eos non videamus aut sensibiliter tractemus, sic nec ad eum charitas obligaret, satis est nobis fides, quam charitas naturaliter comitatur, eiusque ductum sequitur. =

Art. 11. Utrum Dæmones debeamus ex charitate diligere

Ad undecimum sic proceditur. Videtur quod Dæmones ex charitate debeamus diligere. Angeli enim sunt nobis proximi inquantum communicamus cum eis in rationali mente. sed etiam Dæmones communicant nobiscum sic, quia data naturalia in eis, manent integra, scilicet esse, vivere, et intelligere. ut dicit Dionys. in 4. cap. de Divin. nominib. ergo debemus dæmones ex charitate diligere. =

2º Præterea, Dæmones differunt a Beatis Angelis, differentia peccati, sicut et peccatores homines a iustis, sed iusti homines ex charitate diligunt peccatores: ergo etiam ex charitate debent diligere Dæmones. =

3º Præterea, ~~Dæmones differunt a Beatis Angelis~~ illi a quibus beneficia nobis impenduntur, debent a nobis ex charitate diligi, tamquam proximi, sicut patet ex auctoritate Aug. supra deducta; sed dæmones nobis, in multis sunt utiles dum nos tentando, nobis coronas fabricant. sicut Aug. dicit 11. de civitate Dei: ergo dæmones sunt ex charitate diligendi. =

Sed contra est quod dicitur Isaiæ 28. delebitur fœdus vestrum cum morte, et pactum vestrum cum inferno non stabit, sed perfectio pacis, et fœderis est per charitatem: ergo ad Dæmones qui sunt inferni incolæ, et mortis procuratores, charitatem habere non debemus. =

Respondeo dicendum quod sicut supra dictum est in peccatoribus ex charitate debemus diligere naturam, peccatum autem odire. In nomine autem Dæmonis, significatur natura peccato deformata: et ideo Dæmones ex charitate non sunt diligendi. Si tamen fiat vis in nomine, et quæstio referatur ad illos spiritus, qui Dæmones dicuntur utrum sint ex charitate diligendi; respondendum est secundum præmissa quod aliquid ex charitate diligitur dupliciter. uno modo, sicut ad quem amicitia habetur. et sic ad illos spiritus charitatis amicitiam habere non possumus. pertinet enim ad rationem amicitiæ, ut amicis nostris bonum velimus, illud autem bonum vitæ æternæ, quod respicit charitas, spiritibus illis a Deo æternaliter damnatis, ex charitate velle non possumus, hoc enim repugnat charitati Dei, per quam eius iustitiam approbamus. Alio modo diligitur aliquid, sicut quod volumus permanere, ut bonum alterius, per quem modum ex chari-

tate

tate diligimus irrationales creaturas, in quantum volumus eas permanere ad gloriam Dei, et utilitatem hominum ut supra dictum est. Et per hunc modum, et naturam Demonum etiam ex charitate diligere possumus, in quantum scilicet volumus illos spiritus in suis naturalibus conservari ad gloriam Dei =

Ad primum ergo dicendum quod mens Angelorum non habet impossibilitatem ad æternam Beatitudinem habendam, sicut habet mens Demonum. Et ideo amicitia charitatis, quæ fundatur super communicatione vitæ æternæ magis quam super communicatione naturæ, habetur ad Angelos, non autem ad Dæmones =

Ad secundum dicendum quod homines peccatores in hac vita habent possibilitatem perveniendi ad Beatitudinem æternam: quod non habent illi, qui sunt in inferno damnati; de quibus quantum ad hoc est eadem ratio, sicut et de Dæmonibus =

Ad tertium dicendum quod utilitas quæ nobis ex Dæmonibus convenit, non est ex eorum intentione, sed ex ordinatione Divinæ providentiæ. Et ideo ex hoc non inducimur ad habendum amicitiam eorum, sed ad hoc quod simus Deo amici, qui eorum perversam intentionem convertit in nostram utilitatem =

Expositio litteræ

Negat absolute ex charitatis amicitia, diligendos esse, quæ assertio etiam de hominibus damnatis intelligenda est propter paritatem rationis, quia non possumus illis velle bonum vitæ æternæ, quod principaliter respicit charitas, nam illis est a Deo æternaliter denegatum. Consistit præterea præcipua charitatis ratio in hoc quod est habere cum Deo idem velle, et nolle eosdem amicos, et inimicos, ut habetur suo loco dictum est: sed Dæmones sunt inimici Dei, obstinati perseverantes in suo peccato, a Deoque penitus derelicti, et odio habiti: ergo minime licet ad eos amicitiam habere =

Solum ex concupiscentia addit S. Th. possunt ex charitate diligi, ad modum quo creaturæ irrationales, quatenus ad Dei gloriam, hominumque utilitatem et meritum valde conducere possunt, et quatenus in illis splendet maxime Divina sapientia et iustitia. affectu etiam simplici, et inefficaci poterit quis displicere de eorum damnatione, et quod tam pulchra natura tam misere, et irreparabiliter perdita fuerit, sic quo etiam patris, vel amici perditionem aversari: nam hæc voluntas inefficax etiam in Deo erga damnatos invenitur, cui conformari in omnibus charitas non inclinat =

Art. 12. Utrum convenienter enumerentur quatuor ex charitate diligenda. Scilicet Deus, Proximus, Corpus nostrum, et nos ipsi.

Ad duodecimum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter enumerentur quatuor ex charitate diligenda, scilicet Deus, proximus, corpus nostrum et nos ipsi. Ut enim Aug. dicit super Ioann. qui non diligit Deum, nec seipsum diligit. In Dei ergo dilectione includi-

tur

dilectio sui ipsius. Non ergo est alia dilectio sui ipsius, et alia dilectio Dei. =

2º Præterea, Pars non debet dividi contra totum, sed corpus nostrum est quædam pars nostri. Non ergo debet dividi quasi aliud diligibile corpus nostrum a nobis ipsis. =

3º Præterea, Sicut nos habemus corpus, ita etiam proximus, sicut ergo dilectio qua quis diligit proximum, distinguitur a dilectione, qua quis diligit ~~proprium~~ corpus suum. Non ergo convenienter distinguuntur quatuor ex charitate diligenda. =

Sed contra est quod Aug. dicit in 1º de doctrina christiana. quatuor sunt diligenda: unum quod supra nos est, scilicet Deus: alterum quod nos sumus: tertium quod iuxta nos est; scilicet corpus proprium. =

Respondeo Dicendum quod sicut dictum est, amicitia charitatis super communicatione Beatitudinis fundatur: in qua quidem communicatione, unum quidem est quod consideratur, ut principium influens Beatitudinem, scilicet Deus. Aliud est Beatitudinem directe participans, scilicet homo et Angelus. Tertium autem est id ad quod per quandam redundationem Beatitudo derivatur, scilicet corpus humanum. Id quidem quod est Beatitudinem influens, est ea ratione diligibile, quia est Beatitudinis causa. Id autem quod est Beatitudinem participans, potest esse duplici ratione diligibile, vel quia est unum nobiscum, vel quia est nobis consociatum in Beatitudinis participatione: et secundum hoc sumuntur duo ex charitate diligibilia, prout scilicet homo diligit, et seipsum, et proximum. =

Ad Primum ergo Dicendum quod diversa habitudo diligentis ad diversa diversa diligibilia, facit diversam rationem diligibilitatis. Et secundum hoc, quia est alia habitudo hominis diligentis ad Deum, et ad seipsum: propter hoc ponuntur duo diligibilia, cum dilectio unius sit causa dilectionis alterius. Unde ea remota, alia removetur. =

Ad secundum Dicendum quod subiectum charitatis est mens rationalis, quæ potest esse Beatitudinis capax, ad quam corpus directe non attingit, sed solum per quandam redundantiam, et ideo homo secundum rationalem mentem quæ est principalis in homine alio modo se diligit secundum charitatem, et alio modo corpus proprium. =

Ad Tertium Dicendum quod homo diligit proximum, et secundum animam, et secundum corpus, ratione cuiusdam sociationis in Beatitudine. Et ideo ex parte proximi est una tantum ratio dilectionis. Unde corpus proximi non ponitur speciale diligibile =

Expositio litteræ

Reduxit S. Aug. in 1º de Doctrina christiana tom. 3. omnia charitatis obiecta ad quatuor capita. Deum scilicet, nos, proximum, et proprium corpus. quam divisionem approbat D. Th. et reprobat Durandus, leviter tamen, nam explicui iam ad art. 4. diversam difficultatem quam addit dilectio proprij corporis, supra animæ dilectionem. Nec est eadem ratio de corpore proximi, ac nostri, ut quintum membrum constituat: corpus proprium est quod rationi adversatur, et odio haberi debet, quatenus amorem proprium excitat, non autem corpus alienum proximi. =

~ Quæstio 26. de ordine charitatis ~

~ Disputatio 43. super hanc quæstionem ~

Art. 6. Utrum in Charitate sit ordo.

Ad Primum sic proceditur. Videtur quod in Charitate non sit aliquis ordo. Charitas enim est quaedam virtus, sed in aliis virtutibus non assignatur aliquis ordo: ergo neque in Charitate aliquis ordo assignari debet.

2º Praeterea, sicut fidei obiectum est prima veritas, ita Charitatis obiectum est summa bonitas, sed in fide non ponitur aliquis ordo, sed omnia aequaliter creduntur: ergo nec in Charitate debet poni aliquis ordo.

3º Praeterea, Charitas in voluntate est, ordinare autem non est voluntatis, sed rationis: ergo ordo non debet attribui Charitati.

Sed contra est quod dicitur Cant. 2. Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me Charitatem.

Respondeo Dicendum quod sicut Philosophus dicit in 5. Methaph. Prius et posterius dicitur secundum relationem ad aliquod principium. Ordo autem includit in se aliquem modum prioris et posterioris. Unde oportet quod ubicumque est aliquod principium, ordo ~~autem~~ ~~...~~ aliquis sit etiam. Dictum autem est supra quod dilectio Charitatis tendit in Deum sicut in principium Beatitudinis, in cuius communicatione Amicitia Charitatis fundatur, et ideo oportet quod in his quae ex Charitate diliguntur, attendatur aliquis ordo secundum relationem ad primum principium huius dilectionis, quod est Deus.

Ad Primum ergo Dicendum quod Charitas tendit in ultimum finem sub ratione finis ultimi, quod non convenit alicui alii virtuti, ut supra dictum est. Finis autem habet rationem principii in appetibilibus, et in agendis, ut ex supra dictis patet. Et ideo Charitas maxime importat comparationem ad primum principium. Et ideo in ea maxime consideratur ordo secundum relationem ad primum principium.

Ad Secundum ergo Dicendum quod fides pertinet ad vim cognoscitivam, cuius operatio est, secundum quod res cognitae sunt in cognoscente. Charitas autem est in vi affectiva cuius operatio consistit in hoc, quod anima tendit in ipsas res. Ordo autem principalius invenitur in ipsis rebus, et ex eis derivatur ad cognitionem nostram. Et ideo ordo magis appropriatur Charitati, quam fidei, licet etiam in fide sit aliquis ordo, secundum quod est principaliter de Deo: secundario autem de aliis quae referuntur ad Deum.

Ad Tertium Dicendum quod ordo pertinet ad rationem sicut ad ordinantem, sed ad vim appetitivam pertinet sicut ad ordinatam. Et hoc modo ordo in Charitate ponitur.

Expositio litterae.

Conclusio est affirmativa: quia non omnia obiecta illius sunt aeque diligibilia, nec participant aequaliter rationem formalis obiecti Charitatis. Neque in elargitione, et necessitatibus occurrentibus potest regulariter multis subveniri: ideo quae quis cui anteponi debeat, definiri debet, ut Charitas recte ordinata sit. Sed cum iste ordo sit communis aliis virtutibus, statim dubium occurrit, cur de sola Charitate discutiatur. — Respondetur, omissis brevitatis gratia obscurioribus rationibus quod ordo inter primarium et secundarium obiectum in disputatione cuiuslibet virtutis includitur, eo ipso quod declaratur eius prima

rium

rium, et secundarium obiectum; Nam inter primum et secundum est subordinatio et ordo prioris et posterioris. Ordo autem inter obiecta ipsa secundaria in comparatione ad primarium et quod hic specialiter disputetur qui ordo, vel non invenitur in obiectis aliarum virtutum, vel non patitur difficultates, quae indigeant speciali quaestione, et disputatione sicut charitatis obiecta. Utrumque declaro; nam obiecta materialia fidei aequaliter participant rationem formalis obiecti; quia divina veritas et revelatio aeque infallibiliter applicatur quibuscumque obiectis, et aequali certitudine illis assentimur eo quod divinitus revelata sint, nec petit unum prius aut magis credi, quam aliud, si natura fidei physice et essentialiter consideretur, seclusa extrinseca Dei ordinatione, et providentia quae per accidens se habet respectu illius. Ut latius disp. 4. sect. 3. et 4. explicui. At charitatis obiecta non sunt aequaliter amabilia: quia divina bonitas non aeque resplendet in talibus obiectis, nec divina voluntas, cui mititur ipsa charitas, et quam ut finem ultimum respicit, aequaliter creaturas ~~aequaliter~~ diligit, aut amari aestimari vult, ut sectionibus sequentibus constabit. In obiectis autem spei, licet aliquis ordo sit, quo prius, et plus nobis, quam aliis speramus, quo plus beatitudinem essentialem quam accidentalem gloriam animae, quam corpori optamus, totus hic ordo non est diversus ab ordine primarii et secundarii obiecti: Nam ut dixi materia de spe, persona sperans et subiectum, cui primario Deus eiusque fruitio essentialis speratur, beatitudo autem accidentalis propria, et aliorum et corporis gloria ad obiecta secundaria pertinent. Reliqua autem obiectaque ut media ad suum finem assequendum spes optat aequali consideratione et firmitate sperari debent, et si sint necessaria simpliciter ad aeternam salutem aequali appetitu, et conatu amplectenda sunt, omnimodaque animi indifferentia; non attendendo quod aliae sint magis aut minus convenientia propriae inclinationi; si autem tantum utilia sint iam non cadunt sub praecepto spei sed sub consilio et prudentia aliisque virtutibus discernendum est, quid alteri anteponendum sit, principaliusque charitate, quae est primaria regula consiliorum ad perfectionem spectantium. Denique cum charitas respiciat primum et supremum finem qui est primum principium ordinis, ab ea tam quam a prima radice, et forma omnium virtutum derivatur omnis ordo, qui est in aliis virtutibus. =

Art. 2 Utrum Deus sit magis diligendus, quam proximus?

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod Deus non sit magis diligendus quam proximus. Dicitur enim 1. Joann. 4. qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere? Ex quo videtur, quod illud sit magis diligibile quod est magis visibile. Nam et visio est principium amoris. ut dicitur in 9 Ethic. Sed Deus minus visibilis, quam proximus: ergo etiam est minus ex charitate diligibilis. =

2.º Praeterea, similitudo est causa dilectionis, secundum illud Eccles. 13. omne animal diligit simile sibi. Sed maior est similitudo hominis ad proximum suum, quam ad Deum: ergo homo ex charitate magis diligit proximum, quam Deum. =

3.º Praeterea, illud quod in proximo charitas diligit, Deus est. ut patet per Aug. in 1.º de doctrina Christ. Sed Deus non est maior in se ipso quam in proximo: ergo non debet ma-

gis

gis diligi Deus, quam proximus =

Sed contra est, illud magis est diligendum, propter quod aliqua odio sunt habenda, sed proximi sunt odio habendi propter Deum, si scilicet a Deo abducunt: secundum illud Luc 14. si quis venit ad me, et non odit Patrem, et Matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, non potest meus esse discipulus: ergo Deus est magis ex Charitate diligendus, quam proximus =

Respondeo Dicendum quod unaquæque amicitia respicit principaliter id in quo principaliter invenitur illud bonum super cuius communicatione fundatur. Sicut amicitia politica principalius respicit Principem Civitatis a quo totum bonum commune Civitatis dependet: unde etiam ei maxime debetur fides, et obedientia a civibus. Amicitia autem Charitatis fundatur super communicatione Beatitudinis, quæ consistit in Deo essentialiter, sicut in primo principio a quo derivatur in omnes qui sunt Beatitudinis capaces. Et ideo principaliter, et maxime Deus est ex Charitate diligendus. Ipse enim diligitur, sicut Beatitudinis Causa: proximus autem sicut Beatitudinem ab eo simul nobiscum participans =

Ad Primum ergo Dicendum quod dupliciter est ratio diligendi. Et hoc modo bonum est causa diligendi quia unumquodque diligitur, in quantum habet rationem boni. Alio modo, quia est via quædam ad acquirendam dilectionem. Et hoc modo visio est causa dilectionis, non quidem ita quod ea ratione sit aliud diligibile, quia est visibile, sed quia per visionem perducimur ad dilectionem. Non ergo oportet, quod illud quod est magis visibile, sit magis diligibile, sed quod prius occurrat nobis ad diligendum. Et hoc modo argumentatur Apostolus. Proximus enim quia est nobis magis visibilis primo occurrit nobis diligendus. Ex his enim quæ novit animus, discit incognita amare. Ut Greg. dicit in quadam homilia. unde, si aliquis proximum non diligit, arguitur potest, quod nec Deum diligit: non propter hoc quod proximus sit magis diligibilis, sed quia prius diligendus occurrit. Deus autem est magis diligibilis propter maiorem bonitatem =

Ad secundum Dicendum quod similitudo quam habemus ad Deum est prior, et causa similitudinis quam habemus ad proximum, ex hoc enim quod participamus a Deo, id quod ab ipso etiam proximus habet, similes proximo efficimur, et ideo ratione similitudinis, magis debemus Deum, quam proximum diligere =

Ad Tertium Dicendum quod Deus secundum substantiam suam consideratus, in quocumque sit, æqualis est, quia non minuitur per hoc quod est in aliquo. Sed tamen non æqualiter habet proximus bonitatem Dei, sicut habet ipsam Deus. Nam Deus habet ipsam, essentialiter, proximus autem participative =

Art. 3us Utrum homo debeat ex Charitate plus Deum diligere, quam se ipsum.

Ad Tertium sic proceditur. videtur quod homo non debeat ex Charitate, plus Deum diligere, quam se ipsum. Dicit enim Philosophus in 9 Ethic. quod amicabilia quæ sunt ad alterum, veniunt ex amicabilibus quæ sunt ad se ipsum. Sed causa est potior effectu: ergo maior est amicitia hominis ad se ipsum, quam ad quemcumque alium: ergo magis se debet diligere, quam Deum =

2. Praeterea, unumquodque diligitur in quantum est proprium bonum. Sed id quod est ratio diligendi magis diligitur, quam id quod propter hanc rationem diligitur; sicut principia quae sunt ratio cognoscendi, magis cognoscuntur: ergo homo diligit magis seipsum quam quodcumque aliud bonum dilectum. Non ergo magis diligit Deum, quam se ipsum.

3. Praeterea, quantum aliquis diligit Deum, tantum diligit frui eo. Sed quantum aliquis diligit frui Deo, tantum diligit seipsum: quia hoc est summum bonum, quod aliquis sibi velle potest: ergo homo non plus debet ex charitate Deum diligere quam se ipsum.=

Sed contra est, quod Aug. dicit in 1.o de doctrin. Christ. Si te ipsum non propter te debes diligere, sed propter ipsum, ubi dilectionis tuae rectissimus finis est: non succenseat aliquis alius homo, si et ipsum propter Deum diligas. Sed propter quod unumquodque, illud magis. ergo magis debet homo diligere Deum, quam se ipsum. =

Respondeo dicendum quod a Deo duplex bonum accipere possumus, scilicet bonum naturae, et bonum gratiae. Super communicatione autem bonorum naturalium nobis a Deo facta fundatur amor naturalis, quo non solum homo, in suae integritate naturae super omnia diligit Deum, et plusquam seipsum, sed etiam quaelibet creatura suo modo, idest, vel intellectuali, vel rationali, vel animali, vel saltem naturali amore, sicut lapides et alia quae cognitione carent: quia unaquaeque pars naturaliter plus amat commune bonum totius, quam particulare bonum proprium. quod manifestatur ex opere: quaelibet enim pars habet inclinationem principalem ad actionem communem utilitati totius. Apparet etiam hoc in politicis virtutibus, secundum quas cives pro bono communi, et dispendia propriarum rerum, et personarum interdum sustinent. Unde multo magis hoc verificatur in amicitia charitatis quae fundatur super communicationem donorum gratiae. Et ideo ex charitate magis debet homo diligere Deum, qui est bonum commune omnium, quam seipsum: quia beatitudo est in Deo sicut in communi, et fontali principio omnium qui beatitudinem participare possunt. =

Ad primum ergo dicendum quod Philosophus loquitur de amicabilibus quae sunt ad alterum, in quo bonum quod est obiectum amicitiae invenitur secundum aliquem particularem modum, non autem de amicabilibus quae sunt ad alterum in quo bonum praedictum invenitur, secundum rationem totius. =

Ad secundum dicendum quod bonum totius diligit quidem pars, secundum quod est sibi conveniens, non autem ita quod bonum totius ad se referat, sed potius ita quod se ipsam refert in bonum totius. =

Ad tertium dicendum quod hoc quod aliquis velit frui Deo, pertinet ad amorem quo Deus amatur, amore concupiscentiae. Magis autem amamus Deum amore amicitiae quam amore concupiscentiae: quia maius est in se bonum Dei, quam participare possumus fruendo ipso. Et ideo simpliciter homo magis diligit Deum ex charitate, quam se ipsum. =

Expositio litterae. =

Huiusque Articuli resolutio est certa secundum fidem, imo primum Ecclesiae principium in moralibus, primumque decalogi praeceptum, quod Deus sit super omnia diligendus. Deuteronom. 6. Diliges Deum ex toto corde tuo, ex tota mente tua, et ex omnibus viribus tuis. quae verba habentur etiam Matth. 22. Marc. 12. et Luc. 10. vocaturque hoc

a Christo

a Christo primum, et maximum mandatum in lege. Postea subditur. Diliges proximum sicut te ipsum. supponens Deum, diligere debere supra se ipsum. quod et alijs locis expressius constat. Luc. 14. qui non odit Patrem, et Matrem, et uxorem, et filios et fratres, adhuc autem, et animam suam, non potest meus esse discipulus. Et Math. 16. si quis vult venire post me, abneget semetipsum, &c. Et cap. 10. quis amat Patrem, aut Matrem, plusquam me, non est me dignus. Et qui amat filium, aut filiam, super me, non est me dignus. qui invenit animam suam, perdet eam, et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. =

Patet denique ex ratione summi boni, quod debet esse diligibile summe, amore summe appretiativo dignum, et ex ratione obiecti primarij Charitatis, quod est tantum Deus, ac proinde oportet, quod sit primum diligibile, et ratio diligendi cetera, et ex ratione ultimi finis quae soli Deo competit, cui cetera omnia subordinari debent. =

Solum potest esse difficultas, in quo excessus iste dilectionis Dei consistat? Debeat ne plus intensive diligi, vel tantum appretiative. quam diffuse satis disp. 31. sect. 3 et 4. elucidavi, tractans de subiecto primario, nam summa Dei dilectio, et appretiatio, est de intrinseca ratione Charitatis. Ideoque in disputatione de eius essentia, et specificativo commodius discussa fuit. De amore naturali etiam est difficultas non levis. Itaque sit. =

Sectio 1ª. Utrum ex lege naturae homini insit naturalis obligatio diligendi Deum, plusquam se ipsum.

Loquimur de Deo, prout Author naturae est, naturaliter que diligibilis, nam supernaturalis dilectio non potest esse ex inclinatione naturae, sicut nec ex illius virtute. =

Prima sententia docet creaturam rationalem, naturaliter magis inclinari ad propriam dilectionem, et benevolentiam, quam ad Dei amorem. Tribuitur Altisiodorensi lib. 3. sum. tract. 9. cap. 3. q. 1ª. Alensi 3. p. q. 30. membr. 1. Albertus q. 1ª. D. Bonavent. in 3. dist. 29. q. 2ª ad 1um. usque 4. ad argumenta. Illum tamen excusat Lorca. quia solum locutus fuit in sensu quo D. Thom. 1. 2ae q. 109. art. 3. dixit: Sed in statu naturae corruptae homo ab hoc deficit (scilicet a tali Dei dilectione supra se, et super omnia) secundum appetitum voluntatis, propter corruptionem naturae, et sequitur bonum privatum. ubi non ex inclinatione naturae, sed ex corruptione illius asserit, diligere bonum privatum plusquam Deum. =

Cuiuscumque tamen ista sententia sit probatur primo ex Aristotele 9 Ethic. cap. 4. ubi ait. Amicabilia ad alterum orta, ex amicabilibus ad se. Et rursus. Amabile quidem bonum, unicuique autem proprium. Secundo. Quia ex unione oritur inclinatio ad amorem, et in ea fundatur; sed maiorem unitatem naturalem habet quis cum seipso, quam cum Deo; ergo naturaliter plus ad sui amorem inclinatur. =

Quod confirmatur ex D. Th. q. 25. art. 4. ubi ait. quod amor ad se est aliquid maius amicitia. Sed amor ad Deum est amicitia: ergo est minor amore ad se. =
Tertio. Quia si tanta esset inclinatio naturae ad Dei dilectionem, non esset difficile amare Deum super omnia, sicut nec est arduum se diligere, sed oppositum docent Theologi omnes

Quia

quia talis amor, est Contrarius sensualitati, Cui resistere difficillimum est. = Quarto, quia talis maior inclinatio tantum probari posset ex hoc quod Deus sit fons et origo totius esse, ac proinde cum vnusquisque habeat suum esse a Deo, debet eum plus diligere, sed etiam habet quis esse a Parentibus suis, et non propter hoc illos magis, quam se diligit. =

Sequeretur denique, quod homo in peccatum lapsus posset Deum super omnia diligere Naturaliter, quia per peccatum, non sunt naturalia sublata: hoc autem implicat, quia ex suppositione peccati aliquid supra Deum diligeret, in quo peccatum consistit, ergo. =

Comunis sententia anteponitur, et probatur.

Vera tamen est D. Th. sententia, omniumque fere Theologorum. hominem scilicet Naturaliter magis in Dei Amorem, quam in proprium inclinari. quam probat optime noster Cumel. 1ª p. ad q. 60. art. 5. quia charitas perficit dilectionem naturalem, non destruit: sed charitas Deum plusquam se diligit: ergo et Natura quæ non potest esse Charitati contraria. =

Præterea probatur efficaciter ratione qua vtitur S. Th. 1ª p. q. 60. art. 5. vbi de Angeli dilectione, hanc difficultatem proponit. Et 1ª 2æ. qª 109. art. 3. vbi de homine eandem resoluit. quam etiam in hoc art. licet obiter tangit. quæ sic formari potest. Deus, quatenus est Auctor naturæ, est fons totius esse, et supremus Dominus, et finis vltimus omnium Creaturarum suarum: ergo nullum bonum proprium habet Creatura, quod non sit Dei, eiusque dominio, et voluntati subditum: ergo solum, iuxta Dei voluntatem, potest Creatura honeste velle quidquid vult, ac proinde Comparatione Dei, non tantum se minus velle, sed prorsus se abnegare debet. Antecedens Constat, tum ex fide: quid enim frequentius in sacris litteris? psalm. 23. Domini est terra, et plenitudo eius. orbis terrarum, et vniuersi qui habitant in eo; quia ipse super maria fundauit eam &c. = Item etiam ex naturali ratione: ista enim tria interse essentialiter subordinantur esse primum principium totius esse, supremum Dominum, et vltimum finem, eo enim ipso quod Deus res ex nihilo fecit et Conseruat, potest que voluntarie in nihilum suum reducere, potest libere illis vti, et de illis disponere iuxta suum beneplacitum, tamquam de rebus omnino suis in visceribus suæ omnipotentiæ virtualiter inclusis, sicut enim plene subditæ sunt actioni virtutis suæ, ita et actioni voluntatis suæ, maxime in Deo, Cuius voluntas est sua potentia, sed in hoc dominium Consistit in hac facultate libera vtendi re: et in hoc ratio vltimi finis quod ad se, et propter se, omnium rerum vsum ordinet, hoc est in sui obsequium, et honorem, quia nullum superiorem habet præter seipsum, cui deseruire suis operibus, et effectibus debeat. Omnia propter semetipsum operatus est Dominus. Prouerb. 16. vel vt dic Dionis. lib. de Diuinis nominibus cap. 4. Omnia Conuertit ad amorem sui. Consequentiæ item euidenter Constant; quia Creatura, seu factura, quod supra, ne, hacienda. dicitur, tantum Domino suo deseruire debet, in eiusque liberum, et obsequium expendi, et aliud facere est furtum Committere, alienumque vsurpare inuito Domino; sed Creatura nihil proprium possidet, totum est alienum, Dei videlicet, ideoque ex se nihil dicitur a sanctis Patribus: ergo totum quod habet, principaliter propter Deum, velle debet, in eiusque obsequium expendere, saltem virtualiter et implicite: ergo plus incomparabiliter Deum quam se amare debet, quia sicut totum quod sibi velle potest est Dei, ita solum cum subordinatione ad Dei voluntatem potest honeste velle quidquid sibi vult. =

Confirmat S. Th. loco citato. Ep. illis verbis. Inclinatio naturalis in his quæ sunt

sine

sine ratione; demonstrat inclinationem intellectualis naturæ. Unumquodque autem in rebus naturalibus, quod secundum naturam hoc ipsum quod est, alterius est, principaliter magis inclinatur in id cuius est, quam in seipsum. Arguit optime a rebus inanimatis ad viventia: si ista plene cadunt sub dominio alterius, sicut illa, eamdem subiectionem, et subordinationem ad Domini voluntatem habebunt, ac proinde non suo appetitui, sed Domini voluntati servient; sicut ergo res inanimatæ non inclinatur nisi ad id ad quod a Domino destinatur, ratione cuius tam naturale est aquæ sursum ascendere ad locum sibi destinatum: et sicut vas figuli, ut dicitur ad Rom. 9. indifferens debet esse, ut in honorem, vel in contumeliam assumatur, ut conteratur, vel frangatur: sic creatura vivens, si non est sui iuris, sed Dei, omnino Dei voluntati suam subdere debet. Quod clarius ad Roman. 14. Paulus docet, illis verbis. Nemo nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur, sive enim vivimus, Domino vivimus, sive morimur, Domino morimur, sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus. Ecce ex Dei dominio colligit, quod omnis actus vitæ ad Deum principaliter ordinetur, quia tam Dominus vitæ est quam mortis, et rei non viventis; et tam subdita est illi voluntas cuiuslibet, sicut quælibet alia res creata: sicque egregie canit Ecclesia in officio defunctorum. Regem cui omnia vivunt &c. Et Exod. 13. dicit Dominus: Sanctifica mihi omne primogenitum, tam de hominibus, quam de iumentis, mea sunt enim omnia. Et Ezech. 18. omnes animæ meæ sunt, sicut anima patris, ita anima filii &c.

Secunda ratio, quæ est præcedentis confirmatio.

Secundo principaliter probatur hæc veritas. Quia nulla inclinatio naturalis hominis potest esse ad id quod est simpliciter malum: quia cum sit indita a Deo Authore naturæ, non potest non esse recta, et debite ordinata; alias in Deum refunderetur eius inordinatio, et defectus: sed diligere se plus quam Deum est intrinsece malum, et legi naturali, ac rectæ rationi contrarium: ergo nulla est ad hoc naturalis inclinatio. Minor in qua potest esse difficultas probatur. Tum ex præcedenti ratione, quia si creatura nihil proprium habet quod non sit Dei, nihil sibi velle potest, sed Deo, aut contra Dei voluntatem: si autem se plusquam Deum diligeret, se anteponeret Domino suo, et in se ultimum finem constitueret: nam ultimus finis, est qui primo ac principaliter diligitur, et est ratio diligendi cetera. Tum etiam, ex lege naturali, quæ dictat summum bonum esse summe diligibile, omnibusque anteponendum; et supremum Dominum servis, et subditis præferendum et ultimum finem primum in intentione ante omnia et super omnia esse diligendum, sicut enim a primo principio omnia procedunt; sic propter ultimum finem omnia appeti debent. Unde amor ultimi finis, ut ait Philosophus est omnium maximus. Hoc item continet primum decalogi præceptum. Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota mente tua, et ex omnibus viribus tuis. Hoc est, Diliges eum super omnia, ac proinde super teipsum, quia cum sit Dominus totius tui, et totius cordis, et mentis, et virtutis tuæ totum in illum extendere debes: ergo se plusquam Deum diligere est intrinsece malum, et legis naturalis dictamini oppositum.

Respondent aliqui saltem ad bona sensibilia etiam quando rationi adversantur, negari non potest naturalis inclinatio in appetitu sensitivo: ergo quantum ad illa inclinatur homo adeo plusquam Deum diligendum. Quid enim inconveniens hanc inclinationem in parte animalis ponere, et ex parte rationis? Satis enim est, quod Author naturæ in anima rationis moderamen providerit, quo illius impetus effrenati corrigi valeant.

Sed Contra hoc est, quod Animalitas in homine, eo ipso quod est pars essentialis illius est apta nata obedire rationi, illique essentialiter subordinatur, sunt enim in supposito humano rationalitas, et animalitas naturaliter sociatae, inaequales tamen, quia ratio ex natura sua dominari debet, et caro naturaliter ei obedire tenetur. Discordia autem, et contrarietas inter utramque, non ex natura, sed ex peccato manavit, ut saepissime Sancti Patres docent. Inde materia de peccatis intuli, malitiam peccati non solum contra naturam rationalem, sed etiam contra partem sensitivam hominis esse, quia haec pars, non utcumque respicit bonum sensibile, sed iuxta dictamen rationis; quia non agit, nisi prout informata et mota ab anima rationali, unumquodque agit, sicut habet esse. Si ergo pars illa formaliter constituitur in suo esse per animam rationalem, per ipsam etiam ad operandum movebitur. =

Confirmatur. quia ex partibus contrariis non nisi monstrum constituitur. ideoque peccatum hanc discordiam inter partes eiusdem naturae, inducens monstruositas naturae dicitur. Nam partes naturales essentialiter se invicem connectuntur, mutuoque vinculo se naturaliter fovent, et conservant, et illo ablato pereunt, aut violentiam patiuntur. =

Alia S. Thomae ratio expenditur. eiusque efficacia declaratur.

Probat item D. Th. locis citatis, et in hoc articulo hac ratione. Unaquaeque pars, naturaliter plus diligit totum, quam se ipsam; quia bonum commune semper antefertur bono particulari. Sic cives pro bono communi dispendia patiuntur in suis propriis bonis, et in naturalibus brachium se exponit periculo vulneris pro defensione capitis; et aqua sursum ascendit contra suam naturam ad replendum vacuum, quando id postulat bonum commune universi: ergo homo qui est pars universi, maiorem inclinationem in Dei bonum habere debet, qui est universale bonum, et ultimus finis totius orbis, quam in bonum proprium. =

Hanc rationem impugnat Durandus, et Scotus in 3. dist. 27. q. unica D. ille rationes. et sequentibus. Summa obiectionum est. quod licet bonum commune, sit bono particulari praeferendum, hoc tamen incumbit ei, qui curam totius communitatis habet, non vero ei qui tantum pars est boni communis; quia solum tendit pars se ipsam perficere, seu tamdiu id quod sibi proprium est, ut in suo peculiari munere iuxta suam naturam deservire bono commun[i], tantum munus partis, et non totius, nec capitis tenetur obire, nec ultra, aut contra, aut supra naturam suam, bono totius suffragari. Unde quando aqua sursum ascendit ad replendum vacuum, non ex naturali inclinatione, sua id peragit, sed quia ab authore naturae ad id rapitur. Manus similiter non habet inclinationem ut se vulneri si pro capite exponat, sed levatur ab ipso capite, seu appetitu totius, velit, nolit ipsa, quia non est sui iuris, sed capitis: tenentur ergo inclinant in bonum totius, quatenus inclinant in proprias operationes, ex quibus recte ordinatis resultat bonum totius. Alioquin in qualibet parte universi duplex inclinatio contradicta constituitur, et consequenter duplex principium inquo fundaretur talis inclinatio: gravitas v.g. in aqua ad descendendum, et levitas ad ascendendum, quoties bonum commune id postulat. quod est plane falsum. quia natura, tantum est ad unum determinata, ut Scotus arguit. =

Arguit

Arguit item Durandus. Ex hoc quod civis pro defensione Reipublicae vitam expendat, non colligitur, plus Rempublicam, quam seipsum diligere, nam pro bono virtutis eximiae, cuius honor, et decus, in eum redundat, id facit, et in bono honesto, magis debet quis habere culpam in se ipso, quam in communitate atque se. =

His tamen non obstantibus, Ratio D. Thomae est efficax, si profundius penetretur satisque a calumnijs vindicat Reverendissimus noster Cuniel citatus, dicens, inter alia multa - quod si totum, fecisset partes suas, tribueret eis inclinationem istam, ut ipsum defenderent, et in omnibus deservirent: ergo a fortiori Deus. Sicut enim diximus de portione animali in homine, quod non solum movetur a ratione, sed ex se ipsa est apta nata, obedire rationi ipsi, nec inclinatur naturaliter ad bonum proprium sensibile, nisi iuxta dictamen, et moderamen rationis; nam eo ipso quod pars essentialis hominis est, naturalem capacitatem, et inclinationem habet, ut alteri comparti accommodetur, sicque cum illa totius integritati, et perfectioni consulat: sic de qualibet alia parte naturali dicendum est, non solum ab extrinseco moveri, quando illa opus est ad bonum totius, sed etiam ab intrinseco inclinatam esse, eo ipso quod pars naturalis sit, ut bono totius deserviat: nam est mutua connexio, et capacitas inter partes, sicut enim forma appetit materiam; sic materia formam: et sicut totum appetit partem, sic pars totum. Unde negari non potest inter ipsa hanc mutuam fraternitas, alias violenter moveretur una ab alia, si tantum ab extrinseco, et contra suam propriam inclinationem id pateretur. =

Praeterea; omne mobile (ut docet D. Th. 1.a 2.ae q.a 36. art. 4. et q.a 68. art. 1. et 3. et alibi saepe) opportet esse proportionatum motori, ut prompte, et connaturaliter ab ipso moveatur, et ideo praeter habitus, qui sunt in voluntate rationali, ut debite moveat appetitum, aiunt enim omnes ponendos esse alios habitus in appetitu ipso, quibus sit prompte, et suaviter rationi obediens, et Spiritus Sancti dona quibus anima sit prompte mobilis a Spiritu Sancto, sic ergo quaelibet pars, ut connaturaliter moveatur a suo toto, et quodlibet instrumentum connaturale respectu suae causae principalis debent inclinationem, et capacitatem naturalem habere ex parte sua quia ad hunc finem sunt naturaliter instituta, et ordinata. =

Unde ad primam obiectionem, concedo quod non incumbat parti curam gerere totius, tamquam causa principalis, aut movens, convenit tamen illi ut mobili, vel ut instrumento, sed eo ipso quod virtualiter, aut naturaliter id habet, est naturaliter inclinata ad hunc finem, patitur que detrimentum maximum, si ab hoc fine frustretur. Patior etiam, partem iuxta propriam naturam, et munus speciale, suum opitulari bono ~~[illegible]~~ totius, absque eo quod extra limites suos egrediatur, vel contra inclinationem suam a natura inditam operetur: ac proinde quod non duplex inclinatio in qualibet constituenda sit, una ad bonum proprium, et altera ad bonum commune contra bonum proprium, imo, cum pars non sit in rerum natura propter se, sed propter totum, nulla inclinatio proprie illi tribuitur in ordine ad bonum proprium, prout distinguitur a bono totius, sicut voluntas non est de medio nisi propter finem. Ideoque unica tantum et simplex inclinatio in qualibet parte ponenda est, ad bonum totius dumtaxat. Sed cum in toto composito sint esse, et operari, sic pars illius manus v.g. ordinatur ad bonum illius, et quantum ad esse componens illud intrinsece, et quantum ad operari, deserviens scilicet illi ut instrumentum ad omnes operationes, quibus talis pars capacitatem habet. Unde non est diversa inclinatio in manu ad componendum, seu complendum hominem, quantum ad esse, et ad operandum in quibuslibet casibus, a toto movetur; esse namque est propter operari, et ubi unum propter aliud ibi est unum tantum. =

Ergo

Ex quo ad exempla posita facilis est solutio. Eadem inclinatione qua Manus Domini deservit, ad reliqua opera, et ad defendendum alios, deservit ad defendendum quocumque modo posit, et in Manus ipsa generat; quia sicut non est sui iuris, sed totius, ita non habet inclinationem ad se precise sed ad totum, vel propter totum, ideoque acute satis Angelicus Doctor ex hoc exemplo infert, quod quelibet Creatura, eo ipso, quod sui iuris non sit, sed Dei, nihil potest sibi velle, nisi Deo, vel propter Deum, tam quam propter ultimum finem. Supponenda tamen est semper distinctio, inter pura media, et que sunt simul fine intermedij, que eodem modo appetitui innato Creaturarum accomodanda est, sicut appetitui ellicito. =

Ad secundum exemplum, de Aqua sursum ascendente ad replendum vacuum: similiter dico, quod per eandem inclinationem, qua descendit ad bonum universi, ascendit etiam. Nec in 1.° casu descendit ad bonum proprium, et in secundo ascendet ad bonum universi (in quo decipiuntur multi), sed in utroque casu eundem finem totius respicit, nam sicut Brachium complet mediatione cum humero: sic aqua media continuatione. aut contiguitate, (ut proprius loquar) cum aere et cum terra, universum constituit, unde fit, quod quando aer elevatur, simul cum eo ascendat naturaliter aqua, quia naturalitis locus ipsi destinatus est inter aerem et terram. Ratio autem quare vulgariter tantum tribuitur aque, motus deorsum, tamquam naturalis, quia ascensio aeris, ex qua sequitur motus sursum est casus rarus et per accidens, ex suppositione tamen, quod aer non sursum trahatur, aqua tantum ad descensum naturaliter inclinat. Et hinc rursus constat, quare non ponitur levitas in aqua, ad motum sursum, sicut ponitur in ea gravitas, ad motum deorsum: quia ad motus per accidens, natura non tribuit formas permanentes, et intrinsecas; motus autem ille aque sursum, licet ex suppositione ascensionis aeris et secundum se sit naturalis, et per se, supposito tamen illa ex qua sequitur, est per accidens =

Ad Objectionem Durandi respondetur, quod in casu ibi relato quod civis defensionem Reipublice ordinet ad bonum virtutis, et non Reipublice, respicit iam aliud superius et universalius bonum, scilicet divinum ad quod virtus ordinatur, similiter vitare culpam in se ipso tenetur prius, quia est contra ius divinum, quod respicere debet tamquam summum et universalius bonum. Preterea respondeo quod partes morales aut politice non sunt totaliter, nec primario institute propter bonum commune Reipublice, sicut partes naturales propter bonum totius; ille enim analogice, et cum magna limitatione partes dicuntur, nec subduntur in suis omnibus actionibus bono communi, sed tantum iuxta leges aliquas ibi statutas, in ceteris autem sunt sui iuris, habent que proprietates, et possessiones, quibus neque a Republica, aut Principe fraudari possunt, sed de hoc infra ad Art. 5. redibit sermo =

Satisfit argumentis initio Sectionis positis = //

Tandem ad ea que in Principio objecta sunt satisfacere oportet. ad Primum Aristotelis respondetur, amicitiam ad alterum ortum ducere ex benevolentia ea que se, tam quam ex regula et mensura, instar cuius alios amare debemus, hoc est quod debemus amicos diligere sicut nos metipsos. Loquitur que Phylosoph. non de amicitia divina (ut interpretatur ibi S. Thomas) sed humana, que regulari debet per dilectionem nostri, sicut in Precepto de caloge continetur, dilliges proximum sicut teipsum, similiter alia verba amabile bonum unicuique autem proprium, tantum significant motivum extrinsecum, vel conditionem sine qua non. ad alios amicitiam non habemus, esse similitudinem, quam in aliis advertimus cum bonis proprijs de quibus naturalem et previam complacentiam habemus, etiam

explicui in principio huius Materiæ, Non vero quod bonum et Comoditas propria sit ratio Charitatis dilligendi, alias vera amititia ad alterum penitus destrueretur —

Ad Secundum fatetur quod Maius fundamentum præbeat amori Unitas, quam Identitas, quam Unio, sic cætera sint paria, id est si Comparatio fiat inter duas Creaturas, vel inter duos fines particulares, et inter medios; secus vero si Creaturæ Cum Deo summo bono et Ultimo fine Collatio fiat; Nam hic excessus et rationes propter quas Deum dilligimus infinite suggerant quas cumque alias præsertim Cum talis non sit ratio formalis dilligendi, sed Conditio tantum sine qua non ut dixi —

Ad tertium Respondetur quod quamuis inclinatio Naturalis ad Deum sit longe Maior, quam ad nos, ex peruersitate tamen Naturæ per peccatum depravatæ, sit dificilior illa, et ex obstaculis sensualitatis, ratione Cuius appetit, potius, quod est Contra suam Naturam rationalem, Unde si argumentum aliquid probaret Conuinceret Maiorem esse, in homine inclinationem Naturalem ad peccatum quam ad Virtutem, quod absurdum est, Cum Peccatum potius sit Contra illius Naturam, propter hoc etiam licet in Demonibus Manserit hæc Naturalis inclinatio ad Deum, Cum actu non dilligunt propter Obstinatam depravationem Odij oppositi, nam licet Manserit in illis Omnia Naturalia Physica, Non Moralia quæ ex Libertatis Dependet —

Ad quartum Iam Constat ex dictis hanc Maiorem inclinationem ad Deum inferre in mediate et ratione supremi dominij, et Ultimi finis, quia ita Consequenter in Deo ex ratione Primi principij, et fontis totius esse, ideo ex illo mediate Colligitur etiam talis inclinatio, maior ad Dei amorem. Instantia autem de esse aparentibus acepto est valde dissimilis quia neque accipit animam quæ est principium totale hominis esse, Neque accipit Materiam sed tantum Unionem utriusque et hanc Cum Omnimoda dependencia a Deo et adæquatam Limitata est inclinatio ad ipsum, sicut dependentia ab illo —

Ad Ultimum Respondetur quod homo adhuc in statu peccati Mortalis permanens potest naturaliter Deum ut authorem Naturæ et supremum dominum super Omnia dilligere absque implicatione aliqua, quæ inde sequatur: Nam in eo Casu licet Maneret ratio offensæ quæ non nisi per gratiam aut Dei Condonationem auferri potest, Cessaret penitus Malitia, et præuaricatio Voluntatis quia hæc per dilectionem dictam prorsus retractaretur quæ duplex ratio in peccati Macula semper est disting. ad Similes Casus resoluendos. Unde Negatur quod tunc dilligens Deum super omnia plus aliquid supra eum dilligeret: quia permanere potest macula, quo ad rationem præcisam in iuria Cum Omnimoda retractatione et detestatione Naturali præcedentis peccati, ex quo talis in iuria resultabit —

Articulus 4º

Utrum homo ex Charitate Magis debeat dilligere seipsum quam proximum?

Ad quartum videtur, quod homo ex Charitate Non magis debeat dilligere seipsum quam proximum, Principale enim Objectum Charitatis est Deus, ut supra dictum est, sed q. 95

homo habet proximum Magis Deo Coniunctum, quam sit ipse, ergo magis debet aliquis ipsum dilligere quam seipsum =

2 Praet. Detrimentum ipsius, quem magis diligimus, magis vitamus sed homo ex Charitate sustinet detrimentum pro Proximo, secundum illud Prov. 22. qui negligit damnum propter amicum, iustus est, ergo homo debet ex Charitate magis alium dilligere quam se ipsum =

3 Praet. 1. ad Corint. 13. dicitur quod Charitas non quaerit quae sua sunt sed illud maxime amamus cuius bonum maxime quaerimus, ergo per Charitatem aliquis non amat seipsum magis quam proximum =

Sed Contra est quod dicitur Levit. 19. et Math. 22. dilliges proximum tuum sicut teipsum, ex quo videtur quod dillectio hominis ad seipsum est sicut exemplar dilectionis, quae habetur ad alterum, sed exemplar potius est quam exemplatum, ergo homo ex Charitate magis debet dilligere seipsum quam proximum =

Respondeo dicendum, quod in homine duo sunt, scilicet Natura Spiritualis, et Natura Corporalis, per hoc autem dicitur homo diligere seipsum, quod dilligit se secundum Naturam Spiritualem, ut supra dictum est. Et secundum hoc magis debet se homo dilligere post Deum, quam quemcumque alium. Et hoc patet ex ipsa ratione dilligendi. Nam sicut supra dictum est Deus dilligitur ut principium boni super quod fundatur dillectio Charitatis: Homo autem seipsum dilligit ex Charitate secundum rationem, qua est particeps praedicti boni. Proximus autem dilligitur secundum rationem Societatis in ipso bono. Consociatio autem est ratio dillectionis secundum quandam unionem in ordine ad Deum. Unde sicut Unitas potior est quam Unio, ita quod homo ipse participet bonum divinum, est potior ratio diligendi, quam quod alius associetur sibi in hac participatione. Et ideo homo ex Charitate debet magis seipsum dilligere quam proximum, et huius Signum est, quod homo non debet subire aliquod malum Peccati quod contrariatur participationi Beatitudinis ut proximum liberet a peccato =

Ad Primum ergo dicendum, quod dillectio Charitatis non solum habet quantitatem ex parte Objecti, quod est Deus, sed ex parte dilligentis, qui est ipse homo Charitatem habens, sicut et quantitas cuiuslibet actionis, dependet quodammodo ex ipso subjecto, et ideo licet proximus melior sit Deo propinquior, quia tamen non est ita propinquus Charitatem habenti, sicut ipse sibi, non sequitur quod magis debeat proximum quam seipsum dilligere =

Ad Secundum dicendum, quod detrimenta Corporalia debet homo sustinere per amicum, et in hoc ipso seipsum magis dilligit secundum spiritualem mentem, quia hoc pertinet ad perfectionem virtutis, quae est bonum mentis; sed in spiritualibus non debet homo pati detrimentum peccando, ut proximum liberet a Peccato, sicut dictum est =

Ad tertium dicendum quod sicut Aug. dicit in regula, Cum dicitur, Charitas non quaerit quae sua sunt, sic intelligitur quia Communia propriis, ~~Non propria~~ antepo- nit, semper autem Commune bonum est magis amabile unicuique, quam proprium bonum, sicut etiam ipsi parti est magis amabile bonum totius, quam bonum partiale sui ipsius, ut dictum est =

Respondet D. Thomas secundum Naturam spiritualem debere se cuilibet alteri anteponere, unde in spiritualibus non debet detrimentum pati propter aliorum salutem etiam aeternam; quae conclusio et sequentes de ordine dillectionis nostrae et proximorum intelligenda sunt in his quae sub praecepto cadunt, unde in iis quae non tenemur nobis dilligere, ut proximis, non debemus plusquam proximum dilligere. Unde non agit contra praeceptum ordinis charitatis, qui in bonis spiritualibus, quae non pertinent, aut necessaria sunt ad formalem justificationem, nec cadunt sub aliquo praecepto, se proximorum saluti postponat, ideoque ex affectu charitatis potest scientiarum studia omittere, alia quae spiritualia et meritoria exercitia, quae sub praecepto non cadunt ut aliorum saluti intendat, ut praedicatoribus et confessariis saepius accidit, cuius ratio est, quia praeter quam ad neutrum tenetur, augmentum gratiae, quod perdit ex talibus exercitiis proximorum causa relictis, cedit in aliud maius, eo quod animarum salus est in maiorem Dei gloriam, quam quaerit charitas, et ideo etiam in illis casibus negans, quae sua sunt incipit a se ipsa =

Ex hoc secundum infero, quod nec est sermo de excessu intensivo in dicta conclusione, quia ex praecepto nec Deum tenemur dilligere intensius, nec de intensione actus datur unquam praeceptum, sed tantum de substantia. Neque oppositum docuit S. Thomas art. ult. huius quaestionis dicens ordinem charitatis manere in Patria non tantum appretiativum, sed etiam intensivum; quia non loquitur ibi de ordine, qui sub praecepto cadit, sed de eo ad quod inclinat tota perfectio charitatis, quae in Patria erit omnino consumata omniaque objecta pro cuiusque dignitate etiam intensive dilliget =

Praeterea nec de maiori dilectione objectiva intelligitur conclusio articuli: possumus vero alicui velle maiora bona gratiae et gloriae, quam nobis ipsis, quin imo debemus complacere de excessu sanctitatis Virginis collatae. Tum quia sic decet Beatissimam Dei Matrem, quod omnem caelestem curiam in sanctitate, ceteris que donis superet. Tum quia in maiorem Dei gloriam, et beneplacitum cedit, cui ex charitate conformari et uniri debemus. Similiter debemus desiderare et complacere, quod totus ordo divinae praedestinationis impleatur, quo ad diversos gradus gratiae et gloriae, quos aliis voluit supra nos. Ratio est quia si tenemur Deum plus quam nos dilligere, etiam cetera eius attributa, impletionemque suae voluntatis divinae in omnibus. Quapropter nec debemus nobis maiorem sanctitatem concupiscere, quam Deus nobis voluit, aut praedestinavit =

Tandem nomine proximi non intelligitur in littera Christus Dominus nec eius humanitas, nam homo ille est verus Deus, nec humanitas adoratur nisi prout est talis suppositi aut aliquid illius. Praeterea ratio capitis et authoris gratiae et gloriae, quam etiam humanitas Christi participat, et ratione cuius est veluti fundamentum et finis totius sanctitatis nostrae, efficiunt illam dignam, ut maiori prosequatur dillectione, quam ex gratia nos habemus =

Intelligitur ergo conclusio de excessu appretiativo, quia tamen plures patitur adhuc difficultates quas enodare oportet. Sit =

Sectio 2

Quo pacto in spiritualibus comparatio fiat dillectionis nostri, et proximi?

Dixi iam tantum appretiative intelligi conclusionem D. Th. quod scilicet in bonis ad formalem justificationem pertinentibus, aut necessariis praeferenda sit nostri dillectio

Cuicumque alteri proximorum. Docet eleganter Basilius in Serm. circa illa verba attende tibi. Bernard. Serm. 2. de resurrect. et Serm. 13. in Cant., et ceteri Patres ac Theologi qui de hac re tractant =

Probat D. Thom. 1.° apriori, quia Charitas primario intendit unire subjectum in quo est cum Deo. Secundario vero extenditur ad alios homines quatenus conveniunt, et socij sunt in eadem unione, ac participatione Dei; ergo habens Charitatem magis appretiative tenetur se dilligere, et anteponere in tali unione cum Deo, ita ut non possit se illa privare propter ullum bonum proximi. Consequentia est clara et etiam antecedens, nam forma primario se communicat suo ~~principio~~ proprio subjecto, et inde ad alia extenditur, immo tam essentialiter respicit subjectum, quam principale objectum, nam forma non est in rigore, quæ respicit objectum, sed subjectum per illam, et simul cum illa in quo est vitalitas et facultas respectiva; ergo in essentiali, et primaria habitudine ad formale et principale objectum intime includitur habitudo ad subjectum; ergo principalius ad subjectum, quam ad proximum respicit. Amicitia principaliter, ac essentialiter est inter duos, videlicet inter habentem illam et eum cui tamquam objecto primario affectus inhæret, ad alios autem extenditur, quia illi associantur in tali dillectione, vel quia eundem dilligunt, quem habens amicitiam dilligit, prius est ergo dillectio in Charitatem habente, siquidem est ratio dillectionis aliorum =

Quod ex forma etiam Præcepti dilliges proximum tuum sicut teipsum Levit. 19. satis colligitur, nam assignatur dillectio nostri, ut exemplar et regula, et ratio præsuposita ad dilligendos proximos. Unde particula sicut similitudinem rei exemplaris, cum re exemplata, non æqualitatem denotat =

Secundo probat aposteriori S. Thom. quia homo non debet necessitati aliquod peccatum admittere etiam leve propter totius mundi salutem, quia Charitati opponitur, quam sibi ipso conservare debet, etiam si aliorum gratia pereat ergo prius et principalius de sua justificatione et salute curare debet quam de alijs. Antecedens sic probatur ex illo principio. non sunt facienda mala ut eveniant bona. Quod ex Paul. ad Rom. 3. omnes acceperunt. et Math. 16 quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur est autem omne peccatum etiam veniale magnum animæ detrementum = Videtur quod etiam hoc deffinitum in Cap. In junto de novi. oper. nuncia. Constat etiam ex D. August. In Epist. 5. ubi probat non esse unquam licitum propter alienam salutem, aut ullum finem mendacium dicere quamtumvis leve =

Ratione etiam probatur, quia peccatum omne Charitati adversatur, siquidem est contra Dei gloriam, et honorem, avertitque animam ab illo, vel simpliciter vel secundum quid si sit veniale peccatum, inclinatio autem essentialis Charitatis est unire animam cum Deo, Dei que gloriam et voluntatem super omnia amplecti; ergo implicat quod possit aliquod peccatum admittere. Patet consequentia quia si nulla virtus potest ferri extra latitudinem ~~sui~~ objecti, multo minus in id, quod suo objecto ex diametro opponitur. Solum ad finem suum, vel ad media ipsi necessaria aut utilia virtus exten. disponit, ad contraria minime; si quodlibet opus moraliter

bonum

PAPELES

VARIOS